Medici officiosi opera ... / nunc primum Latine reddita [by G. Sauvageon].

Contributors

Guybert, Philbert, -1633
Sauvageon, G. (Guillaume), active 1630-1643

Publication/Creation

Paris : Widow of T. Pepingué, & S. Maucroy, 1649.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/z23txkbd

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org








A4-149

25,991/3



MEDICI
OFFICIOSI
OPERA,
Auctore
PHILIPPO
GUIBERTO
Med. Paris.

PARISIIS
Typis Viduæ Th. Pepingué &c. Anno 1649.

R. a Persyn fe.

55150

MEDICI OFFICIOSI OPERA,

VIRO NOBILI

PHILIB. GVIBERTO

DOCT. MED. PARIS.

AVTHORE;

Centies antehac Gallicè edita,

NVNC PRIMVM

Latinè reddita.

PARISIIS,
Typis Viduæ THEOD. PEPINGVE', & STEPH. MAVCROY, viâ Citharæâ, è regione viæ Mathurinorum.

M. DC. XLIX.

Cum Privilegio Regis.

Hippocrates *lib. 1. de Diæta in acut. in limine.*

Vnum vel pauco numero medicamenta, hæcque ægris congrua; laude dignióra ſunto pluribus, ſi quidem pauco numero ſecuriùs ſatisfiat.

CLARISSIMO
ET ERVDITISSIMO VIRO
DOMINO D.

GVIDONI PATIN,

BELLOVACO, IN SALVBERRIMA
MEDICINÆ PARIS. FACVLTATE
Doctori eximio,
VETERI ET SVAVI AMICO;
G. SAVVAGEON, S.

EN Tibi munusculum offero, Vir præstantissime, si vel ex sua mole, vel ex tua dignitate spectetur, leve; si ex viribus nostris, mediocre; si ex animo, maximum; si ex publica utilitate, præstantissimum.

Neque verò tardum dictu sit, cur Tibi tantùm inscribi debuerit hic Libellus, qui olim in media Gallia *natus, meâ nunc operâ prodit in lucem* Romana *donatus veste; tam multæ siquidem concurrunt causæ, ut singulæ, quæ singulis passim literatis hominibus ad quærendum suis lucubrationibus (si quando illas publici iuris facere meditantur) præsidium satis sunt: eæ mihi idem hodie cogitanti sese simul objiciant universæ. Sive enim Te, aut ad primum huius Operis Authorem, aut ad me, qui verba, non res ipsas mutavi, convertas; quid (amabo) æquius, quàm ut unus amborum labor*

Tibi consecretur, qui semper es utrumque magno pariter amore complexus? Sive ad ea quæ hic tractantur attendas; quis ferat alteri nuncupari res Medicas, quàm tibi eruditissimo ac peritissimo Medico, salutisque publicæ amantissimo? Qui si etiam illa repetas, quæ aliàs cum carissimo tuo Collega Philiberto Guiberto, *viro optimo & reipublicæ addictissimo, in Civium tuorum commune bonum contulisti; vix supererit aliquid propter quod mereatur lucem adspicere. Sive denique è clarissimo tuo Ordine deligi debuit primæ notæ Medicus aliquis, cuius authoritas apud bonos omnes magni sit ponderis*

adversus obirectatores, quos habuit habebitque aureus hic Liber; Vnus certè es, cuius si nomen in fronte gerat, planè obmutescet ista hominum turba, qui tantum huius Libri famæ detrahendum putarunt, quantum, eo evulgato, lucro, cui utplurimum per fas nefasque inhiant, detrahi compererunt. Hæret siquidem, hærebitque semper eorum mentibus memoria illius diei, 15. Martij, æræ Christianæ ann. 1647. quo, cùm coram Regijs in Senatu Parisiensi Triumviris, Tibi litem intendissent, ob explosas in Scholis Medicis publico programmate *quisquilias ac vana remedia, quibus plebecula*

& ipsi quoque Magnates plerumque decipiuntur: Vt ab eo die urbium Regina Lutetia, *multas inutiles remediorum formulas atque farragines dediscendo didicerit, Tibi tuoque Ordini (secundùm Deum) gratias immortales referendo, quòd constanter ubique enitatur atque perficiat, ut ars Medica ex se omnium innocentissima, sublatis (quoad fieri potest) nimijs & sumptibus & machinis tum inertibus, tum noxijs, non minus in pauperum, quam divitum gratiam à Deo ipso immortali concessa videatur. Atque hoc vestrum beneficium quàm sit maximum, & viris Christianis dignum, sentiunt*

prædicantque vestri Cives, qui tuo vel tui similium consilio usi, nullo, vel quàm levissimo rei domesticæ damno, secundæ valetudini passim restituuntur. Neque verò ad populum Parisiensem pertinet duntaxat sancta hæc & sincera medendi ratio: sed etiam in omnes Galliæ, imò & Europæ regiones dissiminata vigere iam incipit. Vt enim quicumque capessendæ purioris & sanctioris Medicinæ desiderio flagrant, vulgò se Parisios conferunt, eam in suo fonte hausturi, & prælectionibus & viva voce sapientissimorum virorum & eruditissimorum Professorum ad id muneris à salu-

berrima Facultate vestra delectorum, in qua Sparta *excolenda Te quoque inter innumeros auditores triümphantem ante aliquot annos vidisse probè memini; ita quam ab optimis vestræ Scholæ Magistris vident in medendo teneri viam, fere hanc ipsam insistunt, ubi se in suam patriam receperunt. At quoniam frustra Medicus parabilia præscribit remedia, nisi qui solent ægrotantibus assidere, ad ea pro re nata, & ut par est exhibenda sint expediti; eam ob rem ego victus precibus quorundam exterorum enixè flagitantium, ut quando* Gallicè *nescirent, per me hunc Librum* Latinè *legere, atque adeo*

suæ genti legendum tradere possent: nihil mihi visus sum facturus, aut iustius, aut honestius, quàm si Parisiensium Medicorum *exemplo, aliquot dierum labore exteras gentes tãti muneris compotes participesque facerem. Minimè autem hîc moror quorumlibet malevolorum hominum sive ingenium, sive convicia, modò probi omnes intelligant nos id habuisse propositum, quod heroïcæ & illustres animæ, quibus salus populi suprema lex est, quique cuncta publicâ utilitate dimetiuntur. Quin verò & Tu, mi doctissime* Patine, *qui inter has eminnes, nostrum sis probaturus consilium, hoc minùs dubitare*

mihi licet, quòd eò quoque studium & industriam omnem referas, & me qui eo semper fuerim animo, propterea singulariter diligas, Medicinæ etiam principes, Hippocratem & Galenum, in humanitatis officijs erga hospites & egenos præstandis æmulantem. Vale. Lutetiæ Parisiorum 15. Kal. Septembr. 1649.

Lib. de præcept. Cap. 9. de anim. morb.

INDEX TRACTATVVM, qui in hoc Volumine continentur, cum nominibus Authorum.

Medicus Officiosus, est D. Guiberti, pag. 1.
Pretium Medicamentorum, D. Guiberti, 71
Pharmacopœus familiaris & domesticus, D. Guiberti, 124
De electione & facultatibus medicamentorũ, D. Guiberti, 258
De Sena, D. Antonij Mizaldi, 279
Modus parandi quaslibet gelatinas, D. Guiberti, 293
De Conditis, D. Guiberti, 305
De Valetudine tuenda, D. Guidonis Patini Doct. Medici Paris. 341
Quæstio Medica de Sobrietate, eiusdem D. Guid. Patini, 446
De Peste, D. Nicolai Ellain, Do-

ctoris Medici Parisiensis, qui eum Gallicè composuit anno 1606. & obijt Antiquior Scholæ Magister anno 1621. suæ ætatis 85. NOTÆ autem in illum Tractatum sunt Guid. Patini, &c. 485

Liber de Sanguinis missione est Galeni, Gallicè versus à Lud. Savot, Licentiato in Facultate Medica Paris. cum eiusdem Prefatione, & argumentis in singula Capita: NOTÆ verò in quędam libelli loca sunt Guidonis Patini, 538

Artificiosa methodus medicandi plantas fructusque hortenses, vites, carnes, vina, A. Mizaldi, 615. & seqq.

Cadavera condiendi modus, D. Guiberti, 700



Quod parvo magni decedant ære repulsi
Morbi, laus cedit, prima, Guiberte, tibi.

Rousset. ex

MODVS PARANDI CLYSTERES.

Clyſter ad purgandam alvum, quovis tempore parabilis.

ACCIPE hordei & furfuris macri, utriuſque manipulũ unum. Bulliant in pinta una Pariſienſi (hoc eſt libris duabus) aquæ fluvialis aut alterius bonæ, duabus vel tribus ebullitionibus.

Accipe iſtius decocti colati citra expreſſionem chopinam ſeu heminam unam Pariſienſem (hoc eſt libram unam.) In ea bulliat unico feruore ſenæ optimæ uncia dimidia, cum ſeminis aniſi aut fœniculi drachmis duabus. Deinde mediocriter per pan-

num (ut vocant) ſtamineum , vel lineum mundum trajiciantur. In colato iure diſſolve mel, butyrum, ſaccharum rubrum, prout ſequenti patebit exemplo.

Sumatur diſcus , in quem duas treſve mellis optimi uncias , & ſacchari rubri unciam unam immittes , hinc prædicti decocti adhuc calentis ſeptem vel octo cochlearia affundes, vt mel & ſaccharum diluantur, poſteaque decocti reſiduum inijcies , illa accuratè cum prædictis diluendo medicamentis. Hoc peracto omnia per pannum ſtamineum aut lineum album mundumque traijcientur, diſſolventur que in iure colato olei olivarum (commune vulgo vocant) quinque vel ſex cochlearia , ſeu butyri recentis uncias duas. Sicque confectum enema in ſiphonem ſeu ſyringam infundetur , tepenſque ſeu modicè calens inijcietur.

Si forſan hordeum duntaxat ſuppeteret, bulliat hordei manipulus unus in aquæ communis libra una cum dimidia , vt libra poſt ebullitionem ſuperſit. Si vero pariter ſit ſolum furfur ad manum , bulliant furfuris manipuli duo in ſufficienti aquæ quantitate, obſeruatis quæ antè ſcripta ſunt.

Si nec hordeum, nec furfur præſto ſint, ſumatur libra una iuſculi carnium euchymarum, vel ptiſanæ communis aut laxativæ, vel ſeri lactis ſeu lactis communis libra una, modo deinceps deſcribendo præparandorum.

Quod si senam in enemate adhibere nolueris, sic parabitur.

In prædicti decocti libra una percolata mel, saccharum rubrum, oleum diluetur, addendo salis communis drachmam unam vel aliquid ultra.

Nota, in quibuslibet clysterum speciebus, vbi mel aliudve medicamentum dissolutum fuerit in decocto, omnia per pannum stamineum vel lineum esse traijcienda, ne si sordes aliqua crassiuscula immista foret, in siphunculum abeat transitumque iniectionis tempore impediat.

Alius clyster ad idem.

Accipe furfuris, hordei communis, maluæ, bismaluæ, parietariæ, violariæ, lapathi, mercurialis, florum chamæmeli & meliloti, cuiusque manipulum unum: seminis lini & fœnugræci contusorum, utriusque uncias duas. Herbæ floresque cultello incidantur; postquam mundaveris atque ablueris.

Postea accipe cacabum vel ollam figulinam satis amplam, in quam libras sex, plus minus, aquæ immittes. In eaque primo bulliet hordeum duabus vel tribus ebullitionibus, dein furfur inijcietur cum herbis, postremo flores & semina. Omnia demum bulliant, donec decoctum ad libras tres redeat, pro tribus clysteribus insumendas.

Accipe prædicti decocti colati libram unam, in eoque adhuc calente infunde saltem per semihoram tres vel quatuor drach-

mas senæ optimæ, cum seminis anisi drachmis duabus. Vbi aliquantum bullierit, percoletur exprimaturque, vt dictum est, id demum quod Medicus præscribet dissolvendo.

Aliud enema.

In superioris decocti colati libra unam injice senæ optimæ unciam semissem, cum anisi drachma una. Post unam aut alteram ebullitionem; adde mellis communis uncias quatuor. Leviter bulliant ad dissolutionem. Omnia deinde percolabis exprimesque ex linteo, dissolvendo in colatura butyri recentis uncias duas.

Alius clyster simplicissimus.

Accipe lactis vaccini libram unam, vel seri lactis feruefacti colatique, in quo dissoluantur sacchari rubri unciæ duæ. Sumi etiam poterit aqua hordei aut ptisanæ libra una, in qua sacchari rubri, vel mellis communis unciæ tres dissolventur.

Clyster detergens.

Accipe hordei communis manipulum unum, seminis fœniculi drachmas duas. Bulliant mediocriter, sub finem iniectis mellis communis unciis tribus. Leviter iterum bulliant ad dissolutionem. Omnia deinde percolabis, & butyri recentis uncias duas in colatura liquescere sines.

Clyster in principio dysenteriæ.

Accipe lactis optimi feruefacti libram unam. Dissolvantur in eo mellis communis

unciæ tres vel quatuor, ovi luteo uno superaddito.

Clyster refrigerans & detergens.

Accipe seri lactis libras duas. Bulliant cum tribus quatuorve lactucis, & uno alterove manipulo portulacæ. In huius decocti colati libra una dissolue mellis uncias tres.

Clyster leniens, ex lacte.

Accipe lactis libram unam. Leviter bulliat, in eoque ovi luteum dissolvatur, dein coletur. In colatura dilue olei rosati uncias duas, vel butyri recentis unciam unam cum dimidia.

Clyster cum terebinthina ad dolorem nephriticum.

Accipe olei olivarum, vel butyri recentis uncias duas. Calefiant super cineres calidos. Extractis ab igne infunde terebinthinæ Venetæ optimæ unciam semissem, pariterque cum oleo vel butyro diluatur, quod porrò facillimum est. Postquam probè dissoluta fuerit, cum quopiam clysterum præscriptorum, ex Medici consilio, diluetur.

Clyster astringens.

Accipe foliorum plantaginis, verbasci, bursæ pastoris, lotorum, mundatorum & incisorum, manipulos duos: rosarum rubrarum unciam unam. Bulliant omnia suo ordine, à foliis incipiendo; in aqua chalybeata. Deinde sub finem rosas injicies, quæ

unico feruore bullient, ut post colaturam libra una supersit. In qua olei cydoniorum unciæ duæ, cum uno alterove ovi luteo dissolventur.

Alius clyster ad idem.

Accipe lactis optimi ter quaterve candente chalybe iniecto ustulati, libram unam. Traijciatur per pannum stamineum vel lineum. In colato iure dissolve oleum cydoniorum cum ovi luteis. Poterit etiam dissolvi saccharum rosatum pulveratum.

Omnia superiora enemata pro infantibus & puerulis dosi mediocri & conveniente etiam inservire poterunt.

Clyster in colico dolore à flatu.

Accipe maluæ, althææ, mercurialis, parietariæ, hyssopi, rutæ, calamenti, pulegij, origani, cuiusque manipulum unum: seminum fœniculi, carui, cumini, cuiusque drachmas duas: baccarum lauri unciam unam: florum chamomillæ & meliloti, utriusque manipulum dimidium. Bulliant omnia in aquæ libris sex vel circiter, suo quęque ordine, primùm herbæ, hinc semina contusa, postremò flores; ad dimidias, vt ad tres sufficiat clysteres.

Accipe huius decocti colati libram unam ut minimum. In ea dissolve diaphœnici drachmas sex, benedictæ laxativæ tantundem, mellis mercurialis uncias duas, cum pari quantitate olei chamæmelini vel rutacei. Inijciatur, reitereturque si dolor in-

gruerit, ex Medici consilio.

Clyster ad apoplexiam.

Si morbus det inducias, libram unam superioris sumes decocti, in eaque dissolves benedictæ laxativæ, & hieræ diacolocynthidos Pachij, cuiusque drachmas sex, cum mellis mercurialis unciis duabus.

Quod si morbus urgeat, accipe ptisanæ communis vel laxativæ libram unam, in eaque prædicta dissolve medicamenta.

Alius clyster in dolore colico pro pauperibus.

Accipe hyssopi, satureiæ, florum chamomillæ & meliloti, cuiusque manipulum unum: seminis anisi contusi unciam semissem. Bulliant omnia in vini generosi libra una cum semisse & ultra, modò ex colatura supersit ad libram unam. In qua dissolves olei nucum, & mellis communis, cuiusque uncias tres.

Alius item pro pauperibus.

Super cineres calidos macerabis aut fervere sines vini generosi libram unam vel paulo plus, sennæ unciam semissem, seminis fœniculi recentis tantundem. In colatura post expressionem mel & oleum nucum prædicta dosi dissolventur.

Clyster nutriens.

Accipe libram unam iusculi gallinacei, vel quod præstantius, caponis, vituli, veruecis insimul coctorum, exempto adipe. In eo dissolve sacchari optimi unciam unam, cum duobus ovi vitellis.

Alius ad idem.

Accipe iuſculi pulli gallinacei uncias octo, gelatinæ parem quantitatem. Miſceantur cum duobus ovi luteis.

Alius pro pauperibus.

Accipe lactis feruefacti libram unam, ſacchari albi ſeu communis optimi uncias duas. Diſſolvantur in eo duorum ovorum vitelli.

Nota 1. purgandam priùs eſſe alvum emolliente clyſtere, ante vſum clyſterum nutrientium.

Nota 2. ſi quis prædictos clyſteres parare rite calleat, eum alios quoſlibet facile paraturum.

Nota 3. in puerulis doſim ſeu quantitatem tum decoctorum, tum medicamentorum minuendam, idque ex Medici arbitrio.

Modus parandi ſuppoſitoria, ſeu glandes.

ACcipe mellis communis uncias duas. Bulliat in parva ſartagine igne lento & claro, donec electuarij ſolidi conſiſtentiam nanciſcatur. Hoc facto, ſummoveatur ab igne, addendo (ut ſit acrius) ſalis communis drachmas duas, vel ſalis gemmei pulverati drachmã unam. Miſceatur optimè cum ſpathula, proijciaturque ſuper chartam oleo inunctam, manibus pariter oleo peruncti; fiant ſuppoſitoria ſeu glandes, ad digiti an-

nularis crassitudinem; sex septemve digitorum longitudine pro grandioribus; trium verò quatuorve pro iunioribus. Vsus etiam tempore oleo communi vel butyro recenti delinientur. Imo ad eorum conseruationem in adipe vel butyro recenti indentur : aëri namque exposita liquescerent.

Aliud suppositorium acrius.

Accipe mel coctum vt prædictum est, tantisper refrigeretur, mox cum spathula salis communis pulverati & salis gemmei, cuiusque drachma una misceatur, glansque iusta concinnetur magnitudine.

Aliud.

Salis loco cum melle cocto ut decet, scammonij pulverati grana quatuor commisceantur.

In puerulis glandes ex sapone, vel scapo betæ vel mercurialis, vel ex candela cerea butyro recenti vel suilla axungia dulci delibutæ efformantur.

Nota, suppositoriorum seu glandium loco intrudi vicissim posse in anum tria quatuorve tragemata Virdunensia.

Plura hic glandium exempla congerere nolui, tum quia illorum usus fere exoleuit, tum quoniam illorum loco clysteres, vel ptisana laxativa, vel iuscula cum sena exhiberi possunt, quorum parandorum modus ususque facilior.

Remedium certum in astricta alvo, pro iis qui clysteribus vel glandibus vti detrectant.

QVoniam nonnulli reperiuntur adeo difficiles, delicati vel morosi, vt nulla ratione ad clysterum vel glandium usum induci possint, tum propter quandam verecundiam, tum propter hæmorrhoïdas siue internas, siue externas, seu alios sedis affectus quibus conflictantur, ij sequenti utantur remedio.

Accipe sennæ optimæ drachmam unam, drachmam unam cum dimidia, drachmas duas, seminis anisi drachmam unam. In paropsidem immittãtur, desuperque quatuor, quinque, plus minus, aquæ cochlearia affundantur; si vero tussis absit, aquæ & succi mali citrij par quantitas addi poterit. Deinde operiatur paropsis, ex cineribusque calidis vel loco calido per horam circiter macerari omnia sinantur. Postea per pannum stamineum vel lineum mundum traijciantur, mediocriterque exprimantur. Expressio in duplo aut triplo iusculi carnium euchymi nec pinguis leviter cocti dissolvetur, sumeturque ieiuno ventriculo una vel altera ante cibum hora.

Quod si molliusculis minus forsan gratum huiusmodi iusculum, ob sennæ insuavitatem, videatur, in eodem rursus vnius li-

monis succus exprimi poterit. Sin adhuc fastidium creet, sena cum suo aniso, non super cineres calidos, verum frigidè infundetur per tres horas, dein colabitur, dissolveturque in iusculo unius mali citrij vel limonis succus, ut dictum; eoque modo omni carebit insuavitate.

Alvum laxabit huiusmodi iusculum, excrementa arefacta emolliendo & dissolvendo: ita vt in ani transitu hæmorrhoïdes non exasperet, neque dolorem ullum concitet.

Quod si propter immodicam diuturnamve ventris constrictionem, ex prædicto iusculo alvus non subducatur (quod tamen vix fieri queat) horis vespertinis, quarta vel quinta, iterandum erit, vel postridie mane.

Si quis rursus iusculum istud aversetur, illius vice ptisanæ laxativæ (posthac describendæ) haustum largiorem sorbeat, verbi, gratia sex septemve uncias, mane ieiunus sumpto, altera post hora, iusculo carnium minimè pingui.

Pro pauperibus alvo constrictis.

Infimæ angustæque sortis homines qui sumptus non ferùnt, cum nihil fastidiant, præsidio sequenti utentur.

Accipe senæ drachmas duas vel tres, seminis anisi drachmam unam. Macerentur una vel altera hora ex cineribus calidis, in aquæ communis septem vel octo, plus minus, cochleariis. Dein colentur exprimantur-

que per linteum mundum. Expreſſio in triplo vel quadruplo carnis iuſculo leviter cocto diſſolvatur, ſumaturque vt antè dictum.

Modus parandi iniectiones.

INiectiones ad plures parantur ſcopos, ut ad vulnera vel ulcera, ad penis uterique affectus : eæque ex idoneis ſiphonibus ſeu ſyringis aquis, decoctis, alijſve liquoribus oppletis, ex Medici conſilio in locum affectum intruduntur.

Iniectiones autem cum plurimum componendi modis diſcrepent, ob varietatem partium affectuumque quibus adhibentur : exactè & ad amuſſim hic deſcribi non poſſunt, ſed prout res exiget à perito decernentur Medico, vt earum ſit certior uſus. Vnum tamen alterumve pro exemplo ſuggeram, ut nonnullorum, tum curioſitati, tum neceſſitati faciam ſatis.

Iniectio ad Gonorrhœam.

Fiet iniectio ex lactis ſero, vel ex aqua hordei tepida, ineunte morbo. Deinde addetur ſyrupus roſarum ſiccarum ; uncia una cum dimidia ſcilicet, aut unciæ duæ ſyrupi ad uncias octo alterius liquoris.

Circa initium etiam vbi ingens erit ardor inflammatioque, fiet iniectio, æſtate, ex

hordei, plantaginis, solani, nymphææ decocto; hyeme vero ex stillatitijs aquis istarum herbarum. In acerbo urgentique dolore ex lacte vaccino recenter mulcto iniectio parabitur.

Modus parandi pessaria.

PEssus sive pessarium glande crassius est, solique adaptatur vtero: conficiturque ex gossipio, serico, panno lineo vel lana pexa, in quibus medicamenta immiscentur: involuunturque omnia panno lineo vel sericeo tenuissimo, deinde vino, aqua, succo liquoreve alio idoneo imbuta in uteri collum intromittuntur.

Pessi etiam ex herbis, seminibus, floribus &c. in mortario contusis (nec citra fructum) concinnari possunt, linteoque pertenui involuti aliorum more intruduntur.

Nota, in pessarij extremo addendum esse laqueum vel tæniam molliculam ut coxæ alligetur, tum ne ab utero attrahatur, tum ut facilius retrahatur.

Pessus ad ciendas menstruas purgationes.

Accipe mercurialis duos tresve manipulos. Tundantur in mortario cum pistillo, involuantur linteo tenui, fiatque pessus, qui succo eiusdem herbæ imbutus intrudetur.

Pessus ad menstruas purgationes sistendas.

Accipe sequentium herbarum folia; cen-

tinodiæ (Gallis *de la renoüée*) plantaginis, pentaphylli, verbasci, cuiusque manipulum dimidium. Tundantur simul (ubi mundatæ lotæque fuerint) in mortario, fiantque pessi succo conveniente immersi, intromittendi sicuti dictum.

Modus parandi ptisanam ad potum ordinarium.

ACcipe hordei communis præparati (hoc est expurgati limpidáque aqua eloti) manipulum unum, seminis anisi drachmam unam. Bulliat utrumque in aquæ fluvialis alteriusve bonæ libris quatuor in vase figulino vitrato oris angusti, operculato, duabus tribusve ebullitionibus. Tum immitte unciam dimidiam, liquiritiæ selectæ, etiam præparatæ (hoc est rasæ & contusæ) exprimeturque. Vbi spumam amplius non emittet, ab igne ptisana removeatur, quæ refrigerata, erit pro potu ordinario.

Non desunt quibus liquiritia mirum in modum sapit, alij contrà quibus est fastidio: tunc augebitur vel imminuetur liquiritiæ quantitas, vel illius loco sive cum illa, adjicies oxalidis, vel graminis radicem, rasuram cornu cervi vel eboris, vel alia medicamenta, ex Medici præscripto.

Modus parandi aquam hordei.

ACcipe hordei communis manipulum unum. Bulliat in libris duabus aquæ ad quadrantis consumptionem. Extracta ab igne, refrigerata, coletur per linteum mundum ad vsum. Si ad potum paretur, incoquendum seminis anisi vel cinnamomi modicum.

Aqua refrigerans & pergrata, in febribus continuis vsurpanda.

Accipe aquæ bonæ libras duas. Diluantur in ea sacchari optimi unciæ tres. Bulliant leviter, superadditis succi limonum uncijs tribus; iterumque unico fervore bulliant. Deinde ab igne amoveantur, modicè refrigerata per pannum stamineum vel lineum mundum bis terve trajiciantur ad usum propositum.

Nota, sacchari vel succi limonum dosim augeri vel imminui, ex gustu & placito ægrotantis.

Modus sumendi pulverem bezoardicum; expresso pretio cuiusque grani.

QVoniam hic sermo est de ptisanis simplicibus ad apparandos humores, non abs re erit modum lapide bezoardico utendi subjicere. Etsi vero non fere occurrat alius quam adulteratus, commenti-

tiaque omnia existimem, quæ de illius lapidis facultatibus passim decantantur : hic tamen aliqua de eo perstringam in eorum gratiam quibus circumveniri cordi est.

Accipe lapidis bezoardici pulverati grana quatuor, sex, octo, decem vel amplius. Mittatur in cochlear ptisanæ vel succi limonis quo diluatur, modicum affundendo; sumaturque.

Monitum lectorem velim, granum lapidis bezoardici optimi non pluris uno asse valere. Quam ob rem autor sum ijs, qui illum adeo ex sensu vulgi ad variolas, morbillos febresque purpuratas commendant (quod fallacissimum tamen existimo, vt singulari de lapide bezoardico tractatu docebo) vt ab aromatarijs duas drachmas, vel unciam dimidiam comparent. Drachma autem tribus libris, seu assibus sexaginta monetę Gallicæ venditur. Ea proportione vncia dimidia, quæ constat drachmis quatuor, libris duodecim væniet : impendeturque tam ad domesticos, quam externos, inopia reive familiaris angustia pressos, quandoquidem vilis adeo pretij est.

Modus parandi hydromel simplex.

ACcipe aquæ fluvialis seu alterius bonæ libras quatuor, mellis uncias quatuor. Bulliant in vase figulino oris angusti vitrato operculatoque, seu alio idoneo, spuma continue

tinuò abiecta. Quo facto spumaque omni deposita, ab igne remouebitur, refrigeratusque liquor ad usum insumetur. Dosis est unciarum octo.

Sunt qui mellis uncias duas ad aquæ libram unam adæquant. Verum non nisi ex Medici præscripto, vel ægrotantis gustu augenda imminuendave est mellis quantitas: Sunt enim quibus perplacet; aliis secus.

Modus parandi Hydromel compositum.

PRimum fiat decoctio medicamentorum à Medico præscriptorum. Deinde in decocto colato mellis quantum satis incoquatur.

Modus parandi Ptisanam laxatiuam.

ACcipe liquiritiæ præparatæ unciam unam, unciam dimidiam, drachmas sex, ex peculiari cuiusque gustu. Coquatur in aquæ libris duabus, dum spumam omnem abiecerit. Tum ab igne amoueatur, in eaque per noctem maceretur senæ uncia dimidia, seminis anisi nodulo laxiore ex panno lineo mundo involuti drachma una. Postero die mane percolabitur, sumenturque in quamque dosim quinque vel sex unciæ, superhausto, duabus post horis, iusculo minime pingui.

Si ptisanam efficaciorem expetas, pro

libris duabus aquæ, accipe duntaxat libram unam cum dimidia.

Alia Ptisana laxatiua.

ACcipe hordei communis præparati manipulum unum, rasuræ cornu cervi & eboris, cuiusque pugillum unum. Rasura ista linteo tenui mundo includatur. Bulliant in aquæ bonæ libris duabus. Adiice liquiritiæ, vt decet, præparatæ unciam unam, plus, minus, ex vario gustu. Vbi probè despumaverit, infundatur nodulus ex sena cum semine anisi vel fœniculi, ut dictum est.

Æstate accipe aquæ fluvialis seu alterius bonæ libram unam. Immitte in aqualiculum cum liquiritiæ præparatæ uncia dimidia, senę drachmis duabus, seminis fœniculi drachma una. Agitentur omnia duobus aqualiculis, ex uno in alterum pluries transfundendo. Dein duabus tribusve horis subsidere sinantur, hinc ad usum percolentur.

Si ad haustum seu dosim matutinam tota nocte infusio fiat, efficacior erit.

Isthæc ptisana æstatis tempore ex aqua fluviali parabitur, quæ ex radiis solis veluti percocta est.

Medicamenta infusa, si lubet, relinqui poterunt, fietque colatura pro quaque dosi. Poterit etiam includi in eodem nodulo cum sena drachma una & vltra, rhabarbari optimi minutim incisi, cum pauco cinnamomo; vel tantundem agarici pulverati, cum tantillo zingiberis, sed non inconsulto Medico.

Alia Ptisana laxatiua.

Accipe senæ unciam semissem, seminis anisi drachmam unam, pulpę cassię cum acinis extractę unciam unam. Injiciantur omnia in vas figulinum vitratum, affundendo libram unam cum dimidia ptisanæ communis adhuc ferventis. Operiatur vas, omniaque per noctem integram infundi finantur, hyeme non procul à foco; æstate super abaco vel alibi commodè. Ieiuno ventriculo mane sumetur dosis una ampliori hausiu, colata prius per linteum mundum, duabus ante cibum horis, residuo in dies sequentes servato, prout expedire Medicus arbitrabitur.

Ptisana laxatiua cum sena, rhabarbaro & agarico.

Accipe aquæ opt. libram unam semissem. In ea bulliat despumeturque glycyrrhizæ uncia una, plus vel minus, ut pluries dictum. Extracto ab igne vase infundatur per noctem senæ nodulo inclusæ uncia dimidia, cum suo aniso; quo etiam in nodulo adjungentur rhabarbari conciси drachma una & dimidia, & tantillum cinnamomi; agarici tenuiter conquassati drachma una, cum modico zingibere item conquassato. Postridie colentur omnia per linteum mundum, pro duabus dosibus.

Alia Ptisana laxatiua cum cassia & sena.

Accipe liquiritiæ præparatæ unciam unam. Bulliat ad integram despumationem in aquæ libris duabus. Tum injiciatur pulpa

cassiæ cum acinis, ex uncijs duabus cassiæ integræ extracta. Vnico fervore bulliant. Extracto ab igne vase, tota nocte procul ab igne nodulus infundetur, in quo sennæ uncia dimidia cum aniso inclusa fuerit. Postridie mane amplo cyatho dosis una sumetur.

Advertendum erit (sicuti dictum est cùm de ptisana cum senna agebatur) in ijs qui alvo sunt impensè astricta, si dosis matutina ventrem non solverit, iterandam aliam dosim hora quarta vel quinta pomeridiana eiusdem diei, vel postero die mane ieiuno ventriculo.

Tribus matutinis consequentibus prædicta ptisana sumi potest, vel alternis diebus, prout Medicus ex re esse iudicaverit, qui ex affectuum symptomatumque ipsi perspectorum natura medicamenta augebit, imminuet, variabit, sicut expedire cognoverit.

Cæterum hîc obiter moneo, ptisanas has laxatiuas esse (ut ita dicam) velut manna salutare, tum pro ditioribus, tum pro tenuioris fortunæ hominibus. Vilissimo enim pretio parantur, (licet magnæ sint efficaciæ & virium) vicemque potionum purgantium & clysterum subeunt, calculique generationem prohibent. Nec adeo sunt insuaves, ob multam liquiritiam, quæ medicamentorum ingratum saporem (servata tamen virtute) lenit & eludit. Vnde non levis ijs habenda gratia, qui huiusmodi excogitarunt invexeruntque remedia, nec non ijs

qui modum ea domi parandi edocent. Quanquam non temerè (ne malè cedat) inconsulto Medico usurpanda sint.

Modus parandi aquam Cassiæ.

ACcipe cassiæ integræ uncias quatuor. Conquassetur. Medulla cum acinis in aquæ libras duas immittatur, addita drachma una semisse cinnamomi conquassati. Bulliant omnia unica ebullitione, & per pannum mundum trajiciantur; sumantur in duas saltem doses hausiu largissimo.

Incoqui etiam potest thamarindorum uncia una & ultra, plus minus, (cum istæ doses in benignissimis medicamentis non sint rigidè observandæ.) Infundi interdum quoque poterit drachma una vel altera rhabarbari conquassati, sed non citra periti Medici consilium.

Ea servata methodo facilè parari poterunt decocta guaiaci, sarzæ parillæ, chinæ & similia, ad morbos qui vulgari non debent; nec tot ministris & testibus curari, honoris salutisque laborantium gratia, vocatis duntaxat Medico & Chirurgo, qui Hippocratico, imo Harpocratico silentio rem perficiant. Difficultas seu potius industria in prædictis medicamentis adhibenda circa eorum præparationē, iustam infusionē, & coctionem convenientem maximè versatur, quanquam id non ægrè peragi potest.

Alia aqua caſſiæ.

Accipe duas treſve radices cichorij ſylveſtris, totidem taraxaconis, vulgo dentis leonis. Mundentur, id eſt laventur, detracto meditullio lignoſo. Bulliant in aquæ fluvialis vel alterius bonæ libris tribus, ad tertiæ partis conſumptionem, iniecta ſub finem liquiritiæ raſæ & contuſæ uncia dimidia, cum uncijs quatuor caſſiæ fiſtulæ, piſtillo ferreo conquaſſatę. Auferatur ab igne, remiſſoque fervore per linteum mundum trajiciatur ad uſum.

Alia aqua caſſiæ refrigerans & aſtringens.

Accipe foliorum agrimoniæ & plantaginis, cuiuſque manipulum unum: ſeminum portulacæ & plantaginis contuſorum, cuiuſque drachmas duas. Bulliant omnia in tribus libris aquæ, eo quo dictum eſt modo. Si ad purgationem iſta aqua caſſię uti volueris, cyathum unum ex illa ſumes, in eaque diſſolves ſyrupi roſarum pallidarum, aut ſyrupi de cichorio compoſiti cum rhabarbaro, alterutrius unciam unam; ſive infundes cum aniſi ſemine ſenæ unciam ſemiſſem, ex Medici præſcripto.

Obſeruandum, ſi caſſia fiſtula piſtillo contundatur, mundandam eſſe, imo abluendam, ne ſordes aliqua adhæreat. In apparatu enim medicamentorum gratia, quoad fieri poteſt, procuranda, quæ & per ſe iucunda eſt, & ægro conducit.

Modus parandi aquam rhabarbari.

BVlliant aquæ optimæ libræ tres in vase figulino vitrato operculato, uno aut altero fervore. In vase ab igne summoto, decoctoque adhuc calente infunde rhabarbari minutim inciſi, cum pauco cinnamomo conquaſſato, drachmam unam, ad uſum à Medico præſcribendum.

Radices taraxaci, oxalidis, liquiritia, raſura cornu cervi & eboris incoqui ſimul poſſunt. In decocto autem nonnihil adhuc calente infundatur rhabarbarum cum cinnamomo.

Sunt qui rhabarbarum ſic inciſum aut conquaſſatum in nodulo laxiore cum ſuo cinnamomo infundant. Vt aqua rhabarbari maiorem vim purgatoriam nanciſcatur, addi poteſt in dicto nodulo ſena ea quantitate quæ inſtituto conveniat.

Potus ſingularis gratiſſimuſque ad refrigerandum, ſedandamque ſitim in febribus ardentibus.

Accipe aquæ optimæ libras tres. Bulliant in vaſe idoneo, quale eſt figulinum vitratum operculo munitum, uno aut altero fervore. Amoveantur ab igne, in eoque decocto adhuc calente & in diſcum vel paropſidem effuſo diſſolvantur cum ſpathula vel argenteo cochleari thamarindorum unciæ tres. Dein immittantur in vas prædictum cum uncijs

tribus ſacchari optimi, unicoque duntaxat fervore bulliant. Hoc peracto vas ab igne extrahatur, refrigeretur, liquorque ad uſum opportunum inſumatur.

Pro ſaccharo liquiritiæ præparatæ, hoc eſt raſæ & contuſæ, drachmæ tres ſubſtitui poterunt; ſaporis tamen minus eſt grati.

Ius ſenæ purgans.

Accipe ſenæ unciam ſemiſſem, ſeminis aniſi aut fœniculi drachmam unam. Infunde nocte integra in aquæ unciis octo vel pluribus, addendo ſuccum unius limonis, paropſide in qua fit infuſio igni non applicata. Poſtridie mane per linteum traiicietur cum mediocri expreſſione. Expreſſum diſſolvatur in iuſculo non pingui, abſque ſale vel quam pauciſſimo.

Gratius autem ut iuſculum iſtud euadat, ſuccum alterius limonis in eo rurſus exprimes, ſumeſque ieiuno ventriculo cum cuſtodia.

Sunt qui ſenam cum ſuo aniſo omphacio infundunt, ſed minus purgat. Quia omphacium cũ ſit aſtringens, vim purgatricem imminuit. Limonis autem ſuccus magis laxat, ſaltem non ita aſtringit, meatque liberiùs.

Ius ſenæ purgans, pro pauperibus.

Quibus non ſuppetit facultas iuſculum exquiſitiori iſto modo parandi, quibuſque nihil ingratum & infenſum; infundant per noctem ſenæ cum ſemine fœniculi unciam ſemiſſem in aqua aut ptiſana fervente.

Postridie mane leviſſimè bulliant, colentur & exprimantur per linteum mundum. Expreſſum in iuſculo copioſo pinguedinis & ſalis experte, vel cum minimo, diſſolutum, ſumatur cum cuſtodia.

Modi medicamenta purgantia multifariam parandi.

ACcipe ſenæ electæ unciam ſemiſſem, ſeminis fœniculi drachmam unam. Infundantur per noctem in ptiſanæ communis calentis unciis ſex, paropſide in qua fit infuſio operta, nonnihilque ab igne remota. Mane leviter fervefiat, exprimaturque mediocriter. In expreſſo liquore diſſolve ſyrupi roſarum pallidarum unciam unam. Sumatur frigidiuſculè ieiuno ventriculo, hauſto, tribus à ſumptione horis, iuſculo nec pingui, nec ſalito, non dilato poſt ſumptum hoc iuſculum ultra ſemihoram prandio.

Aliud medicamentum purgans.

Accipe ſenæ cum aniſo unciam ſemiſſem. Bulliat in aquæ aut ptiſanæ communis unciis octo. Colętur ex linteo, diſſolvaturque ſyrupi roſarum pallidarum uncia una cum dimidia, ſervatis quæ ſupra.

Aliud medicamentum purgans, cum ſena, rhabarbaro, agarico & ſyrupo roſarum pallidarum.

Accipe ſenæ unciam ſemiſſem, ſeminis aniſi viridis drachmam unam. Bulliant le-

viuſculè in ptiſanę communis, vel aquæ hordei aut cuiuſlibet alterius decocti conuenientis, ex conſilio Medici, unciis octo. Colentur exprimanturque mediocriter. In liquore colato infunde per noctem, loco moderatè calido, agarici minutim inciſi drachmas duas, cum modico zingibere, rhabarbari electi pariter inciſi drachmam unam ſemiſſem. Poſtridie ſummo mane leviter omnia ferveſcant, mediocriterque per linteum exprimantur: diſſolvaturque in colatura ſyrupi roſarum pallidarum uncia una. Propinetur tribus ante iuſculum horis, cum cuſtodia.

Medicamentum purgans, cum decocto radicum, herbarum &c. ſenæ, caſſiæ, rhabarbari, & ſyrupo roſarum pallidarum.

Accipe duas treſve radices cichorij ſylveſtris, totidemque oxalidis. Laventur, detracto prius meditullio lignoſo. Accipe item radicis graminis raſæ & contuſæ bacillos quinque vel ſex: liquiritiæ præparatæ drachmas tres, agrimoniæ, betonicæ, ſcolopendrij, bugloſſi, borraginis, oxalidis, portulacæ, lactucæ, cuiuſque manipulum ſemiſſem, additis, ſi lubet, ſeminibus & floribus. Omnia benè mundata elotaque in aqua limpida, bulliant uſque ad perfectionem in vaſe figulino vitrato, aut alio idoneo in aquæ fluvialis aut alterius bonæ ſufficienti quantitate, ſuo quæque ordine, primò radices, deinde herbæ, demum flores & glycyrrhiza.

Prædicti decocti colati quantitas iusta servetur ad catharticum sequens concinnandum.

Accipe senæ unciam semissem, seminis fœniculi vel anisi viridis drachmas duas. Ponantur in paropside cum medulla & acinis cassiæ, ex unciis quatuor fistulæ integræ conquassatæ, rhabarbari minutim incisi drachma una, vel drachma una dimidia. Hoc facto omnia perfundantur præscripti liquoris adhuc calentis quantitate sufficienti per integram noctem. Operiatur paropsis, serveturque in loco modicè calido. Mane leviusculè bulliant, deinde colentur ex panno lineo mundo, cum expressione mediocri. In expresso liquore dissolvatur syrupi rosarum pallidarum uncia una: Qui refrigeratus sumetur, servato suprascripto regimine.

Modus alius facilior parandi medicamentum purgans suprascriptum.

ACcipe senam & fœniculum. Bulliant in dicti decocti quantitate sufficienti: Vel tribus quatuorve horis infundantur in decocto illo adhuc calente, loco moderatè calido. Colentur & exprimantur ut dictum est. In colatura infundentur per noctem cassia & rhabarbarum, deinde mane traijcientur & exprimentur. In expresso autem liquore dissolves syrupum rosarum pallidarum, vt dictum est.

Magma seu materia post expressionem

residua ad clysterem servari poterit, & in decocto conveniente, quale Medicus instituet, incoqui. Colabitur deinde; exprimetur dissolveturque in expresso mel, saccharum rubrum, butyrum seu quid aliud simile.

Medicamentum istud æquè valet efficaxque est, ac si constaret catholico duplicato rhabarbaro, vel syrupo de cichorio cum eodem rhabarbaro.

Advertendum præterea, quod si non sit commodum vel facile prædictas radices, herbas, semina & flores apparare, sumi poterit aqua hordei vel ptisana ordinaria, vel aliud decoctum à Medico probatum, in quo dissolvetur syrupus rosarum pallidarum, vel succus unius limonis.

Aliud medicamentum purgans pro delicatis.

Accipe senæ cum semine fœniculi unciam semissem, pulpæ cassiæ recens extractæ cum acinis unciam unam. Infundantur omnia per noctem in ptisanæ unciis quatuor. Postridie mane tantisper fervefient, traijcientur & exprimentur per linteolum mundum, diluendo in liquore expresso succum unius limonis. Refrigeratus sumatur.

Aliud medicamentum laxans.

Accipe senæ unciam unam, seminis anisi viridis drachmam unam. Bulliant omnia leviusculè in ptisanæ quantitate sufficienti. Colentur & exprimantur. In expresso dissolve catholici duplicato rhabarbaro accuratè præparati unciam unam semissem, dia-

phœnici drachmam unam semissem, syrupi rosarum pallidarum unciam unam. Propinetur.

Aliud haud ingratum.

Accipe senæ unciam semissem, seminis fœniculi viridis drachmam unam. Infunde per noctem in decocto oxalidis, ptisana communi vel sero lactis depurato. Postridie mane fiet colatura simplex citra ullam calefactionem, ex linteolo mundo. In colato & expresso liquore dissolvetur syrupi violati uncia una, vel tantundem syrupi de limonibus, vel succus ex iis expressus.

Medicamentum purgans pro robustioribus.

Accipe senæ cum semine anisi unciam semissem. Infundantur per noctem in ptisana vel alio decocto, ex præscripto Medici; infundantur, exprimanturque. In expresso dissolve electuarij diacarthami drachmas tres, vel unciam semissem, cum syrupi rosarum pallidarum uncia una.

Medicamentum purgans pro debilibus.

Accipe senæ drachmas duas, seminis fœniculi viridis drachmam semissem, rhabarbari optimi minutim incisi drachmã unam semissem. Ponantur simul in paropside, affusa ptisanæ sufficienti quantitate. Postero die mane leviter fervefiant, dein per linteum mundum traijciantur cum expressione mediocri, in qua drachmæ duæ, tres vel uncia semis sacchari pulverati, saporis gratia,

diluantur, sumanturque duabus ante iusculum horis.

Medicamentum purgans pro pueris lactentibus.

Accipe syrupi de cichorio cum rhabarbaro unciam semissem. Propinetur per se vel in dupla quantitate ptisanæ dissolutus.

Vel totam noctem in ptisana vel aqua saccharata calidiuscula sennæ drachmam unam infunde. Coletur, exprimatur & propinetur.

Vel rhabarbari optimi minutim incisi drachma una, per noctem in aqua saccharata aut ptisana infundetur, vt de sena dictum. Postridie mane traijcietur, leviterque exprimetur ad usum.

Modus præparandi bolos ex cassia.

Accipe cassiæ fistulæ uncias sex. Mundetur & extrahatur ex fumo decoctionis seminis anisi viridis, quod fiet sequenti modo.

Accipe seminis anisi unciam semissem. Bulliat uno vel altero fervore in libra una aquæ. Postea mittantur omnia in paropsidem subiectam cribro, ad cassiam mundandam & traijciendam idoneo, in cuius extima superficie pulpa cassiæ cum acinis imposita fuerit. Hoc facto medulla ex prædicto cribro traijcietur, eradeturque ex interiori cribri parte cum cochleari. Ex ea bolos con-

cinnabis, ad instar prunorum vorandos, pulvere sacchari optimi prius conspersos, vel obeliis aqua vel vino dilutissimo madidis involutos. Post horæ quadrantem vel semihoram sumendum iusculum pinguedinis expers, cum pauxillo sale; vel iusculum cum sena, prout sequitur.

Vespertinis horis infundes in duobus vel tribus aquæ cochlearibus & tantundem succi limonum drachmam unam, vel drachmam unam semissem; senæ electæ, cum seminis fœniculi drachma semisse. Postridie mane colatura leviscque expressio fiet, quam in aliquo ex prædictis iusculis dissolves. Cibus tribus à sumpto medicamento horis differetur, servabiturque eo die custodia.

Misceri potest cum cassia pulpa rhabarbari optimi in pulverem redacti drachma una, ex Medici præscripto.

Observandum est, cassiam mundari in fumo decoctionis seminis anisi, seu illius loco fœniculi recentis: quia cum sit flatuosa, tormina doloresque generat colicos, atque etiam in cerebrum vapores emittit, unde capitis dolor (Græcis cephalalgia) in dispositis ut plurimum excitatur.

Bolus ex cassia ad purgandos refrigerandosque renes.

Mundentur traijcianturque per cribrum unciæ sex cassiæ fistul. ut ante dictum. Misceatur cum pulpa ab illa extracta liquiritiæ pulveratæ drachma una. Inde formabuntur

boli, ex cochleari vorandi; exactaque dimitaxat semihora unum ex prædictis iusculis sorbebitur, in quo unius limonis succus dissolutus fuerit.

Bolus ex cassia cum terebinthina in gonorrhœa.

Accipe medullam extractam ex unciis quatuor cassiæ fistul. Immisce ex gladij mucrone, vel spathula lignea terebinthinæ Venetæ electæ non lotæ drachmam unam vel duas. Inde concinnentur boli, eo modo vorandi quo supra. Iusculum non ultra semihoram differetur, radicibus herbisque refrigerantibus alteratum, in quo unius limonis succus exprimetur.

Alius bolus ex cassia.

Accipe medullam ex unciis quatuor cassiæ fistul. extractam. Admisceatur diapruni solutivi drachma una cum semisse, vel drachmæ duæ: finganturque boli, modo exposito vorandi, dilato sub hac forma ad duas horas iusculo.

Bolus pro puerulis lactentibus.

Accipe medullæ cassiæ recenter extractæ drachmas tres. Exhibeantur puerulo ad modum pultis, porrecta post quemque bolum mamma, ut exsucto lacte facilius deglutiatur.

Bolus pro pauperibus.

Accipe unciam unam semissem electuarij lenitivi fideliter dispensati. Fiant boli, à quibus deglutitis iusculum pinguedinis expers

expers intra horæ quadrantem vel semihoram propinetur.

Alius pro iisdem.

Accipe catholici duplicato rhabarbaro unciam unam, diapruni laxativi drachmas duas. Misceantur ex gladij mucrone, fiantque boli, duabus ante iusculum horis deglutiendi.

Modus parandi vomitoria.

NOtandum, oppottunum tempus vomitoriis tuto & facile utendi, esse quum cibis ventriculus distentus est, à pastu scilicet: illis enim citra difficultatem exeuntibus, praui quoque humores in ventriculi fundo existentes absque ulla vel saltem minima molestia consequuntur.

Vomitorium commune.

Accipe aquæ tepidæ cochlearia duodecim, olei communis tria vel quatuor cochlearia, seu butyri recentis liquefacti unam vel duas uncias. Misceantur deglutianturque, iniecto aliquanto post in gulam digito, si vomitus diutius protrahatur.

Aliud vomitorium.

Accipe raphanos bene mundatos & contusos tres vel quatuor, seminis maluæ pariter contusi unciam semissem. Bulliant in aquæ libra una ad medietatis consumptionem, in eaque dissolves oleum commune vel butyrum recens liquefactum ad pro-

uocandum vomitum.

Vomitorium fortius.

Accipe folia asari viridia septem vel octo. Tundantur in mortario ad succi expressionem, qui cum duplo vel triplo vini albi vel aquæ hordei immistus, sorbeatur tepidus.

Modus instituendi masticatoria.

OMnium facillimum usitatissimumque est ex integra mastiche, quæ simpliciter masticatur, & pituita è cerebro in palatum destillans expuitur. Mane autem ieiunoque ventriculo id præstetur.

Aliud masticatorium.

Mastiche cera liquefacta excipiatur, oleique modico cum pipere, pyrethro, & staphisagria in pulverem redactis; fiant pilulæ, quarum una masticetur, ut dictum; ad potentius è cerebro pituitam superfluam eliciendam.

Aliud masticatorium.

Accipe piperis & pyrethri, cuiusque drachmam unam semissem. Redigantur in pulverem, excipiantur melle, fiantque boli fabæ magnitudine, in umbra exsiccandi; quibus utendum, ut antè dictum est.

Modus parandi gargarismata.

ACcipe ptisanam communem ante descriptam. Ex illa topida os & gula

colluantur, immiscendo, si lubet, in ptisanæ libra una mellis communis unciam unam.

Aliud gargarisma.

Accipe aquæ hordei libram unam, indito quantum opus erit aceto, ut quatuor quinqueve cochlearia ad oxycrati formam. Vtere ad oris collutionem.

Aliud item.

Accipe hordei selecti, repurgati & loti manipulum unum, agrimoniæ, plantaginis, rosarum rubratum, sive siccarum, sive recentium; cuiusque manipulum unum. Mundentur, lavantur, bulliantque herbæ istæ in aquæ libris duabus, hordeo ante herbas præmisso, ut terno quaternove fervore bulliat, decoctumque ad libram unam colatam redigatur. In qua dissolves mellis opt. cochlearia quinque vel sex, aut syrupi de moris parem quantitatem. Vtere ut supra.

Gargarisma os gulamque leniens.

Accipe amygdalas dulces viginti aut triginta. Excorticentur tundanturque in mortario marmoreo vel ligneo, sensim affundendo aquæ calentis uncias decem. Deinde in paropsidem transfundantur, stentque per semihoram supra cineres calidos, traijciantur per linteum tenue & mundum leviter exprimendo. Liquore expresso refrigerato utendum. Si gratius gargarisma expetatur, poterit, si lubet, saccharum adijci.

Gargarisma anodynum, pro pauperibus.

Lac vaccinum tepidum ad id aptissimū est.

Gargarisma astringens & repellens.

Accipe hordei manipulum vnum, plantaginis, polygoni, oxalidis, cuiusque manipulum unum, rosarum rubrarum manipulum semissem. Bulliant omnia suo ordine in aquæ sufficienti quantitate, quæ ad libram unam post colaturam redeat. In ea dissolve syrupi de moris uncias duas vel tres, ad palati collutionem.

Modus parandi emulsiones.

Emulsio ad refrigerandum renes, ardoremque vrinæ mitigandum.

ACcipe amygdalarum dulcium uncias duas. Excorticentur tundanturque in mortario marmoreo cum pistillo ligneo; seminum quatuor frigidorum maiorum mundatorum unciã unã cum dimidia, quæ pariter contundantur, sensim affuso sero lactis, vel ptisana seu aqua hordei calente, ad libræ unius cum semisse quantitatem. Omnia postea traijciantur ex linteo tenui & mundo, fiatque expressio. In colato liquore dissolve sacchari optimi unciam unam cum dimidia, succi limonum uncias duas. Vel pro succo limonum & saccharo, substitui poterunt syrupi limoniorum unciæ quatuor vel quinque. Sic parata emulsio in tres dividetur doses, sumendas tribus horis à cibo, duabusque ante cibum.

In immoderato renum ardore, contundantur cum amygdalis & seminibus prædictis, seminis papaveris albi uncia dimidia, sive seminis papaveris albi & seminis lactucæ, cuiusque drachmæ duæ.

Notandum est, ubi ista addenda erunt semina, in mortario prius esse contundenda, affundendo aquæ vel ptisanæ calentis modicum. Postea tundentur amygdalæ & semina frigida, prout antè dictum est. Vel sic melius.

Accipe quatuor seminum frigidorum maiorum recenter mundatorum uncias duas. Bulliant bino vel terno fervore, in aquæ libra dimidia ut molleſcant. Abiecta aqua probè contundantur in mortario marmoreo cum pistillo ligneo, donec velut in formam pastæ redigantur. Addatur deinde amygdalarum dulcium mundatarum uncia una cum dimidia, pariterque contundantur. Hoc facto libras duas aquæ hordei calentis sensim affundes, in qua leviusculè bullierint sacchari optimi minutim confracti unciæ tres. Omnia deinde per linteum mundum traijciantur. Colatus expressusque liquor emulsio est. Si lubet succi limoniorum duæ tresve unciæ addi poterunt. Vbi autem res exiget, papaveris albi semen, simul cum prædictis seminibus frigidis maioribus bulliet, pariterque in mortario contundetur, amygdalis mundatis postremo additis, prout dictum est.

Modus facillimus usitatißimusque.

ACcipe seminum integrorum cucurbitæ, melonis, cucumeris, cuiusque unciam semissem. Contundantur probè in mortario marmoreo cum aquæ calentis modico, dein addantur amygdalarum dulcium mundatarum unciæ duæ, simulque tundantur, affundendo sensim seri lactis, ptisanæ vel aquæ calentis circiter libram unam cum dimidia. Omnia deinde traijciantur, dissolvaturque in colatura quod superiori scriptum est articulo.

Alius item modus.

Accipe hordei communis purgati & loti manipulum unum. Includatur in linteo albo & tenui; seminum frigidorum maiorum uncias sex. Bulliant in libris novem vel decem aquæ communis optimæ, ut redeat ad libras quatuor colatas. Seorsim hoc decoctũ servetur, abiecto hordei nodulo. Deinde semina prędicta mollificata in mortarium marmoreum mittantur, modiceque cum pistillo ligneo contundantur. Hinc adijciantur amygdalarum mundatarum unciæ sex. Omnia tandiu contundantur, donec pultis vel pastæ molliusculæ crassitudinem acquirant, per vices (ut res melius fiat) prædictum decoctum tepidum affundendo. Hoc facto residuum decocti priùs calefacti affundetur, omnia simul probè miscendo. Postea per

linteum tenue & mundum traijcientur. In colatura sacchari optimi unciæ quatuor, cum succi limoniorum unciis decem dissolventur, bullientque leviſſimè in cacabo stannato vel vase alio idoneo. Emulsio sic parata in phiala vitrea vel figulina servabitur in plures doses, libræ dimidiæ pro unaquaque dosi.

Alius modus facilior.

Accipe seminis cucurbitæ, melonis & cucumeris, cuiusque unciam semissem. Bulliant in duabus vel tribus libris aquę, ut molescant ad faciliorem contusionem. Decocti residuum seponatur. Semina autem mollificata mortario indantur marmoreo, contundanturque. Vbi mediocriter contusa fuerint, addantur amygdalarum dulcium mundatarum unciæ duæ, irrigentur per vices inter mundandum, tantillo istius decocti vel aqua tepida, ut omnia ad instar pultis redigantur. Hoc facto addetur serilactis depurati vel prædicti decocti, vel aquæ calentis ad quantitatem libræ unius cum semisse. Omnia probè commista cum pistillo ligneo, traijcientur per linteum album tenue & mundum, addendo sacchari optimi unciam unam cum dimidia, cum succi limonum unciis duabus, vel loco sacchari & succi limonum quatuor vel quinque uncias syrupi limoniorum, vt iam antè dictum: unico fervore supra cineres calidos vel foculum in disco capaciori bulliant, antequam recondantur.

Modus parandi lac amygdalinum.

ACcipe amygdalarum dulcium mundatarum uncias tres vel quatuor. Contundantur, ut decet, in mortario marmoreo cum ligneo piſtillo, aqua calente ſenſim affuſa uſque ad libræ unius & ultra quantitatem. Omnia dein traijciantur per linteum albũ & tenue, fortiter exprimantur, expreſſuſque liquor in vas fictile vitratum, vel in diſcum ſupra foculum mittatur, cum ſacchari uncia una, ſaliſque duobus tribuſve granis, ſi lubet, ecuendi ſaporis gratia. Deinde lento igne fumo experto coquatur, continuo agitando cum cochleari per aliquod temporis ſpatiũ, donec iſte liquor mediocrẽ quandam conſiſtentiam conſequatur, ut nec dilutior ſit, nec craſſior. Tum ab igne deponatur, fundatur in paropſidem, ſumaturque ante ſomnum, hora nona vel decima veſpertina. Sunt qui loco aquæ communis utuntur aqua hordei aut ptiſana. Sed cum liquoris candorem nonnihil minuant, ideoque gratiæ aliquid illis decedat, delicatis alterutrum liberum relinquo.

Non deſunt etiam, qui cum amygdalis panis ſiliginei medullam, ut lac amygdalinum candidius magiſque nutriens evadat, contundunt; quod minimè improbo.

In ingenti renum ardore, vel excitandi ſomni gratia, cum prædictis amygdalis ſe-

minis papaveris albi drachmæ tres & ultrà si res exigat, ex consilio Medici addi poterunt. Eo casu contundendum erit semen istud ante amygdalas, ut sequitur.

Modus parandi lac amygdalinum cum semine papaveris albi.

ACcipe seminis papaveris albi drachmas tres vel unciã semissem, si morbus postulet. Bulliant bino vel terno fervore in aquæ libra una cùm dimidia, ut molleſcant. Omnia deinde in mortarium mittantur marmoreum. Hoc facto effundetur, inclinando, decoctum istud solum in paropsidem vel aliud vas mundum, servabiturque separatim: deinde semen papaveris contundetur in mortario per semihoram cum pistillo ligneo, addendo postquam contusum fuerit, amygdalarum dulcium mundatarum uncias tres. Omnibus accuratè contusis commistisque, ad maiorem candorem & nutricatum addetur panis siliginei medulla ad unciam unam vel duas, affuso per vices inter contundendum prædicti decocti modico, ut omnia ad pultis consistentiam redigantur. Hoc facto residuum decocti calentis, vel quantum satis erit sensim affundetur, omnia exactè cum pistillo contundendo permiscendoque. Tum omnia traiiciantur exprimanturque per linteum mundum. In colatura dissolue sacchari unciam unam,

salis duo triave grana. Bulliat in disco ex foculo, bino vel terno fervore: dein extrahatur ab igne, exhibeaturque modicè calidus ante somnum, circa nonam vel decimam vespertinam.

Modus parandi hordeum mundatum.

ACcipe hordei mundati unciam unam vel duas; &, si lubet, quatuor seminum frigidorum maiorum in mortario contusorum unciam semissem. Bulliant in vase figulino vitrato, igne perspicuo, cum aquæ libris quatuor, per tres vel quatuor horas (hoc est usque ad hordei crepaturam) ut non supersit ex decocto plus quam una paropside ampliori contineri possit: illudque per linteum mundum sine hordei expressione traiicietur. Accipe postea amygdalarum dulcium mundatarum tres vel quatuor uncias. In mortario marmoreo contundantur, sensim affuso calente decocto. Mox per linteum traiiciantur cum expressione mediocri. Expressum liquorem in vas figulinum vitratum immittatur, cum una vel duabus unciis sacchari, dein leviusculè bulliat, exhibeaturque circa horam nonam vel decimam vespertinam.

Sunt qui hordeum ubi coctum est fortiter exprimunt, alij minime, vt annotatum.

Modus parandi saccharum rosatum tabellatum.

ACcipe sacchari albissimi optimique libram semissem, aquæ rosaceæ untias quatuor. Mittantur in sartaginem mediocrem, coquantur igne lento fumi experte ad debitam consistentiam: quam agnosces primò, si tantillum istius sacchari ex spathula attollendo, filum ducat, decidensque in sartaginem ab igne remotam eiusdem consistentiæ in superficie coctura permaneat, illudque, licet perexiguum quod in spathula adhæsit, concrescat. Secundo, si tantillum in quadram vel marmor ex spathula effusũ, refrigeratum indurescat, eleueturque è quadra vel marmore citra adhæsionem. Tertiò, si pauxillum in humum proiectum, statimque sublatum, humi neutiquam adhæreat. Hoc peracto ab igne remoueatur, refrigescat paulipser, dein ex marmore vel mensa valde polita, conspersa prius pauco anisi polline, trans linteolum rarum exiliente, prædictas concinnabis tabellas, quas vocant saccharirosati.

Modus parandi frontale, ad dolores capitis frigidos.

ACcipe foliorum salviæ, roris-marini, betonicæ, melissæ, cuiusque manipu-

lum semissem. Bulliant omnia in vino albo, aut in æquis partibus aquæ & vini. Deinde ubi integrè bullierint, contundantur in mortario, involuanturque inter duo linteola, fiatque frontale, calidum fronti temporibusque applicandum.

Frontale somniferum.

Accipe betonicam, rosas rubras, nenuphar, violariam, arefacta omnia; cuiusque pugillum unum, seminis papaueris albi, portulacæ, cuiusque drachmam unam vel duas. Triturentur in mortario, primò semina papaueris & lactucæ, dein folia & flores. Pulvis oxyrhodino excipiatur, includaturque inter duo lintéola pro frontali, apponendo sicuti dictum.

Excipi etiam pulvis iste potest ex unguento rosato Mesuei.

Aliud frontale refrigerans & somniferum.

Accipe rosas rubras, sive siccas, sive recentes; vel magmatis rosarum destillatarum non torrefacti manipulum unum. Mittantur in mortarium cum uno aut altero cochleario oxycrati tepidi. Contundatur utrumque simul, ut fiat mistura humida, deinde duplicato linteolo includatur, fiatque frontale; tepidum applicandum, hora somni vel quolibet alio tempore, quo Medicus expedire censuerit.

Aliud frontale ad idem.

Accipe ex rosarum magmate partem minus torrefactam. Incidatur forcipe, in for-

mam frontalis, fronti temporibusque aptandi. Maceretur in oxycrati calidiusculi quatuor vel quinque unciis. Includatur duplicato linteolo mundo, appliceturque ut dictum.

Aliud ad idem.

Frontem & tempora aliquantisper illine unguento, quod populeum vocant. Deinde superponatur frontale antè descriptum, aut linteolum duplicatum, oxycrato tepido imbutum, ante applicationem exprimendum. Oxycratum vero paratur modo sequenti.

Modus parandi oxycrati.

OXycratum est mistura ex aceto & aqua. Verum quoniam acetum non est continuò æqualis acrimoniæ (est enim interdum acerrimum, aliquando imbecille, nonnunquam mediocre) facile non est iustam prescribere quantitatem aceti ad aquã. Adde quod sunt quædam corporis partes & affectus plurimum inter se dissimiles, in quibus oxycrato opus est aliàs fortiori, aliàs debiliori. Vulgare tamen oxycratum conficitur ex sex aquæ partibus & una aceti. Alij tantum aceti aquæ immiscent, ut facilè potari queat, nulloque acrimoniæ sensu linguam feriat.

Modus parandi oxyrhodinum.

ACcipe olei rosati optimi cochlearia quatuor, aquæ rosaceæ cochlearia duo, aceti fortissimi cochlearium unum. Omnibus unà permistis oxyrhodinum exurgit. Illo tepido, ubi opus est, pars affecta illinitur, linteolumque superponitur, vel siccum vel oxyrhodino inbutum, seu etiam oxycrato.

Aliud oxyrhodinum.

Accipe olei rosati cochlearia sex, hoc est circiter unciastres; aceti generosi cochlearium unum, sive unciam semissem. Misceantur ad usum.

Modus parandi hydrelæum.

HYdrelæum componitur ex aquæ partibus sex, & una olei.

Modus parandi epithemata.

ACcipe oxycrati antè descripti libram unam. Calefiat modice supra cineres calidos. Linteola duplicata in eo macerentur, expressaque tepidè partibus intemperatis applicentur, superposito alio linteolo sicco duplicato, ne indusium, vel lecti lintea madefiant. Subinde renoventur immutenturque aliquoties, ubi refrigescere exsic-

carique incipient, alijs denuo substitutis linteolis oxycrato immersis expressisque.

Hæc epithematum mistura minimi admodum est pretij, non minimarum tamen virium, sicuti quotidiana innotescit experientia. Præstat enim epithematis compositis ex aquis destillatis (quæ semper empyreuma redolent, extraneumque calorem ex destillatione nanciscuntur) ac pulveribus inertibus, licet carissimis, qua de causa pretiosi potius vocari debeant, ut vulgo appellitantur; quam ratione facultatum, quibus carent.

Epithema refrigerans & corroborans partes abdominis æstuantes in febribus continuis.

Accipe cichorij sylvestris cum radice, agrimoniæ, portulacæ, plantaginis, endiviæ, cuiusque manipulum amplissimum: rosarum rubrarum manipulum semissem. Bulliant suo quæque ordine in tribus libris aquæ, ubi mundata lotaque fuerint, ut decoctum ad libram unam cum semisse post colaturam redeat; in quo dilues aceti rosati aut alterius optimi cochlearia quinque vel sex. Sicque compositum epithema universo abdomini cum linteolis duplicatis, prout dictum est, immutandis, apponetur.

Epithema regioni cordis applicandum in purpuratis, malignis pestiferisque febribus.

Accipe corticis citri, recentis vel sicci; incidatur minutim, macereturque ex calidiusculis cineribus una vel altera hora in

aquæ roſaceæ libra una, dein per linteolum mundum traiciiatur. In colatura diſſolve unius citri vel limonis ſuccum. Eo epithemate cordis regio ter in die tepidè fovebitur, linteolis duplicatis eo imbutis immutatiſque ubi opus erit.

Aliud epithema ad idem.

Accipe ulmariæ, vulgo reginæ prati, ſcabioſæ, morſus diaboli, cuiuſque manipulos duos; ſeminum citri, cardui benedicti & oxalidis contuſorum, cuiuſque unciam ſemiſſem. Herbæ iſtę mundentur & laventur, bulliantque in duabus aquæ libris, addendo, tantiſper poſt, ſemina; redeatque decoctum ſaltem ad libram unam poſt colaturam. In qua diſſolves ſuccum unius limonis, & duo vel tria cochlearia aceti roſati. Huius epithematis applicandi utendique modus idem qui ſupra.

Epithema ad frigidas cordis intemperies.

Accipe vini odoriferi (quale eſt Aurelianenſe vel Burgundianum vel aliud quodvis optimum) libram unam ſemiſſem & ultra. Calefiat, eoque calente linteola duplicata vel triplicata imbuantur, quibus ubi cordis regionem foveris, illa inibi poſt expreſſionem applicabis, immutabiſque quum refrigeſcere incipient.

Eodem modo aqua vitæ loco vini adhiberi poteſt, id tamen inconſulto non fiat Medico.

Sternutatoria

Sternutatoria parandi modus.

Accipe ellebori albi vel euphorbij pulverati modicum. Insuffletur tantillum in nares ex pennæ canaliculo.

Modus parandi suffumigia.

Suffumigium singulare ad corrigendum aërem noxium, odoreque suavi habitaculum aliquod perfundendum.

ACcipe aquæ rosaceæ optimæ cochlearia sex & ultra, caryophyllos conquassatos decem vel duodecim, corticis citri, seu mali aurei tria quatuorve frustula. Mittantur omnia simul in paropsidem supra foculum in medio conclavis alteriusve loci suffumigandi. Inde vapor exhalabit suavissimus, qui universum afflabit locum, aëremque noxium dissipabit.

Aliud suffumigium.

Accipe aceti rosati vel cuiusvis alterius optimi cochlearia septem vel octo, corticis citri quatuor vel quinque frustula, caryophyllos conquassatos duodecim vel quindecim. Mittantur omnia in discum ex foculo, ut dictum.

Postremum hoc suffumigium quamvis non sit adeo exquisitum, est tamen optimum. Notandum, non esse decoquendas prędictas mixturas, sed eiusmodi igni superponendas, qui sufficiat ad liquorem in vaporem resolvendum.

Ad multiplices morbos varia ſuffumigia concinnantur, ex decoctis ſcilicet radicum, herbarum, ſeminum, florum, gummatum, ſuccorum, aliorumve. Quorum prępara-tionem ubi opus erunt, Medicus ex tempore indicabit, docebitque maxima cum facilita-te, ſumptuque minimo.

Modus fomenta & ſacculos parandi.

Fotus ad pleuritidem.

ACcipe malvæ, althææ, parietariæ, ſal-viæ, hyſſopi, violariæ, florum cha-momillæ, melilоti, cuiuſque manipulum unum. Mundentur herbæ & flores, laven-tur, incidantur, decoquantur in vaſe figu-lino, vel in cacabo cũ ſufficienti aquæ quan-titate. Sub decoctionis finem vini albi te-nuiſſimi uncias octo adjicies, dein omnia co-labis & exprimes, colaturamque in ollam immittes figulinam, in eaque moderatè ca-lente ſpongiam vel linteolum duplicatum immerges, quo partem affectam calidiuſ-culè poſt expreſſionem perfundes, fovebis apponeſque, ſubinde immutando quum re-frigeſcere incipiet.

Sacculi ad pleuritidem.

Accipe deſcriptas ſuperius herbas & flores poſt debitam præparationem, hoc eſt mun-datas, lotas & inciſas; ſuperaddendo, ſi lubet, ſeminis lini & fœnugræci contuſi, cuiuſque unciam unam. Includantur omnia

in duobus sacculis ex tela alba detrita, eius amplitudinis quam Medicus arbitrabitur, sacculisiis crasso modo insutis incoctisque in lacte vel aqua. Deinde ubi partem affectam prędicto decocto diu perfuderis foverisque, unum ex sacculis calentem expressumque dolenti parti applicabis, altero vicissim substituto quum primum refrigescere incipiet.

Fotus resolvens.

Accipe malvæ, bismalvę cum radicibus, cuiusque manipulum unum; salvię, hyssopi, cuiusque manipulos duos, florum chamomillæ & meliloti, cuiusque manipulum semissem, seminum lini, fœnugręci, anisi & fœniculi contusorum, cuiusque unciam semissem. Omnia, ut decet, præparata suo ordine incoquenda in sufficienti aquę quantitate, quę post colaturam ad libram unam cum semisse redeat. Dimidiam istius decocti partem calentem in vesicam immitte suillam superne clausam: partique dolenti appones, vesicam alteram residua decocti medietate impletam primæ substituendo, quum refrigerari incipiet; decoctum vero ex sartagine aut alio vase idoneo calefiat, ut denuo in vesicas immittatur.

Quod si vesicæ non sint ad manum, spongias vel duplicata adhibebis linteola, prædictoque decocto calente immerges ad partis fotum, postque expressionem parti applicabis, renovabisque, ut toties dictum.

Si ex sacculis prædictum resolventem fo-

tum parare sit animus, omnia medicamenta descripta in duobus sacculis lineis crassiore modo insutis includenda sine, quibus ut supra indicatum, utendum.

Fotus anodynus.

Accipe lactis fervefacti libram unam cum dimidia. Adhibeatur parti dolenti, sicut in fotu præcedenti.

Sacculi resolventes, pro pauperibus.

Accipe furfuris manipulos tres vel quatuor. Frigantur in sartagine, modicum vini affundendo, ne plus iusto furfur exsiccetur. Extracto furfure duos lineos sacculos implebis, alternisque vicibus parti dolenti calidos applicabis.

Sacculi ad dolorem ventriculi.

Accipe absinthij manipulum unum & ultra; incidatur minutim; rosarum rubrarum tantundem. Parvis includantur sacculis, in vino austero, oxycrato, vel aqua (prout Medicus expedire censebit) incoquendis, calidis parti dolenti imponendis alternatimque immutandis. Hyssopus, si lubet, adjici poterit.

Modus parandi cataplasmata.

Cataplasma ad apostemata & tumores.

Accipe oxalidis rotundæ vel longæ, abiectis pediculis, manipulos quatuor. Involuatur amplo brassicæ rubræ, betæ vel lapathi folio. Sub cineribus coquatur calentibus. Coctam extrahe, in paropside sive

mortario contunde, cum tantillo butyri recentis, vel axungiæ suillæ recentis liquefactæ. Hoc cataplasmate non operoso, sed admodum commodo uteris ubi conveniet.

Accipe prædicti cataplasmatis calentis partem unam. Extendatur in linteolo, appliceturque tumori, sive sit anthrax, sive apostema pestilens, sive commune.

Huiusmodi cataplasma emollit, suppurat, resolvit: minimoque paratur sumptu, viribus licet eximijs. Bis in die immutabitur, mane scilicet, & vesperi.

In carbunculis, anthracibus alijsque malignis tumoribus si theriaca misceatur, efficacissimum evadet.

Cataplasma emolliens.

Accipe malvæ, bismalvæ cum radice, absinthij, parietariæ, violariæ, florum chamomillæ & meliloti, cuiusque manipulum unum; lilij radicem unam integram; seminis lini & fœnugræci, cuiusque unciam unã. Mundentur laventurque radices & herbæ, contundantur semina, ut & lilij radix. Coquantur quæque suo ordine in quatuor libris aquæ, plus minus; quousque omnia perfecte cocta fuerint. Dein trajiciatur decoctum quãtulumcumque residuum ex cribro, superposita in extima cribri parte omnium simplicium massa tabefacta: quam contundes transmitteisque ad instar cassiæ, quum huius extrahitur medulla. Hoc peracto cum medulla traiecta nonnihil butyri recentis,

vel axungiæ porcinæ liquefactę, vel olei cõmunis adjicies ad cataplasmatis confectionẽ.

Si hordei, tritici aliasve farinas prædicto cataplasmati indere volueris, farinæ sufficiens quantitas sumetur, eamque in præscripto decocto dilues, & ad pulticulæ crassitudinem rediges, eamque cum supradicta permiscebis medulla, additis demum adipibus, vel oleo.

Cataplasma, vulgo nuncupatum, cataplasma ad gangrænas & carbunculos pestilentes.

Accipe butyri recentis vel olei communis unciam unam, mellis optimi tantundem; vitellum unius óvi, cum secalinæ vel triticeæ farinæ modico. Primò butyrum calefiat, vel oleum duntaxat incalescat: hinc ovi vitellum cum alterutro dilues, postremo farinam. Hoc cataplasmate ex consilio fidi Medici utere.

Modus linimenta parandi.

ACcipe butyri recentis unciam unam, cinnamomi vel nucis moschatæ in pulverem redactę drachmam unam. Butyro in paropside liquefacto prædictum admisce pulverem; confectumque erit linimentum.

Aliud linimentum.

Accipe olei rosati uncias duas, cinnamomi drachmam unam, caryophyllorum pulveratorum tantundem. Misceantur ut dictum.

Ex huiusmodi linimentis unguenta si con-

licere libeat, cum prędicto butyro vel oleo ceræ frustulum liquefaciendum est.

Vnguentum ad ambusta, cuiusdam nobilis matronæ ex sancti Germani suburbijs.

Accipe ceræ novæ in frustula cõcisę drachmam unam, olei communis uncias duas. Cera cum oleo liquefiat. Ab igne extrahantur, misceanturque cum duobus ovorum vitellis sub cineribus calentibus induratis, ac minutissimè divisis. Aliquantisper omnia simul agitentur; fietque unguentum, cuius hic erit utendi modus.

Accipe prædicti unguenti frigidi quantum satis ad partem ambustam. Extendatur in linteolo, eo leviter duntaxat illito, pauxillum enim sat est; applicetur parti dolenti, brevique sedabitur dolor. Iteretur bis in die, renovando usque ad integram curationem, quæ nullam cicatricem relinquit.

Modus parandi ceratum refrigerans odoratum.

ACcipe ceræ albæ uncjam unam, olei communis uncias quatuor. Cera in frustula concisa cum oleo liquefiat; deinde refrigerentur, abluantur, pluries agitentur, hoc est duodecies vel quindecies, cum aqua limpida, subinde, effusa priore, mutata, quousque prędictum unguentum ad modum nivis candidũ evadat. Abluatur iterum ter quaterque & pluries ex aqua rosacea fra-

grantię ergò ; mittaturque in fictile vel aliud vas idoneum, aquam roſaceam immiſcendo, ut præter odorem, maiorem vim refrigerandi conſequatur.

Modus parandi collyria.

Collyrium ad ſcabiem pruriginoſam, pro pauperibus.

ACcipe vini albi cochlearia tria, aquæ totidem, aloes hepaticæ pulveratæ drachmam unam. Miſceantur omnia, fiatque collyrium, quo tepente linteola molliuſcula imbues, iiſque affectum fovebis locum, relicto inibi linteolo duplicato prædicto liquore iñtincto.

Collyrium ad oculorum dolorem.

Accipe vitrioli albi ad fabæ exiguæ magnitudinem. Pulveretur cum tribus quatuorve aquæ tepidæ cochleariis. Vitriolo liquefacto; modo ſequenti huiuſmodi aqua uteris.

Accipe huius aquæ cum extremo digito; inſtillaque in magnum oculi canthum duas treſve guttas, bis terque in die, leviter nictando, ut per univerſum oculũ diffundatur.

Collyrium refrigerans & corroborans in principio fluxionis.

Accipe aquæ plantaginis & roſaceæ, cuiuſque tria vel quatuor cochlearia, albumen unius ovi. Miſceantur agitenturque ſimul in diſco ; ſicque fiet collyrium, quo tepido molliuſcula linteola ſimplicia vel duplicata imbuentur, quę affecto oculo, fronti, partibuſque vicinis eiuſdem lateris appones.

Vti etiam poteris aqua plantaginis vel sola, vel rosacea etiam sola, vel ambabus simul mistis tepidè, procedendo ut dictum est.

Modus faciendi vesicatoria.

ACcipe cantharidum drachmam unam, vel drachmam semissem. Pulverentur in mortario. Postea hunc pulverisem cum duplo unguenti quod basilicon vocant, permisce in consistentiam cerati, ad usum qui talis est.

Accipe tantillum prędictæ confectionis. Extendatur in tela exigua aut panno serico molliusculo; fiatque emplastrum, non nisi ex Medici consilio imponendum.

Aliud vesicatorium.

Accipe cantharidum pulveratarum drachmam unam. Subigantur in mortario cum tribus quatuorve fermenti acerrimi drachmis, addito aceti generosi cochleario dimidio, ad usum qui supra.

Aliud vesicatorium.

Accipe sinapi acerrimi drachmam unam, cantharidum tantundem. Vtrumque in pulverem redigatur, qui cum uncia dimidia fermenti acerrimi, & aceti generosi cochleario uno in mortario commiscebitur.

Advertendum, aqua calida mortarium pistillumque accuratè esse abluenda deter-

gendaque, post cantharidum trituratio-nem.

De pedum & tibiarum lotionibus.

Modus parandi decoctum huiusmodi ad somnum excitandum.

ACcipe septem, vel octo, pluresque si volueris lactucas, vel pampinorum seu vitis foliorum quinque aut sex manipulos, vel capita papaveris contusa quinque vel sex. Bulliant in lebete cum aquæ quantitate sufficienti. Post tertiam aut quartam ebullitionem, omnia in vas figulinum amplissimum non opertum effunde; abluanturque pedes & tibiæ prędicto decocto tepido per horæ quadrantem vel semihoram, superne deorsum, hoc est à summis tibiis ad pedes. Deinde involvantur pedes & tibiæ linteolo nonnihil calente citra exsiccationem, ægro ad molliùs quiescendum in lecto repositio, prædictis partibus involutis ut dictum est.

De balneis.

Cum nullus ferè sit qui ignoret quomodo aquæ tepidæ balnea, & insessus & semicupia apparentur, de iis non agam, duntaxat insinuaturus Medicos interdum ad morborum quorundam curationem prescribere decoctiones radicum, herbarum, seminum, florum aliarumve rerum, prędictis simplicibus in amplissimum lebetem aqua ple-

num ad bulliendum immissis, ut decoctum prædictaque simplicia in apparatum conjiciantur balneum.

Quod spectat ad balnea sicca seu vaporaria, (vulgo stuphas siccas) ad sudorem ciendum, plures sunt officinæ in hac urbe Parisiensi, ubi adornantur maxima commoditate. Quare quibus ex usu erunt, non nisi consulto Medico iis se committant.

Antidotum singulare contra pestem.

Liberali gratoque animo eximiam hîc antidotum adversus pestem pro coronide subjiciam; omnibus profuturam, nullis noxiam, paratu facillimam, domi etiam inque propriis laribus minimo sumptu parabilem.

Accipe malum citrium valde succulentum ponderis quatuor unciarum. Incidatur in tenues taleolas orbiculares. Bulliant in sartagine mediocri cum unciis octo aquæ stillatiæ ulmarię, vel cardui benedicti, vel scabiosæ, vel earũ herbarũ decocti ferè ad liquoris consumptionẽ, cavendo ne adurantur. Ideo interdum spathula vel cochleari argenteo agitentur. Deinde in mortarium marmoreum conjicientur, pistilloque ligneo contundentur donec pastæ consistentiam nanciscantur. Cum ea miscebis contundesque accuratè conservæ rosarum rubrarum liquidæ uncias quatuor, theriacæ Venetæ & confectionis de hyacintho, cuiusque drachmam unam. Omnia egregiè commista in vase figulino vitrato mundissimo recondentur ad

usum. Dosis pro adultioribus erit unius drachmæ, pro minus provectis drachmæ dimidiæ, ieiuno ventriculo, una aut altera hora ante cibum, ex cochleari cum pauco syrupo, vel succo limonis, vel mali punici acidi, vel oxycrati, vel aquæ pauco vino dilutæ; superhausto oxycrati sive aquæ cyatho pleno, cum quatuor vini cochleariis.

Omitti poterunt in ante-scripta compositione, in delicatorum hominum gratiam, theriaca & confectio de hyacintho, satisque erit citrium præparatum cum conserva rosarum.

Catalogus vtensilium seu instrumentorum ditioribus necessariorum.

PRimo duæ parandę sunt syringæ cum suis thecis. Vna cum duobus siphonibus ex ebore ad usus domesticos; quorum unus pro grandioribus, alter pro iunioribus, ad enematum iniectionem inserviat.

Vas stanneum ad recondendum calefaciendumque enema ante iniectionem.

Alia syringa, cum duplici etiam siphone buxeo, ad commodandum pauperibus, quibus hoc humanitatis officium subsidiumque gratis exhibeatur.

Duo panni staminei albi amplitudinis mediocris, longiusculi, filo in ambitu traiecto firmati: quorum unus erit ad medicamenta purgantia, alter ad decocta percolanda.

Substitui poterunt, si desint panni istiusmodi, panni linei albi & mundi.

Duo cribra seu tamisia, ut vulgo vocant. Vnum ad trajiciendam medullam cassiæ, thamarindorum, prunorum, &c. alterum ad decocta, materias cataplasmatum & alia.

Pondera maiuscula, ut libræ civilis, quæ pendit uncias sexdecim; mediocria, minuscula & minima, cum bilance & granis ex aurichalco, ad medicamenta ponderanda.

Duæ spathulæ ferreæ, una mediocris, altera minor.

Vna spathula lignea.

Mortarium marmoreum mediocre cum pistillo ligneo.

Mortarium mediocre ex metallo, cum pistillo ex eadem materia.

Mortarium minus ex metallo, cum pistillo simili.

Quod attinet ad vasa figulina, cacabos, lebetes, ahena, sartagines, ad paranda decocta, ptisanas; hæc ferè ditiorum domibus non desunt, cum in supellectile coquinaria numerentur. Secus, ijsque deficientibus, usus tempore Medicus de iis monebit.

Catalogus medicamentorum opulentis necessariorum, eorumque circiter pretia.

SEnæ Orientalis optimæ libra una, quæ constabit quinquaginta assibus Gallicis, uncia, eâ proportione, cõstabit tribus assibus.

Rhabarbari ſelecti unciæ quatuor; eius uncia cum conſtet viginti aſſibus, drachma tribus erit aſſibus æſtimanda.

Agarici unciæ quatuor. Vncia decem conſtat aſſibus, drachma aſſe uno cum dimidio.

Caſſię optimæ libræ duæ, libra conſtat quadraginta aſſibus.

Thamarindorum libra dimidia, aſſibus octo conſtabit.

Electuarij lenitivi libra una. Vncia quinque aſſibus conſtabit.

Catholici duplicato rhabarbaro libra una. Vncia ſex aſſibus conſtabit.

Diaphœnici unciæ quatuor. Vncia ſex aſſibus.

Benedictæ laxativæ unciæ quatuor. Vncia ſex aſſibus.

Hieræ diacolocynthidos unciæ quatuor. Vncia ſex aſſibus.

Diaprunis laxativi, uncia ſex aſſibus.

Tabellarum diacarthami, uncia ſex aſſibus.

Pilularum ſingulæ doſes quinque non excedent aſſes.

Mellis communis optimi libræ quatuor. Libra quatuor conſtat aſſibus.

Mellis roſati libra una. Vncia duobus aſſibus.

Mellis violati libra una. Vncia duobus aſſibus.

Mellis mercurialis libra una. Vncia uno aſſe.

Sacchari rubri libræ duæ. Libræ sex assibus.

Sacchari albi puriſſimi pretium maximè variat. Vt plurimum tamen libra sexdecim asses non excedit: hacque ratione & proportione deinceps sigillatim æstimabitur, ubi passim occurret.

Syrupi papaveris simplicis libra dimidia. Vncia tribus assibus.

Syrupi violati libra una. Vncia quatuor asibus.

Syrupi capillorum Veneris Montispessulani phiala sexdecim asibus.

Syrupi cydoniorum libra dimidia. Vncia tribus asibus.

Syrupi de moris libra dimidia. Vncia tribus asibus.

Syrupi rosarum pallidarum ex novem infusionibus libra una. Vncia quatuor assibus.

Syrupi de cichorio quadruplicato rhabarbaro libra una. Vncia decem vel duodecim asibus.

Hordei communis modij Parisiensis pars quarta, tribus asibus.

Hordei mundati libra una, quatuor assibus.

Seminis anisi recentis unciæ quatuor, tribus asibus.

Seminis fœniculi recentis unciæ quatuor, tantundem.

Seminis lini libra una, quinque asibus.

Seminis fœnigræci totidem, aſsibus quatuor.

Seminis melonis unciæ quatuor, duobus aſsibus cum dimidio.

Seminis cucurbitæ unciæ quatuor, duobus aſsibus cum dimidio,

Seminis cucumeris unciæ quatuor, duobus aſſibus cum dimidio.

Seminis citruli unciæ quatuor, duobus aſſibus cum dimidio.

Seminis papaveris unciæ quatuor, tribus aſsibus.

Seminis cardui benedicti unciæ quatuor, tribus aſsibus.

Piperis communis uncia una.

Zingiberis, caryophyllorum, nucis moſchatæ, cuiuſque tantundem.

Cinnamomi unciæ quatuor.

Amygdalarum dulcium libra una.

Cuique notiſsimum eſt harum rerum pretium.

Pyrethri uncia una, duobus vel tribus aſſibus.

Aſari unciæ quatuor, decem aſsibus.

Maſtiches unciæ quatuor, ſexdecim aſſibus. Vitrioli viridis, vulgo *couperoſe* unci a, uno aſſe.

Salis gemmei unciæ quatuor, quatuor vel quinque aſsibus.

Glycyrrhizæ ſelectæ libræ duæ vel tres, libra duodecim aſsibus.

Roſarum rubrarum libra dimidia, de-

cem

cem vel duodecim asibus.

Florum chamomillæ & meliloti quantitas sufficiens.

Rasuræ cornu cervi & eboris uncia una vel duæ, duodecim vel quindecim asibus.

Aquæ rosaceæ pinta una Parisiensis, hoc est libræ duæ, viginti quatuor asibus.

Aquæ plantaginis libræ duæ, sexdecim assibus.

Aquæ cardui benedicti libræ duæ, sexdecim asibus.

Aquæ scabiosæ libræ duæ, sexdecim assibus.

Aceti rosati acerrimi, vel alterius optimi libræ duæ.

Lapidis bezoardici optimi drachmæ duæ, vel semuncia. Porro lapis hic rarissimus est. Drachma (quæ est 72. granorum) constat tribus libris, hoc est sexaginta asibus monetæ Gallicæ. Ea proportione granum vix unum excedit assem. Sed ut liberè dicam quod sentio de bezoardico lapide, cum plurimis viris eruditis profiteor, me potius exhibiturum decem aut duodecim, plus minus, theriacæ grana febre purpurata & maligna laborantibus, superhausto oxycrati vel aquæ cyatho, in quo succus unius limonis dilutus fuerit, quam pulveris bezoardici grana triginta: quoniam theriacæ virtus in virulentis, pestilentibus, malignis affectibus, in omnibusque venenis à quamplurimis sæculis innotuit exploratague est. Lapidis vero

bezoardici vis adhuc est planè ambigua & incerta. Adde quod lapis quam sæpissimè adulteratur. Vbi enim credideris te sincerum germanumque comparavisse, cæmentum, terram aut gypsum emisse comperies, sic concinnatum, ut aiunt Iudæos Constantinopolitanos illum fabricare. Quod demonstraturus sum prolixius in peculiari tractatu, qui in calce meorum opusculorum adiungetur.

Verumtamen in puerulis, quibus non nisi cum ingenti difficultate & molestia theriaca exhiberi potest, ob ingratum saporem, substitui poterit puluis bezoardicus, modo verus & sincerus sit, minimè adulteratus, qualis est qui hoc tempore prostat Parisiis, qui nullius prorsus est valoris & virtutis.

Ceræ flavæ unciæ quatuor, quinque assibus.

Ceræ albæ unciæ quatuor, sex assibus.

Vnguenti populei unciæ duæ vel tres, uncia duobus assibus.

Vnguenti rosati Mesuæ unciæ duæ, uncia tribus vel quatuor assibus.

Terebinthinæ Venetæ optimę unciæ quatuor, uncia uno asse.

Olei olivarum libræ duæ, libra septem vel octo assibus.

Olei rosati libra una, sexdecim assibus.

Olei violati libra una, sexdecim assibus.

Olei cydoniorum libra una, sexdecim assibus.

Olei hyperici libra una, sexdecim assibus.

Olei chamæmelini libra una, sexdecim assibus.

Olei liliacei libra una, sexdecim assibus.

Olei rutacei libra una, sexdecim assibus.

Olei nucum libra una, sexdecim assibus.

Si forsan omnia medicamenta enumerata non sufficiant, Medicus ordinarius de aliis supplendis substituendisque ex tempore & re nata consilium dabit, non tantum ad salutem & usum domesticorũ, sed etiam ad opem & subsidium pauperum, quibus æquè gratiosos opulentos esse convenit, ac nos officioso liberalique animo laborem operamque nostram publicis usibus impendimus & nuncupamus.

Catalogus utensilium & medicamentorum, à mediocris fortunæ hominibus comparandorum.

HOmines medioxumi præsto domi habebunt syringam unam cum duplici siphone, eburneo vel ligneo.

Senæ optimæ uncias quatuor vel libram dimidiam.

Cassiæ Orientalis opt. libram unam.

Seminis anisi vel fœniculi uncias quatuor.

Mellis communis optimi libras duas vel tres.

Sacchari rubri libram unam.

Rhabarbari opt. uncias duas.

Agarici tantundem.

Zingiberis ſemunciam.

Cinnamomi unciam unam.

Syrupi roſarum pallidarum ex novem infuſionibus libram unam.

Syrupi violacei libram unam.

Vbi opus erunt alia medicamenta, tam ſimplicia quam compoſita, pręter commemorata, Medicus ordinarius ea ut res feret indicabit.

Admonitio ad populum.

OPeræpretium eſt & ferè neceſſarium, ut omnes quibus opes ſuppetunt domi & in promptu, unam ſyringam ad clyſteres habeant, artemque & modum parandi & injiciendi enemata calleant, vel ſaltem homines ad id aptos habeant, tam ad morbos qui inopinatò accidunt, quibus hoc remedium præſentiſſimum & perneceſſarium eſt, quam quia maximum ſæpe diſcrimen incurritur, ubi aliena ſeu externa adhibetur ſyringa, quæ forſan uſurpari potuerit injiciendo enemati alicui lue venerea, peſte, febre purpurata, dyſenteria, morbillis, variolis, ulceribus malignis, ficis, fiſtulis in ano, vel alio affectu contagioſo laborantibus; nec

accuratè elota detersaque fuerit. Et certè periculosum huiusmodi incommodum summopere si uspiam prȩcavendum, certè in magnis & populosis urbibus, ubi affectus virulenti & contagiosi grassantur; tum maximè tempestatibus epidemicis. Quapropter iterum moneo, ut quisque sibi de ea prouideat, eamque non indifferenter commodet, nisi apprimè notis, ob rationes breviter perstrictas. Porro ante usum diligentissimè eluatur detergeaturque ex aqua fervente. Quod vero ad illos attinet quibus non suppetit unde sibi opportunè comparent, aut citra aliquod rei familiaris dispendium, cuiusmodi sunt rustici, extranei & viatores; antequam clysteres excipiant, curare debent ut syringæ & siphones accuratè mundentur.

Admonitio ad Medicos.

MEdicus, cui ægrotorum salus artisque dignitas cordi est, oblectari summopere debet, ut privatis in domibus medicamenta curiosè accuratéque prȩparentur, quatuor prȩcipuè de causis. Primò, quia medicamenta legitima, optimaque erunt, fideliusque apparabuntur. Secundò, quia operationem quam in animo habet ac sperat, exploraturus est. Tertiò, quia maiorem certioremque ex iis opem ægrotans percepturus est. Quartò, quia *cito, tutò & iucundè* idemmet ægrotans curabitur, tamque exi-

guis ſumptibus (licet nullis quos morbus exiget parcatur) ut ſummas ſupremo Numini, Medicinæ authori & conditori, anſam gratias referendi habiturus ſit. Id ab antiquiſſimis primiſque artis proceribus præſtitum, atque etiam aliis qui aliquot luſtris nos anteceſſerunt, quibus ſummæ curæ ſtudioque fuit ægrorum ſalutem modis omnibus reſtaurare, eamque in magnatibus, ditioribus, plebeijs, infimæ anguſtæque ſortis hominibus, minimis quoad potuit expenſis eorum vitam ſervando, pecunijſque parcendo. Confidat itaque Medicus, ſi ita officioſè gratanterque ſe gerat, à Deo opt. max. certiſsima ſummaque beneficia, ab hominibus gratiam, benevolentiam, exiſtimationem conſecuturum.

FINIS.

PRETIVM SEV VALOR MEDICAMENTORVM tum simplicium, tum compositorum, quorum usus est in Medicina.

AD LECTOREM.

AQuamplurimis obnixè rogatus, ut medicamentorum tam simplicium quam compositorum in Medicina faciendâ usitatorum pretium in nostro officiosi domesticique Medici libello insererem: id eorum denegare votis non sustinui, utpote rei publicæ commodis valdè proficuum. Primo autem loco medicamentorum simplicium pretium ascripsi, etiamsi non constanter continuoque eodem pretio væneant, cum ex multiplicium circunstantiarum concursu (quod in aliis quoque mercibus, præcipuè exoticis, contingere assolet) sæpiuscule immutetur. Verum quoad compositiones quas ingrediuntur, minimum variat pretium, ut exempli gratia quadrantis unius vel assis (monetæ Gallicæ) pro unaquaque uncia aut

libra. Secundo loco, tam in genere quam in specie minutatimque compositionum pretium expressi, cum modo faciendi uniuscuiusque illarum, quantum contineant; si non adeo accuratè, saltem circum circa. Deinde medicamentorum seu ingredientium ex quibus constant, pretiũ, imo usque ad impensam quæ in igne conflando insumitur in illis confectionibus, quibus necessarius ignis est: subducto denique ex tota summa detrimento, ea singulatim æstimando, quanti constet uncia, drachma, scrupulus: idque iustissima, quoad potuit, æquabilitate. Sed forsitan objicietur, quamplurima ex enumeratis à nobis medicamentis esse inutilia & superflua. Id verum quidem esse non imus inficias: Omnia tamen describere libuit, eorumq; pretium, ut multorum desiderio votisque satisfacerẽ, indicato iusto utcunque valore (qui sæpiusculè vilissimus est) quorundam simplicium compositionumque, quæ tamen carissimè venduntur. Ea ergo mente, Lector benevole, hunc officiosum salutaremque nostrum laborem quæso excipias, qua illum sumus aggressi, publicique iuris (non citra inuidiam) fecimus, editis invulgatisque prælo (quod Mercurij ministerium exæquare potest) exemplaribus.

MEDICAMENTORVM simplicium quæ apud Aromatarios prostant pretium.

A

ACaciæ libra constat assibus 50.
Acori libra libris 5. monetæ Gallicæ.
Æruginis libra assibus 24.
Agarici libra libris 8. vel 9.
Agallochi sive ligni Aloës libra libris 12.
Aloës libra libris 6.
Aluminis rupei libra assibus 3.
Aluminis plumei libra assibus 24.
Aluminis glacialis libra assibus 20.
Amygdalarum amararum libra assibus 12.
Ambræ grisææ drachma libris 5.
Ambræ flavæ seu electri libra libris 2.
Angelicæ libra libris 5.
Anisi seminis libra assibus 14.
Anthos seu florũ rorismarini libra assibus 20.
Antimonij crudi libra assibus 6.
Antimonij vitrati libra assibus 14.
Aquæ vitæ opt. pinta Parisiensis seu libræ duæ assibus 20.
Argenti vivi sive Mercurij libra assibus 32.
Aristolochiæ rotundæ libra assibus 14.
Aristolochiæ longæ libra assibus 14.

Asari libra assibus 30.
Aspalati libra assibus 45.
Assæ fœtidæ libra libris 3. cum dimidia.

B

Baccarum lauri libra asibus 5.
Baccarum myrti libra asibus 14.
Bdellij libra libris 3.
Been albi libra asibus 20.
Been rubri libra asibus 16.
Benjoini libra libris 3.
Berberorum libra asibus 6.
Bezoardici lapidis uncia constat libris 24. eaque proportione granum non excedit assem unum.
Bituminis Iudaici vulgo Aspalati libra asibus 45.
Boli Armeni libra asibus 15.
Boracis Veneti libra libris 3.

C

Calami aromatici libra asibus 12.
Camphoræ libra libris 5.
Cantharidum uncia asibus 2. cum dimidio.
Cardamomi minoris libra asibus 5.
Carpobalsami uncia asibus 4.
Casiæ Orientalis libra asibus 40.
Castorei uncia asibus 10.
Cerussæ libra asibus 10.
Ceræ albæ libra asibus 18.
Cinnamomi uncia asibus 6.
Civetæ sive zibethi drachma asibus 50.
Chinæ radicis libra libris 6.
Colocynthidis libra libris 3.

Colophoniæ libra asſibus 3.
Corallij rubri libra asſibus 45.
Corallij albi libra asſibus 35.
Corticis citri ſicci libra asſibus 5.
Corticis citri conditi libra asſibus 24.
Corticis radicis capparum libra asſibus 32.
Corticis radicis tamariſci libra asſibus 24.
Corticis mediæ fraxini libra asſibus 16.
Corticis guaiaci libra asſibus 8.
Coſti albi libra libris 4.
Cotoniati ſive Cydoniati libra asſibus 20.
Cremoris tartari libra libris 4.
Croci optimi libra libris 16.
Cryſtalli mineralis libra asſibus 50.
Cubebarum libra libris 3.
Cuſcutæ libra asſibus 20.
Cyperi libra asſibus 16.

D

DActylorum recentium libra asſibus 8.
Dictamni Cretici libra libris 4.

E

ELlebori albi libra asſibus 8.
Ellebori nigri libra asſibus 24.
Epithymi libra asſibus 30.
Euphorbij libra asſibus 16.

F

FOEniculi ſeminis viridis libra asſibus 12.
Florum ſtœchados Arabicæ libra asſibus 20.
Florum roriſmarini libra asſibus 20.
Florum violarum libra asſibus 20.
Florum bugloſſi libra asſibus 20.

Florum rosarum rubrarum libra asibus 16.
Florum betonicæ libra asibus 20.
Florum borraginis libra asibus 16.
Folij Indi uncia asibus 20.
Fragmentorum pretiosorum Amethysti uncia asibus 10.
Smaragdi uncia asibus 10.
Granatorum uncia asibus 10.
Hyacinthi uncia asibus 10.
Sapphiri uncia asibus 10.
Topazij uncia asibus 10.

G

GAlbani libra libris 3.
Galangæ libra libris 6.
Gentianæ libra asibus 10.
Glycyrrhizæ selectæ libra asibus 14.
Granorũ tinctorũ sive Kermes libra libris 4.
Gummi Arabici libra asibus 10.
Gummi tragacanthi libra asibus 10.
Gummi hederæ libra libris 5.
Gummi cerasi asibus 10.

H

HErmodactylorum libra asibus 16.
Hypocistidis libra libris 50.

I

IAlappæ libra libris 3. cum semisse.
Ircos Florent. libra asibus 16.
Iuiubarum recentium libra asibus 16.
Iunci odorati libra libris 3.

L

LAccæ gummi libra libris 4.
Ladani libra asibus 40.

Lapidis calaminaris libra asſibus 24.
Lapidis hæmatitis libra libris 6.
Lapidis lazuli libra asſibus 16.
Lapidis ſpongiæ libra asſibus 4.
Limaturæ chalybis libra asſibus 16.
Liquiritiæ optimę libra asſibus 14.
Lithargyri auri libra asſibus 6.
Lithargyri argenti libra asſibus 6.
Lupinorum libra asſibus 16.

M

MAcis libra libris 3. cum ſemiſſe.
Mannæ Calabrinæ libra libris 6.
Maſtiches libra libris 4.
Mechoacan libra libris 3. cum ſemiſſe.
Mellis communis opt. libræ 100. libris 12. cum ſemiſſe.
Minij ſive cinnabaris libra asſibus 18.
Moſchi drachma asſibus 50.
Myrrhæ optimæ libra libris 6.

N

NVcum cupreſſi libra asſibus 10.
Nucum gallarum libra asſibus 8.
Nucis Indicæ libra asſibus 16.

O

OEſypi humidæ libra asſibus 40.
Olei ſpicati libra asſibus 28.
Olei roſati libra asſibus 40.
Olei olivarum libræ 100. libris 30.
Opij libra libris 12.
Opobalſami libra libris 3. cum ſemiſſe.
Opopanacis libra libris 6.

P

PEnidiarum libra asibus 18.
Pineolorum libra asibus 9.
Piperis longi libra libris 5.
Picis navalis libra asibus 3.
Picis Burgund. libra asibus 2. cum semisse.
Pistaciorum recentium libra asibus 16.
Polypodij libra libris 4.
Pyrethri libra asibus 30.

R

RAdicis esulæ libra asibus 30.
Resinæ libra asibus 2.
Rhabarbari libra libris 13. vel 14. optimi selectissimique libris 16.

S

SAgapeni libra libris 4.
Salis gemmei libra asibus 16.
Salis nitri libra asibus 15.
Sandarachæ seu auripigmenti libra asib. 18.
Sanguinis draconis libra asibus 16.
Santali albi libra asibus 30.
Santali citrini libra libris 5.
Santali rubri libra asibus 30.
Sarzæ parillæ libra asibus 30.
Sassafras libra asibus 30.
Scammonij libra libris 15.
Scillæ libra asibus 15.
Sebesten recentium libra asibus 24.
Seminis Agni casti uncia asibus 3.
Seminis Ameos libra libris 4. cum semisse.
Seminis Amomi libra libris 5.
Seminis Bombacis libra asibus 20.

Seminis Dauci Cretici libra asſibus 20.
Seminis Erucæ libra asſibus 20.
Seminis Seſeleos Maſsilienſis libra asſibus 4.
Seminis Staphiſagriæ libra asſibus 8.
Seminis Leviſtici libra asſibus 2.
Seminis contra libra asſibus 16.
Seminis Vrticæ libra asſibus 8.
Seminis Carthami libra asſibus 16.
Seminis Fœnugræci libra asſibus 4.
Seminis Lini libra asſibus 5.
Seminum Perlarum ſeu Margaritarum uncia asſibus 50.
Senæ optimæ libra libris 3.
Spicæ Celticæ libra libris 3.
Spicæ Indicæ libra libris 4.
Styracis calamitæ libra libris 3. cum ſemiſſe.
Styracis liquidæ libra asſibus 35.
Succi glycyrrhizæ albi libra asſibus 24.
Succi glycyrchizæ nigri libra asſibus 20.
Sulphuris libra asſibus 3.
Sumach libra asſibus 3.

T

TAlcę Venetæ pulveratę libra asſibus 8.
Thamarindorum libra asſibus 16.
Terebinthinæ Venetæ libra asſibus 14.
Terebinthinæ communis libra asſibus 4.
Terre ſigillatæ libra libris 5.
Terræ Bleſenſis, quæ eſt eiuſdem facultatis cum terra ſigillata, libra asſibus 40.
Thuris maſculi ſeu olibani libra asſibus 30.
Thuris communis libra asſibus 4.

Turbith libra libris 5.
Tuthię libra aſsibus 48.

V

VIridis æris ſive Æruginis libra aſſib. 24.
Viſci quercini libra aſsibus 6.

X

XYlobalſami libra libris 3.

Z

ZEdoarię libra libris 3.
Zibethi drachma aſsibus 50.
Zingiberis libra aſsibus 12.

Advertendum, in tota libri ſerie quoties fit mentio librę, toties intelligi de libra quę eſt unciarum ſexdecim. Quoties unciæ, drachmarum 8. Drachmę, ſcrupulorum trium. Scrupuli, granorum viginti quatuor. Semiſcrupuli, granorum duodecim.

Radicum, herbarum, florum pretium, ut vulgo notiſſimum, dedita opera à nobis prętermiſſum eſt.

COMPOSITORVM *Medicamentorum valor ſeu æſtimatio, & imprimis*

SYRVPORVM.

SYrupus violatus pluribus conficitur modis, ſed tribus præcipuè.

Pri-

Primus isque optimus, sequenti modo paratur.

Tres fiunt infusiones ex floribus violarum mundatis in libris quatuor aquæ calentis, unius scilicet libræ pro unaquaque infusione. In ultima infusione (quę continet libras quatuor cum semisse) colata & expressa adduntur sacchari optimi libræ quinque cum semisse, sicque confectus syrupus libras septem continet.

Florum violarum mundatorum pretium seu valor est librarum septem cum assibus decem, sacchari, librarum trium. Ignis, assium quindecim. Summa est librarum undecim cum assibus quinque.

Syrupi libræ septem, subducto detrimento, singulis unciis excussis, redeunt ad libras sex, uncias quatuor & ultra, summatim vero ad uncias centum excrescunt. Hac proportione uncia constabit assibus duobus cum denariis tribus, seu asis parte quarta.

Secundus syrupum violatum parandi modus.

Pro unaquaque sacchari libra fere ad sacchari rosati consistentiam cocti, sumuntur succi violarum unciæ quatuor, reditque ad undeviginti vel viginti uncias.

Libra sacchari assibus decem. Vnciæ quatuor succi assibus triginta septem, ignis assibus duobus. Summa assibus quadraginta septem.

Prædictæ undeviginti syrupi uncię, detrimento subducto, redeunt ad uncias octode-

cim. Vncia duobus asibus cũ denariis octo.

Tertius modus parandi syrupum violatum.

Conficitur ex libra una sacchari, prędicta crasitudine cocti trajectique super florum violarum mundatarum uncias quatuor, in mortario marmoreo cum pistillo ligneo contusarum, lineoque mantili mundissimo impositarum; reditque ad uncias sexdecim.

Violarum uncię quatuor asibus duodecim cum semisse. Saccharum decem asibus, ignis duobus asibus, summa asibus viginti quatuor cum semisse.

Sexdecim istę uncię, subtracto detrimento, ad uncias quindecim redeunt, uncia ad assem unum cum denarijs octo.

Syrupus de tussilagine.

Fit terna infusio ex libra semisse florum tussilaginis pro unaquaque, in duabus libris aquæ. Tertiæ infusioni colatæ, expressæ & clarificatę additur sacchari libra una cum semisse; conficiturque syrupus, qui pensitat 29. aut 30. uncias.

Flores assibus quindecim. Saccharum assibus quindecim. Ignis assibus quindecim. Summa assibus 45. Prædictæ 29. aut 30. unciæ, deducto detrimento, redeunt ad uncias 27. Vncia uno asse cum octo denariis.

Syrupus florum persicorum.

Ex novem fit infusionibus, libra una scilicet florum persicorum quaque vice in libris quatuor aquę infusa, ultimaque colata & expressa. Decoquuntur sacchari libræ quatuor,

fitque syrupus qui continet libras quinque.

Syrupi istius uncia, subducto detrimento, pensitat quinque vel sex asses.

Syrupus rosarum pallidarum.

Novem fiunt infusiones, unius florum rosarum pallidarum libræ pro unaquaque, earum ultima colata & expressa, quæ reddit libras quinque. Conficiturque syrupus, qui continet libras quinque.

Novem libræ florum rosarũ assibus 40. Saccharum assibus 40. Ignis assibus 20. Summa libris 5. Syrupi libræ quinque, subducto detrimento, excurrunt ad libras quatuor & ultra. Vncia asse uno cum denariis quinque.

Syrupus de æluropo sive de pede cati.

Tres fiunt infusiones ex libra dimidia summitatum recentium gnaphalij sive pedis cati in duabus aquæ libris. In ultima infusione colata & expressa sacchari libra una cum semisse decoquitur, fitque syrupus qui continet 29. aut 30. uncias. Libra una cum semisse florum æluropi assibus 6. Ignis assibus 15. Saccharum assibus 15. Summa assibus 36.

Prædictæ 29. aut 30. unciæ, subductis subducendis, redeunt ad uncias 27. uncia ad assem unum cum denariis quatuor.

Syrupus de papavere simplici.

Fit infusio ex unciis septem cum dimidia capitum papaveris albi, & tantũdem papaveris nigri per 24. horas in aquæ pluviæ libris 4. Deinde tandiu decoquitur, dum decoctum,

colatum & expressum redeat ad libram unam cum semisse, cum qua decoquitur sacchari libra dimidia & tantundem penidiarum. Syrupus continet uncias 20.

Capita papaveris assibus 8. Saccharum & penidiæ assibus 15. Ignis assibus 8. Summa assibus 31.

Vncia viginti, subducto quod æquum est; redeunt ad 18. aut 19. uncias, uncia ad assem unum cum denariis novem.

Syrupus papaveris rhœados.

Tres fiunt infusiones ex libra dimidia florum papaveris rhœados, pro unaquaque infusione, in libris duabus aquæ. Vltimæ infusioni colatę & expressę adjicitur sacchari libra una cum semisse, cum sacchari rosati unciis quatuor. Syrupus continet uncias 34.

Florum papaveris libra una cum dimidia assibus 8. Saccharum assibus 22. Ignis asibus 15. Summa asibus 42.

Istæ 34. syrupi unciæ, deducto detrimento, redeunt ad uncias 32. uncia ad assem unum cum denariis octo.

Syrupus de nymphæa seu nenuphare.

Ex una libra florum nenupharis albi pro vice, fiunt tres infusiones in aquę libris quatuor. In ultima infusione colata & expressa coquuntur sacchari libræ quatuor. Syrupus hic libras quinque continet.

Flores nenupharis asibus 10. Saccharum asibus 40. Ignis asibus 15. Summa asibus 65.

Prædictæ syrupi libræ quinque post detrimentum, redeunt ad uncias 72. uncia ad assem unum.

Syrupus capilli veneris.

Fit infusio simplicium in aquæ libris quinque. Deinde fit levis decoctio, quæ colata & clarificata cum sacchari libris quatuor, conficitur syrupus, qui continet libras quinque.

Simplicia asibus 5. Saccharum asibus 40. Ignis asibus 10. Summa asibus 55.

Syrupi libræ quinque, subducto detrimento, redeunt ad libras quatuor cum dimidia, seu uncias 72. uncia ad denarios decem.

Syrupus de quinque radicibus.

Incoquuntur radices mundatæ in sufficienti quantitate aquæ. In libris quatuor decocti colati & clarificati cum sacchari libris tribus, conficitur syrupus, qui 60. uncias continet.

Radices asibus 3. Saccharum asibus 30. Ignis asibus 10. Summa asibus 43.

Syrupi 60. unciæ redeunt ad 55. uncia ad denarios decem.

Syrupus de althæa.

Fit decoctio radicum fructuum, herbarum, seminum in sufficienti quantitate aquæ, ut decoctum colatum redeat ad quatuor libras, cum quibus excoquantur sacchari libræ tres. Syrupus hic uncias 60. continet.

Radices, fructus &c. asibus 7. Saccha-

rum aſsibus 30. Ignis aſsibus 10. Summa aſsibus 47. Vnciæ iſtæ 60. redeunt ad unc. 55. uncia ad aſſem unum.

Syrupus de cichorio compoſitus cum rhabarbaro.

Decoctione facta ſecundum artem, radicum & herbarum in aquæ ſufficienti quantitate; in colatura clarificata cum ſacchari libris ſex, conflatur ſyrupus ferè ad conſiſtentiam ſacchari roſati. Extrahatur ab igne, diſſolvaturque cum infuſione expreſſa unciarum ſex rhabarbari, & unciæ unius ſpicę nardi, aut cinnamomi. Continebit ſyrupus hic libras ſeptem & ultra.

Radices & herbæ conſtabunt aſsibus 20. Sacchatum lib. 3. Rhabarbarũ libris 6. Spica nardi aſsib. 12. Ignis aſsib. 8. Summa libris 11.

Prædictæ ſyrupi unciæ, poſt detrimentum, redeunt ad uncias 100. & ultra. Vncia ad aſſes duos cum denarijs tribus. Si duplicetur rhabarbarum, uncia redibit ad denarios ſex.

Syrupus de cichorio ſimplex.

Sumuntur quatuor libræ ſupra deſcripti decocti colati & clarificati, cum pari ſacchari quantitate. Sicque confectus ſyrupus libras quinque continet.

Decoctum aſsibus 20. Saccharum aſsibus 40. Ignis aſsibus 5. Summa libris tribus cum aſsibus 5.

Quinque iſtæ ſyrupi uncię, ſubducto detrimento, redeunt ad libras quatuor cum dimidia, ſeu uncias 72. Vncia redit ad aſſem unũ.

Syrupus de endivia simplex.

Coquuntur cum libris octo succi endiuiæ depurati & clarificati, sacchari libræ quinque. Syrupus libras sex & ultra continet.

Succi libræ octo, libris 3. Saccharum assibus 50. Ignis assibus 10. Summa libris 6.

Prædictæ sex syrupi libræ subducto detrimento, redeunt ad libras quinque cum dimidia; uncia ad assem unum cum denariis quinque.

Syrupus de fumaria.

Succi fumariæ clarificati libræ duæ, cum pari sacchari quantitate excoquuntur. Sicque conficitur syrupus, qui uncias 40. continet.

Succi libræ duæ assibus 5. Saccharum assibus 20. Ignis assibus 5. Summa assibus 30.

Istæ 40. unciæ, detrimento subducto, redeunt ad uncias 38. uncia ad denarios 10.

Syrupus ex succo bugloſſi.

In libris sex succi bugloſsi clarificati incoquitur libra una florum bugloſsi, deinde colatur & exprimitur decoctum, quod redit ad libras 5. Cumque sacchari libris quatuor conficitur syrupus, qui continet libras 5.

Libræ istæ syrupi, detrimento subducto, ad libras quatuor cum dimidia redeunt, uncia ad assem unum cum denariis quatuor.

Syrupus ex succo oxalidis.

Decoquuntur libræ sex succi oxalidis in sole depurati, cum sacchari libris duabus. Syrupus uncias 40. continet.

Vnciæ istæ syrupi 40. redeunt ad asses 38. uncia ad denarios 10.

Syrupus byzantinus simplex.

Coquuntur, despumantur & depurantur succi, & cum quatuor libris colatis sacchari duæ libræ cum semisse decoquuntur: sicque confectus syrupus tres libras & ultra continet.

Succus asibus 40. Saccharum asibus 25. Ignis asibus 10. Summa libris 3. & aliquid ultra.

Syrupi libræ tres ad 45. uncias redeunt, uncia ad assem unum cum denariis octo.

Syrupus byzantinus compositus.

In libris quatuor succorum depuratorum descripta simplicia decoquuntur. Decoctioni colatæ & clarificatæ adduntur aceti vini albi libræ duæ, cum tribus sacchari libris. Sicque confectus syrupus continet libras quatuor.

Succi asibus 40. Simplicia asibus 5. Acetum asibus 5. Saccharum asibus 30. Ignis asibus 5. Summa libris 4. cum asibus quinque.

Quatuor istæ libræ redeunt ad uncias 60. uncia ad assem unum cum denariis octo.

Syrupus acetosus.

Coquuntur libræ quatuor aquæ fontanæ cum sacchari fini libris quinque ad dimidias, abiecta quæ supernatat spuma, sensimque aceti albi generosi libræ tres adduntur, quæ simul ad syrupi consistentiam coquun-

tur, continetque syrupus libras sex & ultra.

Saccharum libris 3. Acetum assibus 6. Ignis assibus 10. Summa libris 3. cum 16. assib. Syrupi libræ decem ad libras quinque cum dimidia redeunt, uncia ad denarios undecim.

Syrupus oxyacanthæ seu berberorum.
limonum,
granatorum acidorum,
ribesiorum, seu grossulorum rubeorum.

Omnes isti syrupi eodem modo conficiuntur, quo syrupus violatus cum succo.

Enumeratorum syruporum quæque uncia ad sexdecim aut octodecim denarios redit, excepto syrupo granatorum acidorum, qui redit ad asses duos cum dimidio.

Syrupus de agresta.

Succi depurati & sacchari par quantitas simul coquitur in consistentiam paulo crassiorem. Deinde ab igne extrahitur, & in quaque libra tres quatuorve unciæ succi agrestæ depurati adjiciuntur, quibus diluitur reduciturque ad syrupi consistentiam.

Prædicti syrupi uncia redit ad asses quinque.

Syrupus de moris.

Ex libra una cum semisse succi mororum, cum libra una mellis despumati, & sapæ unciis quatuor conficitur syrupus unciarum 25.

Succus mororum assibus 10. Mel despu-

matum assibus 8. Sapa assibus 2. Ignis assibus 3. Summa assibus 23.

Prædictæ viginti quinque unciæ redeunt ad uncias 23. uncia ad assem unum.

Syrupus cydoniorum simplex.

Cum tribus libris sacchari libræ quatuor succi cydoniorum clarificati coquuntur, conficiturque syrupus vnciarum 60.

Succus cydoniorum assibus 40. Saccharum assibus 30. Ignis assibus 10. Summa libris 4.

Istæ syrupi unciæ 60. redeunt ad uncias 55. uncia ad denarios 18.

Syrupus de pomis simplex.

Cum succi pomorum clarificati libris quatuor sacchari libræ tres excoquuntur: fitque syrupus, qui continet uncias 60.

Succus assibus 30. Saccharum assibus 30. Ignis assibus 10. Summa libris tribus cum dimidia.

Sexaginta prædictæ unciæ ad 55. redeunt, uncia ad denarios 14.

Syrupus de pomis compositus.

In succi libris quinque macerantur per 24. horas senæ unciæ quatuor, cum semuncia seminis anisi. Post secundam tertiamve ebullitionem omnia colantur & exprimuntur. In colato & expresso adduntur sacchari libræ tres. Fitque syrupus, qui continet uncias 60. In quo sub finem coctionis croci nodulus infunditur, sæpiusque exprimitur.

Succus assibus 40. Saccharum assibus 30.

Sena cum aniso assib. 24. Crocus assib. 6. Ignis assib. 10. Summa libris 5. cum semisse.

Prædictæ 60. unciæ, detrimento subducto, ad 55. redeunt, uncia ad asses duos.

Syrupus de mentha simplex.

Cum tribus libris succi depurati par sacchari quantitas excoquitur ad syrupi confectionem, qui est unciarum 60.

Succus libris 3. Saccharum assibus 30. Ignis assib. 10. Summa libris 5.

Syrupi unciæ 60. ad 55. uncias redeunt, uncia ad asses 2.

Syrupus rosarum siccarum.

Fit infusio ex quatuor vel quinque unciis rosarum siccarum in libra una cum semisse aquæ per 24. horas, deinde fit levis ebullitio, in qua colata & expressa sacchari libra una excoquitur. Sicque conficitur syrupus, qui est unciarum 20.

Rosæ rubræ assib. 4. Saccharum assib. 10. Ignis assib. 5. Summa asib. 19.

Prædictæ 20. unciæ, detrimento subducto, redeunt ad uncias 18. uncia ad denarios 13.

Iulepus rosatus.

Sacchari optimi unciæ quatuor in aquæ rosaceæ unciis octo ad consistentiam iulepi, id est leviusculè coquuntur.

Vncia redit ad denarios 15.

Syrupus de absinthio.

Fit infusio simplicium in vini albi libris

duabus cum dimidia, cum pari quantitate ſucci cydoniorum. Deinde fit decoctio, quæ colata & clarificata ad dimidias redit, cum qua ſacchari libræ duæ decoquuntur. Syrupus continet uncias 40.

Abſinthium, roſæ ſiccæ, nardus Indica aſſib. 15. Vinum & ſuccus cydoniorum aſsib. 30. Saccharum aſsib. 20. Ignis aſsib. 10. Summa libris 3. cum aſsib. 15.

Prædictæ 40. unciæ, detrimento ſubducto, ad 38. uncias redeunt, uncia ad aſſes 2.

Syrupus de ſtœchade.

Fit ſimplicium decoctio in aquæ libris decem, quæ redit ad libras quinque colatas, cum quibus ſacchari libræ duæ, & tantundem mellis deſpumati decoquuntur. Sicque conficitur ſyrupus cinnamomo, zingibere, & calamo aromatico conditus, continetque libras quinque.

Simplicia, ex quibus conflatur decoctio & aromatizatio, aſsib. 15. Saccharum & mel deſpumatum aſsib. 30.

Ignis aſsib. 10. Summa aſsibus 55.

Syrupi libræ quinque, ſubducto quod decedit, ad libras quatuor cum ſemiſſe redeũt, quæ ſunt unciæ 72. uncia ad denarios 11.

Syrupus de liquiritia.

Fit infuſio commemoratorum ſimplicium in quatuor aquæ libris, reditque decoctum ad tres expreſſas clarificataſque libras, cum quibus mel deſpumatum, penidiæ, ſaccha-

rum incoquuntur. Sicque confectus syrupus 29. vel 30. uncias continet.

Simplicia asibus 3. Mel despumatum asib. 4. Penidiæ asib. 10. Saccharum asib. 5. Ignis asib. 8. Summa asib. 30.

Syrupi unciis 30. ad 28. redactis, uncia quaque ad denarios decem.

Syrupus iuiubinus.

Simplicia in quatuor libris aquæ decoquuntur. Medietati colatæ & clarificatæ additur sacchari libra una cum dimidia: conficiturque syrupus, qui redit ad 29. aut 30. uncias.

Simplicia asibus 10. Saccharum asibus 15. Ignis asib. 10. Summa asibus 35.

Prędictæ 30. unciæ, subducto detrimento, redeunt ad 28. uncias, uncia ad denarios 15.

Syrupus de hyssopo.

Simplicia in libris sex aquæ decoquuntur. Bulliant in medietate decocti colata mellis despumati libræ duæ, cum pari sacchari quantitate, conficiturque, pulveris ireos Florent. uncia una conditus, qui est librarum 3.

Simplicia asib. 10. Hydromel asib. 6. Mel despumatum asib. 16. Saccharum asib. 20. Ignis asib. 10. Summa libris 3. cum asibus 2.

Libræ illæ quinque, subducto detrimento, redeunt ad quatuor libras cum dimidia, uncia ad assem unum.

Syrupus de praſſio.

Fit decoctio ſimplicium in libris octo hydromelitis multum aquoſi ad medietatis conſumptionem. In ea colata mellis deſpumati libræ duæ incoquuntur, cum pari ſacchari quantitate, fitque ſyrupus aromatizatus uncia una ireos Florent. pulveratæ. Dictus ſyrupus ad libras quinque redibit.

Simplicia, aſsibus decem. Hydromel aſsibus ſex. Mel deſpumatum aſsibus 16. Saccharum aſsibus 20. Ignis aſsibus 10. Summa libris 3. cum aſsibus 2.

Libræ quinque, ſubducto detrimento, redeunt ad libras quatuor cum dimidia: uncia ad aſſem unum.

Syrupus de raphano.

Simplicia neceſſaria in decem aquæ libris decoquuntur, dum ſex libræ ſuperſint: cum quibus ſacchari libræ quatuor, & mellis libra una, excoquuntur. Fitque ſyrupus conditus cinnamomo & nuce moſchata, qui ſex libras & ultra penſitat.

Simplicia aſſibus 20. Saccharum aſsib. 40. Mel aſsib. 4. Ignis aſsibus 6. Summa libris 3. cum ſemiſſe, uncia aſſe circiter uno.

Syrupus de artemiſia.

Fit infuſio & decoctio ſimplicium in hydromelitis libris octo, reditque decoctum ad libras quinque colatas.

Cum pari ſacchari quantitate fit ſyrupus, ſex libras & ultra continens.

Simplicia aſsib. 22. Hydromel aſsib. 8.

Saccharum asib. 50. Ignis asib. 10. Summa libris 4. cum asib. 10.

Syrupi unciæ sex, subducto detrimento, redeunt ad quinque libras & amplius, uncia ad assem unum.

De Syrupis mellitis.

Oxymel simplex.

DEcoquuntur duę librę mellis in aqua, abiecta identidem supernatante spuma. Deinde paulatim affunditur aceti albi generosi libra una, ut in consistentiam liquidiorem excoquatur. Continet libram unam cum dimidia.

Mel asibus 8. Acetum asib. 3. Ignis asibus 10. Summa asib. 21.

Oxymelitis libra una cum semisse redit ad uncias 22. uncia ad assem unum.

Oxymel scilliticum.

Mellis despumati librę tres cum aceti scillitici libris duabus decoquuntur, conficiturque syrupus librarum circiter quatuor.

Mel despumatum asib. 24. Acetum scilliticum asib. 30. Ignis asib. 8. Summa libris 3.

Detrimento subducto syrupi librę quatuor ad 58. uncias redeunt, uncia ad assem unum.

Oxymel compositum.

Decoquuntur simplicia in 12. libris aquæ

ad dimidias. Colentur, clarificentur, melliſque opt. librę quatuor aut amplius cum libra una aceti albi incoquantur. Conficitur ſyrupus, qui quatuor libras & ultra continet.

Simplicia aſſibus 8. Mel aſsibus 20. Acetum aſsibus 3. Ignis aſsibus 10. Summa aſſibus 41.

Prędictæ duæ ſyrupi libræ, ſubducto quod deceſſit, ad 30. uncias redeunt, uncia ad denarios 16.

Oxymel ſcilliticum compoſitum.

Si pro aceto communi ſubſtituas in oxymelite compoſito acetum ſcilliticum, oxymel ſcilliticum compoſitum nuncupabitur, cuius uncia ad aſſem unum cum ſemiſſe redit.

Acetum ſcilliticum.

Scillarum prępararatarum libra una in phialam vitream imponitur, ſuperfundendo aceti albi vel coloris valde diluti libras octo; quæ phiala probe clauſa ſoli ardenti æſtate exponetur, aut in hypocauſto vel ſtufa per 40. dies, vel per 7. aut 8. dies ſupra cineres calidiuſculos, ſi ſolis opportunitas vel commoditas non adſit. Omnia poſtea trajiciantur, ſcillis valde expreſſis, proiectiſque. Acetum porro bene depuratum in lagena accuratè obturata recondetur.

Scillæ aſsibus 40. Acetum aſsibus 16. Summa aſsibus 56.

Libræ quatuor ad 58. uncias redeunt, uncia ad aſſem unum.

Hydromel

Hydromel vinosum simplex.

In quadraginta libris aquæ, mellis optimi libræ 16. decoquuntur, donec ovum crudum impositum supernatet, aut iulepi consistentiam consequatur. Tum ab igne removebis, reponesque in cado apto, solique aliquantisper expones, hincque asservabis.

Mel libris 3. cum asibus 4. Ignis asibus 10. Summa libris 3. cum asibus 14.

Prędicti mellis libræ duæ, subducto quod decessit, ad asses 14. redeunt.

Mel despumatum.

Accipe mellis puri & defæcati, cum pari aquæ quantitate, libras quinque. Si vero mel sit sordidius, sumantur libræ decem. Immittantur in cacabum, leviterque bulliant. Dein ex crassiore linteolo mundo trajiciantur. Hinc iterum bulliant, spuma cum cochleari perforato excussa, ad syrupi vel mellis consistentiam.

Mel huiusmodi redit ad libras duas cum dimidia & ultra.

Mellis libræ 5. asibus 16. Ignis asibus 6. Summa asibus 22.

De melle rosato.

Mel istud pluribus instituitur modis, ex quibus quatuor hic describam.

Primus modus. Infunditur libra una rosarum rubrarum recentium, in mortario marmoreo contusarum, cum mellis despumati libris tribus.

Vncia prædicti mellis, subducto detri-

mento, redit ad assem unum cum denariis duobus.

Secundus. Fiunt tres infusiones ex una libra rosarum rubrarum recentium, quaque vice cum mellis despumati libris tribus. Vncia redit ad asses duos.

Tertius. Fit infusio cum libra una rosarum rubrarum recentium integrarum, in mortario marmoreo contusarum, cum tribus libris mellis.

Vncia redit ad denarios decem.

Quartus. Fit trina infusio unius libræ pro quaque vice rosarum rubrarum integrarum cum melle contusarum. Vncia redit ad denarios 16.

Duo postremi mellis rosati conficiendi modi vulgo non usurpantur.

Mel violatum, & mercuriale eodem parantur modo.

Sumuntur, exempli gratia, succi mercurialis depurati ac colati libræ tres. Coquuntur cum pari mellis communis quantitate, ex crassiori tela (ut ante dictum est de melle despumato) trajiciuntur, coquunturque in mellis consistentiam, citra despumationem.

Vncia redit ad assem dimidium.

Sapa seu defrutum.

Libræ duodecim musti ex uvis albis valde maturis expressi ex igne fumi experte ad duarum tertiarum consumptionem percoquuntur, supernatante spuma continuo abiecta, ut sapa pulchrior gratiorque eva-

dat. Ad tres vel quatuor excurrit libras.

Libræ 12. musti asibus 24. Ignis asibus 10. Summa asibus 34.

Vncia redit ad denarios decem.

De Conservis seu Conditis.

De Conserva violarum.

TVnditur libra una violarum mundatarum in mortario marmoreo, cum pistillo ligneo, addunturque sacchari libræ duæ: conficiturque conserva, in vase fictili elegantiori reponenda, insolandaque per duas vel tres hebdomadas. Prædicta conserva redit ad uncias 45.

Libra violarum mundatarum asibus 50. Saccharum asibus 20. Summa libris 3. cum dimidia.

Vnciæ 45. detrimento subducto, redeunt ad uncias 42. uncia ad asses circiter duos.

Conserva rosarum.

Fit eodem modo quo superior, ex libra una rosarum præparatarum & libris duabus sacchari.

Continet uncias 45. uncia 13. denariis.

Conserva florum nenupharis.

Eodem modo quo præcedentes conficitur. Vncia redit ad denarios octo.

Conserva florum buglossi, borraginis, anthos, & florum betonicæ.

Neque modo faciendi discrepant à supe-

rioribus. Vncia ſingularum redit ad aſſem unum.

DE ELECTVARIIS PVRGANTIBVS.

Electuarium Diacaſſia.

DEcoquuntur ſimplicia deſcripta. In decocto colato expreſſoque octodecim ſacchari unciæ in conſiſtentiam ſyrupi craſſioris decoquuntur, admiſcenturque medullæ caſsiæ recens mundatæ unciæ duodecim. Sicque [illegible]ur electuarium, quod continet uncias 30.

Simplicia aſsibus 3. Saccharum aſsib. 12. Caſsia libris 6. Ignis aſsibus 5. Summa libris 7.

Triginta unciæ, ſubducto quod deceſsit, redeunt ad uncias 28. uncia ad aſſes 5.

Electuarium lenitivum.

Fit decoctio ſecundum artem, ex medicamentis enumeratis. In ea colata & expreſſa decoquitur ſaccharum ad conficiendum ſyrupum, cum eoque miſcentur pulveres ad electuarij confectionem, quod continet 38. aut 40. uncias.

Simplicia & ignis libris 5. Vnciæ 38. ſubducto detrimento, redeunt ad uncias 36. Vncia redit ad aſſes tres cum denariis novem.

Electuarium Catholicum.

Ex polypodij & aniſi decocto, cum ſaccharo colato conficitur ſyrupus, admiſtiſque

cum pulpa pulveribus, concinnatur electuarium, quod continet 150. uncias & amplius.

Ingredientia cum igne libris 15. Prędictæ 150. unciæ detrimento subducto redeunt ad 145. uncias, uncia ad asses duos cum denariis duobus. Si duplicetur rhabarbarum, uncia redibit ad asses duos cum dimidio, & aliquid ultra.

Electuarium diaprunis simplex.

In sufficienti quantitate decocti prunorum coquitur saccharum, ut fiat syrupus debitæ consistentiæ, cum quo miscebis pulpas ac pulveres, fietque electuarium 44. uncias continens.

Ingredientia cum igne libris tribus cum assibus sex. Vnciæ 44. electuarij, subducto quod decedere potuit, redeunt ad uncias 42. uncia redit ad assem unum cum denariis novem.

Electuarium diaprunis laxativum.

In quibusque præscripti electuarij unciis duodecim miscetur scammonij prępparati semuncia: tuncque unaquæque uncia redit ad asses duos cum dimidio ad summum.

Electuarium de dactylis, seu Diaphœnicum.

Miscetur ex arte pulpa dactylorum prępparatorum, pulveres vero cum melle despumato: fitque electuarium quod continet uncias 36.

Ingredientia cum igne, libris 5. cum assibus 5.

Prędictæ 36. unciæ, subducto detrimento,

redeunt ad 34. uncias, uncia ad asses tres aut paulo plus.

Benedicta laxativa.

Medicamenta in pulverem redacta cum octodecim unciis mellis despumati miscentur, conficiturque electuarium, quod continet uncias 23.

Ingredientia cum igne asibus 55.

Vnciæ istæ 23. subducto quod decessit, redeunt ad uncias 21. & plus. Vncia redit ad asses duos cum dimidio.

Confectio Hamech.

Infunduntur decoquunturque medicamenta in sero; miscenturque in decocto colato succi pulpæ, saccharum & mel: Deinde iterum coquitur, addendo pulveres.

Dicta confectio reddit ad 44. uncias & plius.

Medicamenta & ignis libris 8.

Prędictæ unciæ 44. subducto detrimento, redeunt ad uncias 42. uncia ad asses 4.

DE HIERIS.

Hiera picra Galeni.

MEdicamenta ex arte in pulverem redacta miscentur cum mellis despumati libris quatuor: conficiturque electuarium, quod continet libras quatuor cum unciis quatuor, & drachmis sex.

Ingredientia cum igne lib. 8. cum asib. 13.

Prędictæ libræ quatuor, cum unciis quatuor, & drachmis sex, subducto detrimento, redeunt ad unc. 64. uncia redit ad asses tres.

Pulvis hieræ simplicis sine aloë.

Medicamenta in pulverem redacta redeunt ad drachmas 42. & ad asses 52.

Prędictæ drachmæ 42. subducto detrimento, redeunt ad drachmas 40. drachma ad assem unum cum denariis quatuor.

Pulvis hieræ simplicis cum aloë.

Pulvis continet drachmas 142. quæ redeunt ad uncias 17. cum drachmis sex.

Medicamenta libris 7 cum dimidia.

Prędictæ unciæ 17. subducto detrimento, redeunt ad uncias 16. & amplius, drachma denariis 13.

Hiera picra cum agarico.

Pulvis hieræ simplicis sine aloë, cum agarico trochiscato, & aloë similiter pulverato, miscetur cum unciis novẽ mellis despumati.

Prędicta hiera redit ad uncias 12. medicamenta & ignis ad asses 40.

Vnciæ istæ 12. subducto quod decessit, redeunt ad uncias 11. uncia ad asses 4.

Hiera diacolocynthidos Pachij.

Medicamenta in pulverem redacta cum mellis despumati libris tribus miscentur, fitque confectio, quæ 47. uncias continet.

Ingredientia & ignis libris 3. cum assib. 17.

Vnciæ 47. subducto quod decessit, redeunt ad uncias 44. uncia ad assem unum cum denariis novem.

DE ELECTVARIIS SOLIDIS.

Electuarium Diacarthami.

PVlveranda medicamenta in pulverem rediguntur, deinde cydoniatum in mortario cũ piſtillo ligneo contunditur, cui additur mel roſatum & manna mundatum. Deinde coquitur ſaccharum cum aqua in forma convenienti, cum quo adhuc calente diſſolvitur cydoniatum, mel, & manna ſimul commiſta. Deinde adduntur pulveres, amoveturque ab igne. Poſtquam refrigeratum fuerit, formabuntur tabellæ, ponderis ſemunciæ quælibet, ad uſum ſervandæ.

Prędictum electuarium redit ad uncias 14. Ingredientia & ignis ad aſſes 45.

Vnciæ 14. ſubducto detrimento, ad uncias 13. redeunt, uncia ad aſſes tres cum dimidio.

Electuarium de ſucco roſarum.

Succus roſarum rubrarum depuratus cum ſaccharo ad electuarij ſolidi conſiſtentiam coquitur. Deinde ab igne remoto, tantiſperque refrigerato, adduntur pulveres ad formandas tabellas, ponderis drachmarum duarum cum ſemiſſe.

Electuarium continet uncias 22.

Ingredientia & ignis libris 3. cum aſsib. 17.

Prædictæ electuarij unciæ 22. ſubducto detrimento, ad uncias 20. redeunt & amplius, uncia ad aſſes quatuor.

Electuarium de citro solutivum.

Medicamentis in pulverem redactis, cortice vero citri cum conservis in mortario marmoreo contusis, saccharum in forma convenienti cum aqua rosacea aut buglossi coquitur, ad conservarum & pulverum dissolutionem. Ex hac pasta adhuc calente formabuntur tabellæ, ponderis semunciæ.

Compositio integra uncias 15. continet. Ingredientia & ignis assibus 55.

Subducto detrimento istæ unciæ 15. ad 14. redeunt, uncia ad asses 4.

DE TROCHISCIS PVRGANTIBVS.

Trochisci de rhabarbaro.

MEdicamenta in pulverem redacta cum eupatorij succo malaxantur, in trochiscosque rediguntur, qui exsiccantur, ad usumque asservantur. Tota trochiscorum massa 23. drachmas continet.

Ingredientia assibus 40. Prædictę drachmæ 23. subducto detrimento, ad drachmas 22. redeunt, drachma ad asses duos.

Trochisci de agarico Bauderoni.

Agaricus raspatus cum aqua vitę malaxabitur, siccabitur in umbra, iterumque in pulverem redigetur; cumque prędicta aqua vitæ omnia denuo malaxabuntur & siccabuntur, ad ususque servabuntur.

Totum continet drachmas sexdecim.

Ingredientia assibus 28. Prædictæ drachmæ 16. subducto detrimento redeunt ad drachmas 15. drachma ad asses 2.

Trochisci Alhandal.

Sumuntur unciæ decem pulpæ colocynthidos à granis repurgatæ, cum forcipibusque minutissime concisæ. In mortario leniter in pulverem cum aliquot guttis olei cõmunis vel rosati rediguntur. Postea cũ parte una mucaginum gummi Arabici, Tragacanthæ & Bdellij, in aqua rosacea extractarum, formantur trochisci exigui, qui in umbra exsiccantur. Qui siccati in pulverem denuo rediguntur, & cum residuo mucaginum malaxati in trochiscosque formati & in umbra siccati ad usus servantur.

Trochisci continent drachmas 90.

Ingredientia libris octo cum dimidia. Prædictæ drachmæ 90. subducto detrimento, ad 85. drachmas redeunt, drachma ad asses duos.

Pilulæ stomachicæ seu ante cibum.

Medicamenta ex arte in pulverem rediguntur. Deinde cum syrupo rosato vel de absinthio malaxantur, fingiturque massa, quæ exsiccata continet drachmas 15.

Ingredientia assibus 11.

Prædictæ drachmæ 15. subducto detrimento, ad 14. drachmas redeunt, drachma ad denarios 10.

Pilulæ Rufi.

Medicamenta in pulverem redacta cum

mulso malaxantur, fingiturque massa, quæ siccata drachmas 30. & amplius continet.

Ingredientia assibus 37.

Prædictæ drachmæ 30. subducto detrimento, redeunt ad drachmas 28. drachma ad denarios 16.

Pilulæ mastichinæ.

Medicamenta in pulverem redacta, cum sufficienti quantitate hydromelitis vinosi, malaxantur ad massæ formam, quæ siccata drachmas 20. & amplius continet.

Ingredientia assibus 23.

Prædictæ drachmæ 20. subducto detrimento, redeunt ad drachmas 18. drachma ad denarios sexdecim.

Pilulæ ex tribus solutivis.

Medicamenta in pulverem redacta malaxantur cum syrupo rosarum pallidarum, fingiturque massa, quæ siccata continet drachmas 13.

Ingredientia assibus 18.

Prædictæ drachmæ 13. subducto quod decessit, ad 12. drachmas redeunt, drachma ad denarios 18.

Pilulæ imperiales.

Medicamenta pulverata cum syrupo violato malaxantur. Massa exsiccata continet uncias 10.

Ingredientia seu medicamenta libris 4.

Prædictæ unciæ ad uncias 9. cum dimidia redeunt, drachma ad denarios 14.

Pilulæ sine quibus.

Medicamenta in pulverem redacta cum melle depurato, cum succo fœniculi malaxantur. Massa uncias 6. & amplius continet.

Ingredientia & ignis assibus 54.

Prædictæ drachmæ 48. subducto detrimento, redeunt ad drachmas 46. drachma ad denarios 14.

Pilulæ aureæ.

Ex medicamentis in pulverem redactis malaxatisque cum melle rosato formatur massa, quæ exsiccata 32. drachmas continet.

Ingredientia assibus 32.

Prædictæ drachmæ 32. subducto detrimento, redeunt ad 30. drachmas, drachma ad assem unum.

Pilulæ de agarico.

Medicamenta in pulverem redacta cum sapa malaxantur, formaturque massa quæ continet drachmas 30.

Ingredientia constant assibus 25.

Prædictæ 30. drachmę, subducto detrimento, redeunt ad drachmas 28. drachma ad denarios 11.

Pilulæ coccię.

Medicamenta pulverata cum syrupo de stœchade malaxantur. Massa exsiccata continet drachmas 40.

Ingredientia constant assibus 30.

Istę 40. drachmę, subducto detrimento, ad drachmas 38. redeunt, drachma ad denarios 10.

Pilulæ de hermodactylis maiores.

Ingredientia in pulverem redacta cum succo brassicę malaxantur, in quo liquefacta fuerint gummi. Deinde colatur, coquitur, fitque massa, quę exsiccata continet drachmas 60. & amplius.

Ingredientia & ignis constant assibus 50.

Prędictę 60. drachmę, subducto detrimento, redeunt ad drachmas 55. drachma ad assem unum.

Pilulæ aggregatiuæ.

Medicamenta pulverata cum succo fumariæ depurato in sole vel in igne, malaxantur, vnde formatur massa, quę in umbra exsiccata in pulverem denuo redigitur, cum prędicto succo malaxatur, deinde ut suprà exsiccatur. Tertio denique in pulverem redigetur, cum syrupo de fumaria malaxabitur, massaque fingetur, quæ continet drachmas 40.

Ingredientia constabunt assibus 34.

Prædictę drachmæ 40. detrimento subducto, redeunt ad drachmas 37. drachma ad assem unum.

Pilulæ de lapide lazuli.

Lapis lazuli ex arte præparatus, cum reliquis medicamentis in pulverem redigitur, qui in mortario cum pulvere hierę picrę commiscebitur, malaxabiturque cum syrupo regis Saboris, fingeturque massa, quę 90. drachmas ponderabit.

Ingredientia constabunt libris tribus cum assibus 12.

Prędictæ 90. drachmę, ſubducto quod deceſſit, ad 84. drachmas redeunt, drachma ad aſſem unum & quid amplius.

Pilulæ aloëphanginæ.

Medicamenta craſſiuſculè pulverata infunduntur in aquę libris quatuor per 12. horas, lenteque ſupra ignem coquuntur ad tertię partis conſumptionem. In colatura expreſſa aloës pulveratę uncię 12. nutriuntur; quę exſiccatur, iterum pulveratur, additurque cum eo myrrha, maſtichę & crocus pariter pulverata: deinde cum ſyrupo abſinthij malaxantur, ſingiturque maſſa quę ponderat uncias 19. & amplius.

Ingredientia & ignis conſtabunt libris ſeptem.

Vncię 19. ſubducto detrimento ad 18. uncias redeunt, uncia ad aſſes 9. drachma ad aſſem unum vel denarios 13.

Pilulæ de cynogloſſo.

Medicamentis in pulverem redactis, opioque conciſo & liquefacto, formatur maſſa cum ſyrupo de ſtœchade.

Prędicta maſſa exſiccata ponderat drachmas 38. & amplius.

Ingredientia conſtabunt aſsibus 40.

Drachmę 38. & amplius, ſubducto detrimento, ad 36. drachmas redeunt, drachma ad denarios 14.

Pilulæ bechicæ nigræ.

In pulverem ingredientia rediguntur, cumque mucaginibus ſeminis cydonionum

extractis in aqua rosarum fiunt pilulę rotundæ, & planę vulgò sublingues vocatæ.

Totum continet uncias 26.

Ingredientia constabunt assibus 32.

Prædictæ unciæ 26. subducto detrimento, redeunt ad uncias 24. uncia ad denarios 16.

PVLVERES ET TABELLÆ.

Pulvis Diamargariti frigidi.

MEdicamentis ex arte in pulverem redactis, permistisque simul, totum drachmas 25. continet.

Ingredientia constabunt assibus 35.

Prædictæ 25. drachmæ, deducto detrimento, redeunt ad drachmas 23. drachma ad asses duos cum denariis 8.

Tabellæ Diamargariti frigidi.

Pulvis prædictus commiscetur cum sexdecim unciis sacchari, cocti cum aqua buglossi ad consistentiam idoneam; finguntur-que tabellæ quæ continent uncias 16.

Pulveres, saccharum, aqua buglossi, asibus 37.

Vnciæ sexdecim tabellarum, subducto detrimento, ad 15. redeunt, uncia ad asses duos cum dimidio.

Nota, in confectione tabellarum communiter unciam unam pulveris poni pro sacchari unciis sexdecim.

Diamargaritum ſimplex, ſive Manus Chriſti cum perlis.

Sumitur ſemuncia margaritarum, vulgo perlarum, pulveratarum & in porphyrio præparatarum, cum aqua roſacea, diſſoluta cum ſacchari liquefacti unciis duodecim, coctique ut decet cum aqua roſacea, fiuntque tabellæ quæ continent uncias 11. uncia ad aſſes 3. cum tribus denariis.

Pulvis electuarij Dianthes.

Medicamenta in pulverem rediguntur, qui continet drachmas 20.

Ingredientia conſtabunt aſsibus 15.

Prædicta 20. drachmæ, ſubducto detrimento, redeunt ad drachmas 18. & amplius drachma ad aſſem unum.

Ingredientia & ignis conſtant aſsibus 40.

Prædictæ 12. unciæ cum dimidia, ſubducto detrimento, redeunt ad drachmas 10. & amplius, drachma ad aſſem unum.

Vncia tabellarum Dianthos, ſubducto detrimento, redit ad aſſem unum cum dimidio.

Pulvis Electuarij pleres archonticon.

Medicamenta in pulverem redacta continent 20. drachmas.

Ingredientia conſtant aſsibus 30.

Prædictæ pulveris 20. drachmæ, ſubducto detrimento, redeunt ad 19. drachma ad aſſes duos ad ſummum.

Vncia tabellarum, ſubducto detrimento, redit ad aſſes 21.

Pulvis

Pulvis Diatragacanthi frigidi.

Pulvis 21. drachmas continet.

Ingredientia constant assibus decem.

Drachmæ 22. subducto detrimento, redeunt ad 20. drachma ad denarios sex.

Vncia tabell. subd. detrim redit ad assem 1.

Pulvis Diaireos simplicis.

Pulvis continet drachmas 16.

Ingredientia assibus 6.

Drachmæ 16. subducto quod decessit, redeũt ad drachmas 15. drachma ad denarios 6.

Vncia tabellarum Diaireos simplicis, subducto detrimento, redit ad assem unum.

Pulvis Diaireos compositi.

Pulvis continet drachmas 28.

Ingredientia constant asibus octo.

Pulveris 28. drachmæ, subtracto quod decedere potuit, redeunt ad drachmas 26. drachma ad denarios quatuor.

Vncia tabellarum Diaireos compositi, subducto detrimento, redit ad assem unum.

Pulvis Electuarij Diacalaminthæ.

Pulvis continet drachmas 26.

Ingredientia constabunt asibus 8.

Drachmæ istę 26. subtracto quod decessit, redeunt ad 24. drachma ad denarios 4.

Vncia istarum tabellarum, subducto quod iustum est, redit ad assem unum.

Pulvis electuarij Diambræ.

Pulvis continet drachmas 30.

Ingredientia libris septem cum asibus 14.

Prædictæ drachmæ 30. subducto detri-

mento, redeunt ad drachmas 28. drachma ad asses 5. cum denariis 6.

Vncia tabellarum de Diambra, subducto quod oportet, redit ad asses 4.

Pulvis electuarij de gemmis.

Pulvis ex omnibus conflatus medicamentis, continet drachmas 26.

Ingredientia constant libris 9. cum denariis 14.

Drachmæ 26. subducto detrimento, redeunt ad 24. drachma ad asses octo.

Vncia tabellarum electuarij de gemmis, subducto quod convenit, redit ad asses 5.

Pulvis electuarij Aromatici rosati.

Medicamenta pulverata ponderant drachmas 47.

Ingredientia constant libris 6.

Drachmæ 47. subducto detrimento, ad 44. redeunt, drachma ad asses tres.

Vncia tabellarum istarum, subducto quod decessit, redit ad asses tres cum denariis sex.

Pulvis electuarij Diarrhodon. Abbatis.

Pulvis continet drachmas 26.

Ingredientia constant asibus 32.

Drachmæ 26. subducto detrimento, redeunt ad drachmas 24. drachma ad denarios 16.

Vncia tabellarum de Diarrhodon, subducto quod decessit, redit ad asses duos.

Pulvis electuarij trium santalorum.

Pulvis ponderat drachmas 30. & amplius.

Ingredientia constant assibus 20.

Drachmæ 30. subducto quod iustum est, redeunt ad 28. drachma ad denarios 10.

Vncia tabellarum dicti electuarij redit ad assem unum cum denariis tribus.

Pulvis electuarij exhilarantis.

Medicamentorum pulvis continet drachmas 34. & amplius.

Ingredientia constant libris 6. cum assibus 16.

Drachmæ 34. subducto detrimento, redeũt ad 32. drachma ad asses 4. cum denariis 3.

Vncia tabellarum istarum, subducto quod iustum est, constabit assibus tribus.

Pulvis electuarij lithontriptici.

Pulvis continet drachmas 31. & amplius.

Ingredientia constant assibus 29.

Drachmæ 31. subducto quod decedere potuit, redeunt ad 29. drachma ad assem unum.

Vncia tabell. redit ad assem unum cum denariis sex.

Pulvis electuarij de Diamoscho.

Pulvis ex medicamentis conflatus continet drachmas 16. & amplius.

Ingredientia assibus 45.

Drachmæ 16. subducto quod iustum est, redeunt ad 15. drachma ad asses tres.

Vncia tabellarum de Diamoscho, subducto detrimento, redit ad asses duos cum denariis sex.

DE ANTIDOTIS HVMIDIS.

Philonium magnum.

PVlverata medicamenta cum unciis octo mellis albi despumati & cocti permiscentur, conficiturque opiata.

Compositio integra continet uncias 10. & amplius.

Ingredientia constant assibus 47.

Vnciæ decem, subducto detrimento, redeunt ad uncias 9. cum dimidia, drachma ad denarios octo.

Requies Nicolai.

Pulvis ex medicamentis conflatus cum triplo iulepi rosati ad syrupi perfectionem cocti incorporatur.

Confectio tota redit ad uncias 13. cum dimidia.

Ingredientia constant assibus 28.

Vnciæ 13. cum dimidia, subducto detrimento, redeunt ad drachmas 100. drachma ad denarios 4.

Vncia Theriacæ, Mithridatij, confectionis de Hyacintho & de Alkermes, redeunt ad asses circiter 20.

Rosata novella.

Medicamenta pulverata incorporantur cum mellis despumati unciis 12. conficiturque compositio ad consistentiam opiatæ, aut electuarij mollis, quod continet uncias 15.

Ingredientia cum igne constabunt assibus 20.

Vnciæ 15. subducto detrimento, redeunt ad 14. uncia ad assem unum & denarios sex.

DE TROCHISCIS.

Trochisci viperini.

EX carne viperarum cocta & præparata, & cum panis triticei mica exsiccata & in pulverem tenuissimum redacta, formantur trochisci, manibus ex opobalsamo vel oleo caryophyllorum vel nucis noschatæ inunctis, ponderis drachmæ unius; exsiccanturque in umbra supra setaceum inversum.

Confectio tota exsiccata ponderat uncias 10

Ingredientia cum igne, libris 17. cum assibus duobus.

Vnciæ 10. subducto quod iustum est, redeunt ad uncias 9. uncia ad asses 36.

Trochisci Hedycroi.

Permiscebuntur medicamenta præparata, ut & opobalsamum aut eius succedaneum, cùm vino generoso: fientque trochisci exigui, in umbra exsiccandi, ad ususque asservandi.

Compositio tota continet drachmas 67.

Ingredientia libris 4. cum assibus 10.

Drachmæ 67. subducto quod decessit, redeunt ad 63. drachma ad denarios 16.

Trochiſci ſcillitici.

Vnciæ 12. ſcillarum præparatarum & per ſetaceum traiectarum, incorporantur cum farina orobi albi, omnibus in mortario malaxatis ad formandos trochiſcos ponderis drachmæ unius, qui exſiccabuntur in umbra ſervabunturque ad uſus.

Integra compoſitio continet uncias 10.

Ingredientia conſtant aſsibus 50.

Vnciæ 20. ſubducto detrimento, redeunt ad uncias 18. uncia ad aſſes tres.

Trochiſci Cypheos.

Præparata ex arte medicamenta incorporantur cum tribus vel quatuor unciis mellis albi deſpumati & cocti ad formam ſyrupi, finguntur trochiſci.

Tota compoſitio continet drachmas 124. quæ conficiunt uncias 15. & amplius.

Ingredientia conſtant libris tribus cum dimidia.

Vnciæ 15. ſubducto detrimento, redeunt ad 14. uncia ad aſſes 4. cum denariis 8.

Trochiſci de Capparibus.

Medicamenta in pulverem redacta, contuſis amygdalis & ſeminibus, malaxabuntur cum ammoniaco in aceto liquefacto, coctoque ad mellis conſiſtentiam, unde finguntur trochiſci ponderis ſcrupulorum quatuor.

Tota compoſitio drachmas 34. continet.

Ingredientia cum igne conſtabunt aſsibus 16.

Drachmæ 34. quod deceſſit ſubtracto, redeunt ad 32. drachma ad denarios ſex.

Trochiſci de Eupatorio.

Puluis ex medicamentis conflatus malaxatur cum ſucco eupatorij depurati & cocti ad ſyrupi liquidi vel leuiter cocti conſiſtentiam, cum manna, unde formabuntur trochiſci ſinguli drachmæ unius.

Integra compoſitio 32. drachmas cum dimidia continet.

Ingredientia cum igne conſtant aſsibus 35.

Drachmæ 32. detrimento ſubducto, redeunt ad 30. drachma ad denarios 13.

Trochiſci Diarrhodonis Abbatis.

Medicamenta pulverata ex arte malaxantur cum vino albo, fingiturque maſſa prædictorum trochiſcorum, qui formantur, exſiccantur in umbra, aſſervanturque. Ponderant drachmas 18.

Ingredientia conſtabunt aſsibus 40.

Drachmæ 18. ſubtracto quod deceſsit, redeunt ad 17. drachma ad aſſem unum cum denariis quatuor.

Trochiſci Alkekengi.

Medicamenta in pulverem redacta malaxantur cum ſucco alkekengi, in quo diſſolutum fuerit opium: formanturque trochiſci ponderis drachmæ unius, ad uſum cum iuſepo roſato vel hydromelite.

Maſſa prædictorum trochiſcorum ponderat uncias 10. & amplius.

Ingredientia constabunt asibus 40.

Vnciæ 10. quæ conficiunt drachmas 80. detrimento subtracto, ad drachmas 75. redeunt, drachma ad denarios septem.

Trochisci de Myrrha.

Medicamenta pulverata cum gummi liquefactis, coctis & colatis malaxantur ad formandos trochiscos ponderis drachmę unius, qui ad usus asservabuntur, ut dictum est.

Massa drachmas 24. continet.

Ingredientia & ignis constant asibus 20.

Drachmæ 24. subducto detrimento, redeunt ad 22. drachma ad assem unum.

Trochisci de terra Lemnia, vulgo sigillata.

Medicamenta puluerata malaxabuntur cum succo plantaginis depurato, ex hacque pasta formabuntur trochisci continentes drachmas 48. & amplius.

Ingredientia constant asibus 48.

Drachmæ 48. detrimento subducto, redeunt ad 45. drachma ad assem unum.

Trochisci de Camphora.

Pulvis ex medicamentis prodiens malaxatur cum mucilagine psyllij in aqua rosarum extracta, vnde formabuntur trochisci.

Tota compositio ponderat drachmas 28.

Ingredientia constant asibus 26.

Drachmæ 28. quod decesit subducto, redeunt ad 26. drachma ad assem unum.

Trochisci de Carabe.

Medicamenta pulverata malaxantur cum mucilagine psyllij extracta in aqua rosarum

vel plantaginis, unde formabuntur trochiſci.

Compoſitio integra continet drachmas 40. & amplius.

Ingredientia conſtant aſsibus 35.

Drachmæ 40. ſubducto detrimento, redeunt ad 38. drachma ad aſſem unum.

Trochiſci de Gallia moſchata.

Medicamenta pulverata malaxantur cum mucilagine tragacanthę extracta in aqua roſarum, unde formabuntur trochiſci.

Compoſitio pendit drachmas 6. ſeu ſcrupulos 30.

Ingredientia conſtant libris 18.

Scrupuli 30. ſubducto detrimento, redeunt ad 28. Scrupulus ad aſſes 23.

Trochiſci ex Alipta moſchata.

Ladanum conquaſſatum agitabitur triturabiturque in mortario calefacto, cum aqua roſacea, donec omnino liqueſcat, nulluſque ſuperſit grumus; addendo ſtyracem rubrum & calamitam, quæ etiam agitabitur, poſtea addetur lignum aloës pulveratum, deinde camphora, moſchus & ambra ſimul ſoluta in mortario cum aqua roſacea. Expaſta mediocriter refrigerata formabuntur trochiſci.

Tota compoſitio pendit drachmas 47. & amplius.

Ingredientia & ignis conſtant libris ſeptem.

Drachmæ 47. ſubducto detrimento, redeunt ad 44. drachma ad aſſes tres cum denariis tribus.

Trochiſci albi Rhaſis.

Ceruſſa præparata, cum aliis medicamentis pulveratis, commiſcetur cum lacte muliebri, fitque paſta, ex qua finguntur trochiſci eius figuræ quæ optatur, qui in umbra exſiccati ad uſus reſervabuntur.

Tota compoſitio drachmas 17. ponderat.

Ingredientia conſtant aſsibus 16.

Drachmæ 17. ſubducto detrimento, redeunt ad 16. drachma ad aſſem unum.

DE AQVIS DESTILLATIS.

AQuarũ communium ſtillatitiarum ſeu deſtillatarum ex refrigeratorio, uncia duobus vel tribus denariis conſtat.

Aquæ roſaceæ ex eodem refrigeratorio elicitæ uncia conſtat 4. vel 5. denariis.

Vncia aquarum communium in balneo Mariæ extractarum, conſtat denariis ſex.

Aquæ cinnamomi uncia, aſsibus tribus vel quatuor.

Vncia aquæ vitæ 6. vel 8. denariis.

DE OLEIS.

OLei roſati ex unica roſarum rubrarum infuſione, uncia aſſe 1.

Olei roſati ex triplici infuſione roſarum rubrarum, aſsibus 2.

Olei violati ex unica infuſione, redit ad denarios 10.

Eiusdem olei uncia ex infusione triplici, redit ad denarios 18.

Reliqua olea communia, velut nenupharis, chamomillæ, anethi, liliorum, rutæ, maioranæ &c. redeunt ad denarios 8.

Vncia olei amygdalarum dulcium, constat asibus duobus, vel asibus 2. cum denariis tribus.

DE VNGVENTIS, ET EMPLASTRIS.

Vnguenta & Emplastra non sunt æqualis pretij.

Aliorum libra constat asibus 16. aliorum 30. aliorum 40. 50. libris tribus, quatuor ad summum.

FINIS.

PHARMACOPOEVS FAMILIARIS ET DOMESTICVS.

A quo compositorum Medicamentorum preparatio, maxima cum facilitate, minimis sumptibus, breviſſimoque tempore edocetur.

AD LECTOREM.

POST *emiſſum vulgatumque, biennio iam exacto, commodi publici cauſa, libellum,* Medici officioſi & domeſtici *titulo inſignitum, qui maximo cum applauſu non ſolum apud Gallos populares meos, ſed etiam apud exteros, qui illum vernacula lingua donarunt, exceptus fuit: denuo à permultis non obſcuri nominis viris erga publica bene affectis, rogatus ſum, ut compendiariam Pharmacopœam, ſeu ſynopſim Medicamenta componendi, facilè, exiguæ impenſæ, brevique tempore comprehenſam, in qua Medicamenta compoſita, ad omnis generis morbos neceſſaria continerentur, compilarem. Id autem eo lubentius à nobis ſuſce-*

ptum, quod animo cernerem eiusmodi laborem universæ reipublicæ fore admodum proficuum, in primis Religiosorum Religiosarumque cœtibus & communitatibus, aliisque numerosis familijs; Nobilibus extra urbes degentibus, qui suis infimis egenisque subditis officiosè opitulantur, atque etiam Medicinæ studiosis. Nullus enim in arte Medica præcellere nequit, qui Pharmaciam ignoret, nedum partem illius theoreticam, sed practicam etiam, & medicamenta re ipsa componendi artem. Imo etiam illis qui castra sequuntur, quamplurimisque alijs. His permotus rationibus ad præsens opusculum in lucem edendum adductus sum. In quatuor porro Tractatus diuisum est. In primo utensilia sive instrumenta ad Pharmacopœam necessaria, deinde præparationes medicamentorum quæ compositiones ingrediuntur, declarantur. Medicamentorum enim electio temporis progressu, eorumque frequenti tum aspectu, tum contrectatione perdiscitur. Medicus quippe in illis eligendis, præparandis & miscendis non modo interesse, sed maxime eorum dosim morbo, temperamento, parti affectæ, ægrotantis ætati &c. conuenientem præscribere debet, ne ulla fraus errorve subrepat. In secundo tractatu docetur modus syrupos conficiendi, tum ex saccharo, tum melle. Verum forsan aliquis obijciet, me ingentem syruporum alterantium catalogum descripsisse. Cui repono, verum id quidem esse, præstitumque id à nobis, ut ijs obsequerer, qui syrupos, iulapia, apozemata, veluti delicatas

cupedias, consectantur. Si qui vero plura expetant, Authores adeant, qui de illis copiosissimè pertractarunt. Re enim vera ex animoque profiteor, ptisanam accuratè paratam, vel aquam elixam cum medicamentis idoneis, alioqui non insuavibus, gelatinam exquisitam, consummatum curiosè conflatum, iusculum euchymum herbis familiaribus alteratum, longè præferenda, utpote naturæ magis amica; iulepis huiusmodi; syrupis, apozematis, conditis, tabellis, conservis, pulveribus, falso cordialium nomine donatis; aliisque id generis medicamentorum misturis ac obsonijs, Arabum ingenio, & mangonio inventis consarcinatisque: quæ ut plurimum ægrotantibus officiunt nauseamque excitant, præter insigne pecuniarum reique familiaris dispendium. Neque ita hic temperare me possum, quin obiter quibusdam Medicis succenseam, qui cum ab ægris accersuntur, quotiescumque eos invisunt, prolixissimas medicamentorum formulas exarant, ut Pharmacopœis gratificentur, ita ut intra unum aut alterum diem abacos mensasve ægrotantium huiusmodi Pharmaceuticis mercibus onerare gestiant. Quorsum id faciant, cogitandum relinquo. Id unum postularim, eosque amicè rogatos velim, utrum his remedijs in semetipsis, in uxorum, liberorumque morbis sint usuri? Affirmare ausim, illos ingenuè responsuros, nunquam vel rarissime his in casibus uti, tantamque medicamentorum supellectilem neque suis, suorumve usibus adornare, quin imo se ijs parcere

(ut ioco veritas etiam astruatur) ut alijs affatim sufficiant. Et si cum sacris paginis ludere liceat, onera importabilia aliorum humeris imponunt, quæ ne digito quidem ipsi movere velint.

Non inficior equidem, quin sit aliquando præscribendus syrupus aliquis violatus, de papavere, de limonibus, de nymphæa, granatorum acidorum aliave, cum ptisana, aqua elixa, vel decocto idoneo ex herbis familiaribus, aut cum aqua ex refrigeratorio, vel balneo Mariæ destillata. Sed id fiat cum ratione & iudicio, non autem temerè & sine delectu. Humorum enim præparatio laudabili legitimaque diæta procurari debet, ex Galeni præscripto, ad imitationem summi Hippocratis. In eodem etiam Tractatu conservas conficiendi modus describitur. In tertio modi Electuaria, Tabellas, Trochiscos, Pilulas, Pulveres (quos cordiales vocant) ex ijsque compositas Tabellas concinnandi aperiuntur. In quarto methodus olea, unguenta, emplastra componendi exponitur, moduſque aquas destillandi, liquoresve aquis theriacalibus & ex cinnamomo æquipollentes parandi. Sciant autem quicumque libellum hunc lecturi sunt, omnes compositiones inibi descriptas, nostrismet manibus apparatas elaborataſque ad unam fuisse, cum parum in re tanti momenti de meis famulis fiderem; earumque effectus non ego modo conspexi felicissimos, sed Medicorum Parisiensium Collegarum nostrorum pars maxima huic veritati subscriptura

est. Multa porro superflua inutiliaque in harum Compositionum descriptione expuncta sunt, ad Græcorum normam imitationemque, qui uno ore prodiderunt, remedia illa esse optima, quæ simplicissima. Quo modo tam prompto expeditoque compendiaria hic prostat Pharmacopœa ars ve medicamentaria, quam unusquisque domi ipsisque in laribus præsto habere potest, exiguis impensis, intraque octo vel decem dies artem modumque singulas eiusmodi compositiones conficiendi callere potest. Qui duos etenim tresve syrupos, unum aut alterum electuarium &c. præparare noverit, is quævis alia pari facilitate felicitateque concinnaturus est. Accipe ergo, candide Lector, grato liberalique animo, nostrum huncce laborem, non exiguo conatu, non levi studio, non tenuibus impensis adornatum, quem nihilominus gratis publicisque usibus ultro impertimur: summis votis efflagitantes, ut hinc saltem opem suppetiasque tenuis calamitosaque sortis homines indipiscantur. Vale.

Descriptarum hic compositionum dosis, eadem est quæ compositionum ab Authoribus traditarum.

Aduertendum etiam est, in toto libri discursu, ubi mentio fit de libra, intelligi de libra unciarum sexdecim: ubi de uncia, de ea quæ pendit drachmas octo: drachmam, grana 72. vel scrupulos tres complecti: semidrachmam grana 36. scrupulum grana 24. semiscrupulum grana 12. Quod spectat ad radi-

ces,

tes, herbas, flores, fructus &c. Lutetiæ apud Seplasiarios in magno foro, cui nomen les Halles, *fereque in celebrioribus prostant compitis, reliqua autem medicamenta apud Aromatarios.*

In alijs Galliæ aliarumve provinciarum urbibus Medici satagere debent, utilitatis publicæ iuvandæ gratia, apud summos Magistratus, Seplasiariæ si forte desint, instituãtur, qui herbas ex tempore ad occurrentes casus in promptuque habeant. Vbi autem eorum non erit copia, Medici operam navabunt, curabuntque instrui aliquos ingenio minus rudes, de simplicium quæ frequentius in usum veniunt notitia. Id autem ratum habeant, non pœnitendos inde fructus ad valetudinem vitamque indigenarum firmius iucundiusque servandam, artis Medicæ splendorem & ornatum, ad maioremque Dei gloriam derivatum iri.

PHARMACOPOEVS FAMILIARIS ET DOMESTICVS.

TRACTATVS PRIMVS.

Catalogus ſupellectilis Pharmaceuticæ, ſeu utenſilium inſtrumentorumve ad officinam medicamentariam inſtruendam.

CAPVT I.

MOrtarium ferreum vel æneum ponderis 50. vel 60. librarum & ultra; ſi vel liceat, vel libeat, cum piſtillo ferreo.

Mortarium minimum quatuor vel quinque librarum, cum piſtillo ex eadem materia.

Mortarium marmoreum mediocre cum piſtillo ligneo. Mortarium item lapideum, cum piſtillo lapideo.

Ingens rudicula lignea & mediocris.

Cylindrus ligneus ad complanandas tabellas.

Binæ ſpathulæ ferreæ grandiuſculæ, duæ mediocres, duæ minuſculæ ad mundandam caſſiam alioſve uſus.

Duæ ſpathulæ lignæ.

Quadratum ligneum, cuius in singulis angulis sit clavus impactus, ad continendos pannos stamineos (ut vocant) seu lineos albos affixos extensosque ad decocta percolanda.

Fornax ferrea.

Duo grandiores cacabi ex ære rubro; alter ad decocta, syrupos &c. alter ad unguenta & emplastra.

Duæ sartagines mediocres ex ære rubro, cum cauda seu manubrio longiusculo.

Instrumentum ferreum incurvum pertusum (quod vulgo *raspam* vocant) ad cydonia mala exterenda.

Duo cochlearia perforata, unum maius, aliud minus.

Duo torcularia ferrata cum suis clavis ferreis.

Refrigeratorium ex ære rubro ad aquas destillandas.

Duo tresve disci ex ferro albo.

Maiuscula bilanx cum suis ponderibus plumbeis.

Bilances minores cum libra ponderatoria, minutis seorsimque divisis instructa ponderibus.

Duo vel tres panni lanei albi palmum maiorem lati, nec filis in ambitu constricti.

Vna & altera manica Hippocratica.

Sex telæ fortiores semiulna & ultra latæ, in ambitu filis constrictæ, ad succorum & decoctorum traiectionem.

Setaceum cribrum opertum.

Duo alia cribra communia ad cernenda medicamenta amara & alia.

Cribrum ad aloen sucotrinam.

Vasa multa figlina ad asservandos syrupos, electuaria, conservas, olea, unguenta &c.

Duo ingentia vasa terrea latioris orificij vitrata, & totidem non vitrata.

Tria vasa figlina stricti orificij operculata, ad decocta facienda; unum maiusculum, alterum mediocre, tertium minimum.

Duo vasa stannea vel figlina vitrata, ad infusiones.

Lapis porphyreticus, vel marmoreus, vel concha marina cum sua exigua mola.

Sufficiens numerus pyxidum ad medicamenta recondenda. Poterunt autem plura in eadem pyxide reponi, prout Medicus præscripturus est.

Culter calceolarij.

Quatuor vascula vitrea ad pulverum, quos cordiales vocant, repositionem.

Cochlear ingens ferreum ad plumbum aliaque medicamenta præparanda.

Porrò locus ubi officina pharmaceutica extruetur, temperatus sit oportet.

Si quæ alia opus fuerint, Medicus suggeret ordinarius.

DE CLARIFICATIONE.

Modus clarificandi ſaccharum & mel.

CAPVT I.

SAccharum optimum, quale eſt album, durum, ſolidum, perſpicuum, ſplendens, ſaporis iucundi clarificari non debet: nullam enim vel admodum paucam ſpumam eructat.

Saccharum cui dotes hæ non inſunt, hoc modo clarificabitur.

Sumantur, exempli gratia, ſacchari libræ duæ, quæ in minuta fragmenta incides, mitteſque in lebetem vel vas figlinum, affundendo libram unam aquæ, ex decocto vel infuſione, ad eorum liquefactionem: quæ antequam conſumatur, ſumantur duo ovorum albumina cum teſtis, quæ manibus confringes, mitteſque in alium lebetem vel vas figlinum, agitando cum minutis virgulis ex betula ſimul alligatis, in modum exiguæ ſcopæ, aut ex manipulo iunci, inſtar ſcopæ colligati. Poſtea affundatur paulatim alia libra dictorum liquorum, ſeu tepidorum, ſeu frigidorum; agitenturque valde cum ſcopa iſta exigua inter effundendum, omnia deinde cum ſaccharo liquefacto permiſceantur.

Hoc peracto, lebes aut vas, in quod omnia ſunt conjecta, fornaci ſuperponetur, caleſietque igne mediocri, interdum cum ſco-

pavel ſpathula agitando. Vbi vero perſpexeris ſpumam ſordidam ſupernatantem & effervescentem, amovendus erit lebes à fornace, & ubi tantiſper refrixerit, trajicietur liquor per manicam aut pannum laneum album, quatuor clavis quadrati lignei vinctum, ſupra alium lebetem ſive vas commodum poſitum, ad excipiendam colaturam.

Poſtquam ſaccharum traiectum fuerit, ſi non ſufficienter videatur clarificatum, ſtatim per dictam manicam aut pannum laneum tranſmittendum erit ſemel aut bis, modò adhuc çaleat.

Quando ſaccharum vel fragmenta ſaccharacea ſunt utcunque laudabilia, eorum clarificatio prætermittitur ad ſyrupos conficiendos &c. ſed duntaxat ſub finem coctionis, & ab igne remotis detrahitur ſpuma cum cochleari argenteo, vel perforato.

Nota primò, ad clarificandum ſaccharum vel fragmenta ſaccharacea, pro quaque libra ſacchari ponendam eſſe libram unam aquæ, vel decocti, vel infuſionis, ovique albumen cum teſta confracta. Si verò ſaccharum ſordidum admodum eſt, prædictorum liquorum ovique albuminum maior quantitas indenda erit ex ſorditiei proportione.

Nota ſecundò, ſyrupos qui fiunt cum ſuccis clarificatis, ut ſunt ſyrupi de ribes, cydoniorum, ceraſorum, de pomis, de moris & ſimiles fieri cum ſaccharo optimæ notæ. Nam ſi denuo cum ſaccharo clarificarentur,

multum illis ex virtute decederet.

Nota tertiò, ad conficiendos syrupos limonum, granatorum acidorum alioſque, qui fiunt cum ſaccharo cocto ad conſiſtentiam, ad eam accedentem, quæ tabellis ex ſaccharo roſato formandis convenit, ſaccharum puriſſimum eſſe neceſſarium. Quale ſi non facilè reperiatur, clarificandũ illud erit quod ad manum eſt, ex aqua & ovi albumine, illudque in prædictam conſiſtentiam coquendum. Sub finem autem coctionis, & extra ignem, ſpuma, prout dictum eſt, abjicietur.

Nota denique, ſaccharo colato, manicam aut pannum laneum album exprimi non debere, ſed ſolum ſinere, ut ſenſim diſtillet quod imbibitum eſt.

Ad clarificandum autem mel, accipe mellis optimi libram unam, vel duas, vel tantum quantum ſit opus. Mitte in lebetem, cum æquali quantitate aquæ, vel alterius liquoris ſupra fornacem. Bulliant leviter, ut ſimul diſſolvantur. Deinde ſtatim per pannum ſtamineum aut lineum craſſiuſculum & mundum trajiciantur. In colaturam probina quaque libra albumen ovi cum teſta confracta conjicietur (prout de ſaccharo antè dictum eſt) ad eam clarificandam. Et poſtquã iterum leviter bullierit ſupra fornacem, ſine mora per dictum pannum ſtamineum, vel per linteum craſſum trajicietur. Secunda hæc colatura in conſiſtentiam à Me-

dico decernendam percoquitur.

Si mel valde sordidum fuerit, plus liquoris ovique albuminis cum testa ad clarificationem injicietur, ut etiam de saccharo dictum.

Nota, quum mel sic cum liquoribus commistum colatur, debere id fieri dum adhuc calet, cum econtra debeat saccharum tantisper refrigerari.

Cum despumatio sit clarificationis species, subjiciam hic, nonnullos saccharum, syrupos, & mel inter coquendum despumare. Ego vero censeo despumanda duntaxat sub finem coctionis, aut ubi ab igne extracta sunt, si puriora fuerint. Sin minus, inter coquendum despumare satius fuerit, si spumam multam sordidam rejiciant.

Modus clarificandi seorsim decocta & infusiones absque saccharo.

Caput II.

NOn debent per pannum stamineum aut laneum, vel manicam infusiones & decocta ferventia trajici, sed postquam mediocriter fuerint refrigerata, sic exempli gratia procedendo. Sumitur albumen unius ovi cum testa confracta, conjicitur in lebetem, agitaturque & commiscetur cum exigua scopa, cum libra una decoctionis aut infusionis, tandiu agitando ut spumescant, prout dictum est capite præcedenti. Deinde

reſiduum dictarum infuſionum vel decoctionum paulatim infundetur, eas movendo agitandoque dum id peragitur. Omnia probè commiſta ſupra fornacem imponuntur, ut leviter bulliant. Cum autem ſpumam æſtuare conſpexeris, à fornace amovenda erunt, ut mediocriter refrigeſcant, & per pannum laneum album trajiciantur.

Nota, vulgo ſemel duntaxat per pannum laneum album trajici decocta & infuſiones quæ clarificantur, quia ulteriori colatura aliquam ſuæ facultatis iacturam ſubeunt.

Modus clariſicandi Apozemata, ſyrupos, & ſerum lactis.

Caput III.

Apozemata clarificantur ſic. Accipe libram unam cum dimidia decocti ſimplicium colati & clarificati ex albumine unius ovi cum teſta; conjiciaturque in lebetem ſupra fornacem. Cum ferveſcere incipit, inditur miſceturque ſyrupus. Spuma abiecta lebes ab igne removetur, dum modicè refrigeſcat. Dein liquor per pannum ſtamineum colatur bis, ter, quater, quouſque Apozema clarum evadat. Si ſit condiendum ſeu aromatizandum aliquo ex illis pulveribus, quos vulgo cordiales vocant, ſic fiet. Antequam per pannum laneum album trajiciatur, quantitate pulveris convenienti inſpergendus erit, tranſmitteturque liquor

sine mora ter aut quater supra huiusmodi pulverem. Sicque clarificatum aromatizatumque habebis Apozema.

Advertendum, in quatuor, verbi gratia, decocti clarificandi unciis, unciam unam syrupi indendam esse, atque in iterata per filtrum traiectione, quadrantis ad minimum iacturam fieri.

Sic clarificatur lactis serum. Accipe seri minimè acidi libras quatuor, sacchari fini libras quatuor cum unciis quatuor. Mittantur simul in lebetem aut aliud vas idoneum. Saccharo dissoluto leviter bulliat, addendo succi limonij aut citri sex vel septem uncias, iterumque leviter bulliat. Deinde ab igne amoveatur: cumque tantisper refrixerit, bis aut ter per Hippocratis manicam transmittetur. Sicque habebis serum præclarum, prædulce & pergratum. Si ulteriorem sacchari quantitatem, ut quinque vel sex uncias addere libeat in gratiam molliculorum hominum, id licebit. In ardentibus tamen febribus prior sacchari modus non excedetur.

Si serum non adsit, illud cum coagulo sic conficies.

Accipe lactis optimi libras sex. Mitte in vas figlinum vel stanneum operculatum. Coagulum fabæ maiusculæ magnitudine ex tribus vel quatuor seri cocti cochlearijs in paropside dissolutum, cum sero in vase contento miscebis: vasque super cineres calidos

duas, tres, quatuorve horas collocabitur. Prædictum lac in serum faceſſet, quod bis, terve per linteola alba & munda trajicies, ut caſei cremoriſque partes immiſtæ ſecernantur. Deinde præparabis ut eſt dictum.

Alius modus clarificandi ſerum.

Accipe ſeri lactis libras duas, cum ſucco duorum limonum, & unciis duabus ſacchari. Bulliant omnia leviter, deinde refrigeſcant, colenturque bis aut ter per Hippocratis manicam; habebiſque ſerum præclarum guſtuque iucundum.

Clarificari etiam poteſt, ut de Apozematis declaratum eſt, diſſolvendo ſcilicet ſaccharum in una parte ſeri, aliam vero partem ex ovi albumine cum teſta clarificando: deinde ea ſimul miſta in lebetem ſupra fornacem mittantur. Cum autem fervere incipiet, ſuccus duorum limonum adjicietur, bullietque tantiſper. Deinde nonnihil refrigeratum, bis aut ter per Hippocratis manicam trajicietur.

Modus extrahendi ſuccos.

Caput IV.

Succi radicum eryngij, herbarum plantaginis, lactucæ, betonicæ, apij, artemiſiæ, mercurialis aliarumque recentium & viridium, modo ſequente extrahuntur.

Mortarium ferreum, vel æreum radice

vel herba rite mundata & lota, si res exigat, impletur, pistilloque ferreo fortiter contunditur. Optimè contusa, tela superne funiculo ligata torculari includetur, exprimeturque succus, qui vase figlino vel stanneo subdito excipietur.

Nota verò, quum postea aliam radicem, herbam vel fructum, succi eliciendi gratia, contundes, mortariũ & torcular aqua calida vel frigida esse mundanda, prout simplex expressum postulabit, ne succus ex alio extrahendus, viribus forsan & facultate à precedenti dissidens, eas retineat. Conandum tamen est, quoad fieri potest, ut succi sinceri proliciantur.

Modus extrahendi succum cydoniorum.

Caput V.

COmminuenda sunt ex instrumento ex ferro albo perforato incurvo (raspa vulgo vocato) mala cotonea. Hoc enim modo succus copiosior extrahitur, quam si integra vel in frusta in mortario marmoreo vel lapideo contunderentur. Postea sic comminuta sindone crassiuscula incluſa torculari committentur, succusque exprimetur, ut dictum.

Modus extrahendi ſuccos è roſis rubris & pallidis.

Caput VI.

SVmuntur duntaxat flores roſarum, qui tandiu in mortario marmoreo contundentur, donec in paſtam ferè redigantur. Hinc in tela fortiore incluſis ſuccus exprimatur.

Modus extrahendi ſuccum ex groſſulis rubeis, ſeu ribeſiis.

Caput VII.

FRuctus Arabibus *ribes* vocatus, in mortario marmoreo contundetur, deinde ex tela fortiori per torcular ſuccus prolicietur.

Modus extrahendi ſuccum ex oxyacantha, ſeu berberis.

Caput VIII.

EOdem quo præcedens modo exprimitur.

Modus extrahendi ſuccum è moris.

Caput IX.

SVfficiens mororum nondum maturorum quantitas ſumitur. Incluſis in tela

fortiori ex torculari succus exprimitur.

Modus extrahendi succum è cerasis.

Caput X.

SVmitur copia cerasorum, detractóque nucleo, ex tela fortiori per torcular succus prolicitur.

Modus extrahendi succum è malis punicis.

Caput XI.

DEtrahitur cortex (qui vulgo malicorium vocatur.) Interanea autem, grana scilicet & pelliculæ illa involuentes, torculari ex sindone crassiori exprimuntur.

Modus extrahendi succos è citriis & limonibus.

Caput XII.

CItria & limones per medium scinduntur, deinde cultello cernuntur. Quod cretum est tota pulpa est, quæ torculari ex dicta tela comprimitur.

Vel, Citria seu limones per quadras inciduntur, cortexque è pulpa secernitur, ex eaque modo dicto succus exprimitur.

Porro quoniam isthæc pulpa non adeo exactè exprimi potest, quin aliquid succi in ea remaneat, non ab re erit si illam aqua ge-

lida humectes, iterumque torculari committas. Illud vero quod sic extrahetur, ad diluendum in iusculis, vel ad alios usus servabitur.

Lutetiæ Parisiorum in vico vocato *de la Cossonerie*, prope emporium maius, in multis mercatorum officinis prostat succus optimus è limonibus expressus, iusto pretio, ex quo syrupi conficiuntur.

Modus clarificandi prædictos succos.

CAPVT XIII.

EXtracti, modo dicto, succi in sua quique lagena seu phiala ex vitro fortiori ad solem exposiri, vel loco alio commodo, residere sinentur duos, tres pluresve dies, si opus sit, ut fæces fundum petant. Deinde singuli per filtrum leviter trajicientur, ne fæces quæ subsederunt commisceantur liquoremque turbent, qui non nisi limpidus transmitti debet. Verum si ex tempore iis uti occurrat, ut in conficiendis syrupis aliisque compositionibus, apprime convenient. Sin autem asservandi sint, in phiala ex fortiore vitro recondentur; quæ illis ita impleatur, ut solum duobus transversis digitis in summitate vacua remaneat, ad superfundendum oleum olivarum, transversi digiti crassitie. Deinde obturata phiala loco temperato reponetur.

Vbi autem in usum vocandi erunt, stupa

vel gossipio oleum exsugendum erit. Sicque habebis succos perspicuos & limpidos, quos iterum per filtrum transmittes ad perfectissimam defæcationem.

Succus mororum sic defæcatur.

Extractus in patella ex ære rubro mediocri, aut in lebete unico fervore bulliat, dein calens semel tantum, idque stillatim per filtrum coletur; ex colato autem syrupus cum saccharo conficitur, modo quo in syruporum tractatu dicetur.

Vel accipe prædictum succum mororum, statimque in vas fictile orificij angustioris injice, residereque per duos dies sinatur: deinde per Hippocratis manicam vel filtrum trajicies, syrupumque cum saccharo conficies, ad proportionem pro quaque succi libra trium sacchari quadrantium.

Succus ceraforum defæcatus ad solem, per filtrum trajicitur, & ex colato cum saccharo conficitur syrupus, ut in tractatu de syrupis dicetur.

Modus extrahendi succum è pomis, illumque defæcandi.

Caput XIV.

Poma eodem modo & instrumento comminuenda, ceu de cydoniis dictum est; magnaque copia succus extractus una aut altera ebullitione fervere debet, dein per filtrum colari. Colatus in phialam mitten-

dus,

dus, solique vel loco aliquo commodo exponendus per aliquot dies, ut fæces fundum leniter petant. Postea iterum per filtrum mundissimum trajicientur, ut inde syrupus vel quidvis aliud conficiatur. Sin autem asservare libeat, in phiala ex vitro fortiore reponetur, oleumque in summitate affundetur, ut capite precedente dictum est.

Notandum, dictos succos per hyemem in cella vinaria esse servandos.

Modus coquendi saccharum in consistentiam idoneam, ad tabellas sacchari rosati conficiendas.

Caput XV.

Accipe libram unam sacchari, aut quantum volueris, duas, tres libras, cum aquę libra una. Coque ad eam consistentiam, quam ex sequentibus lignis intelliges.

Primò fumus qui è dicto saccharo in patella aut lebete minore existente elevatur valde paucus est, quum coctus est ut decet.

Secundò, si tantillum ex dicto saccharo sumas cum spathula, statimque in humum projicias, inter projiciendum floccus veluti laneus in aëre effingitur, illudque quod in humum decidit, digitis citra adhæsionem sustollitur: ut etiam quum in planum aliquod politum, quale est marmor, pauxillum seu guttula injicitur, si non adhærescat ubi refrixerit.

Tertiò, si ex dicto saccharo cum spathulâ vel argenteo cochleari tantillum extrahas, tantisperque cunctari sinas, ex alto fundendo longum tenueque filum formetur, cuius parte una delapsa, altera versus spathulam vel cochlear retrahitur, deorsum exiguam velut bullam fingens, tenueque filum contorquetur. Hoc ubi apparet, indicium est ad legitimam consistentiam coctum esse, ideoque ab igne removendum.

Manifestè etiam sufficienter coctum deprehendes ex crassiori spissioríque saccharo ab igne extracti, tantisperque refrigerati consistentia.

Modus saccharum vilius coquendi, ad tabellas cum pulveribus concinnandas.

Caput XVI.

Ad fingendas huiusmodi tabellas, si forsan saccharum optimũ non suppetat, quod præsto erit illud coques, cumque fere excoctum fuerit, spuma abjicietur. Ad iustam porro consistentiam, velut ad saccharum rosatum formandum, dictum saccharum non coques, sed paulo minus. Quod explorabis, si guttulam ex spathula attollas, atque ubi parum refrixerit, ex alto fundas, filumque quod effingitur, non adeo in longum ducatur, ac illud quod ex saccharo rosato sufficienter cocto formatur, velut supra demonstratum est; sed longitudinis me-

dietatem ſolum æquet. Cumque ex iſto filo pars una divulſa eſt, altera verſus ſpathulam retrahitur, in illiuſque fili parte extrema bulla effingitur.

Vt verbo dicam, accurato iudicio perſpicaciáque opus hîc eſt. In tabellis enim, in quas pulveris drachmæ duæ pro ſacchari unciis duabus ingrediuntur, ſaccharum non adeo coqui debet, ac ad tabellas Triaſantali aliaſve formandas, quæ pro unciis duabus ſacchari unam tantum pulveris drachmam admittunt.

Notandum, tabellas ſicciore in loco ſervandas eſſe, veluti prope focum: aliàs in humidiore loco emolleſcerent, in paſtamque abirent.

Modus coquendi ſaccharum ac mel ad legitimam conſiſtentiam, ad electuaria mollia conflanda.

CAPVT XVII.

ACcipe ſaccharum cum decoctione vel infuſione. In lebete ſimul coquantur, ſupra ignem ex carbonibus accenſum, ad conſiſtentiam debitam, abſque vlla deſpumatione, tam initio quam ſub finem. Quod intelliges, ſi guttulam cum argenteo cochleari vel ſpathula ex illo apprehendas, in planumque aliquod politum projicias, inclinatóque plano, vix ac ne vix quidem diffluat, digitiſque apprehenſa valde viſco-

sa sit. Præterea, si quod cochleari spathulæve adhæresci, non nisi ægrè divellatur. Denique, si quod in plano refrixit, collectum ex altoque proiectum in frustula crassescit.

Mel etiam ad eandem consistentiam coquetur, quam ratione sequenti nanciscetur.

Mel clarificatum (eo quo capite primo huius tractatus dictum est modo) atque in lebetem coniectum ad consistentiam coquitur idoneam: quæ dignoscitur, si pauxillum ex dicto melle cum spathula vel argenteo cochleari apprehendas, superque aliquod planum refrigerari sinas: refrigeratumque, inclinato plano, non nisi ægrè diffluat. Tunc ab igne amovendum, ad usumque destinatum insumendum. Sin autem asservandum illud sit (ubi tantisper refrigeratum fuerit) in vas idoneum conjicietur, chartaque quamplurimis foraminibus pertusa operietur, ne qua sordes intrò subeat, vel muscæ eò penetrent. Deinde, postquam perfectè refrixerit, charta duplici contegetur, temperatóque loco reponetur.

Quoties autem eo utendum erit, quantitas expetita ponderabitur, atque in lebete vel patella excalefiet.

De infusionibus ad syrupos parandos.

Caput XVIII.

Ad infusiones syruporum ex floribus, sumendæ sunt quatuor unciæ ex istis pro quaque libra aquæ valdè calentis, ut descriptione de his tradenda patebit. Fieri autem debent infusiones in vasis fictilibus simplicibus vel vitratis, vel in stanneis argenteisve oris angustioris, non autem in vasis æreis vel ex aurichalco.

Notandum, vas in quo fit infusio, obturari debere, ne medicamenti vis exhalet.

Notandum etiam, quum plurimæ fiunt infusiones deinceps & consequenter, ut in syrupis; opus esse ut prima infusio fiat in aqua fervente superinfusa, reliquæ autem consequentes in calefacta duntaxat.

Notæ seu signa coctionis syruporum.

Caput XIX.

Observandum primò, in syrupis ex decoctionibus vel infusionibus parandis, tres interdum sacchari partes præ decocto vel infusione injici. Vt verbi gratia duodecim sacchari unciæ pro libra una decocti vel infusionis; nisi ubi succi sunt amari, in quibus saccharum æquat infusionis aut decocti liquorem. Syrupi tamen sunt

aliqui, in quibus minus : alij, in quibus plus ſacchari imponitur, ideóque regula generalis dari nequit, ut infra patebit.

Obſervandum ſecundò, ſi ſaccharum rubrum in ſyrupis conficiendis adhibeas, melioris notæ eſſe eligendum, & probè exſiccatum. Illudque cum infuſione, decoctione, vel liquore diſſolutum, inter coquendum ex cochleari pertuſo repurgandum : cuius ope muſcæ etiam & ſordes auferentur, quę ſæpiſſime cum huiuſmodi ſaccharo admiſcentur.

Porro ſyrupi debent leniter ſupra fornacem igne perſpicuo ex carbonibus accenſo coqui, depoſita ſub finem & extra ignem ſpuma cum ſpathula, perforato cochleari vel argenteo.

Quum autem ſyrupus incipit coqui, fumus erumpens copioſus eſt. Verum quum coctionem omnimodam vel propè attigit, fumus valde paucus leviſque eſt: Sed ut certius exploretur, tantillum ex illo cum ſpathula vel cochleari apprehende, ubíque extra ignem, refrigerandi gratia, tantiſper amoveris, illud ex alto projice : & ſi filum ducat, coctum eſſe affirma.

Aliud rurſus inde ſumes indicium, ſi guttula inter pollicem indicemque vel digitum medium impoſita, filum ducat : coctum eſſe ſcias. Si etiam pauxillum in planum cum ſpathula vel cochleari iniectum, non effundatur nec diffluat, ſed concretum

hæreat, refrigeratumque, planum inclinando, paulatim fluat, colligendoque cum spathula vel cochleari, ex altoque dejiciendo, filum ducat.

Denique si ex cochleari tantillum haurias, in eoque refrigerari sinas, fit in superficie tenuis cremor, qui undiquaque in cochleari agitatus, si non diffluat divellaturve, coctionis absolutę argumentum exhibet. Tunc ab igne amovendus, & dum tantisper refrigescat, in lebete sinendus: deinde in vas idoneum, quale est figlinum politum & mundum, infundendus, quod charta perforata contegetur, ut nihil extraneum intrò subeat, quandiu refrigescit. Refrigeratus demum charta duplicata & pergamena madefacta operietur, custodieturque in loco minimè udo, situm enim contraheret; nec sicciori, quia exaresceret & candesceret, sed bene temperato.

Quomodo emendandi reformandive syrupi nimium vel parum cocti vel candefacti.

Caput XX.

SI ex incuria syrupi ulteriorem coctionem obtinuerint, tantum eius decocti, infusionis, vel succi unde constant, adjiciendum erit, quantum ad illos diluendos & decoquendos, ut ad iustam redigantur consistentiam, opus erit.

Si dilutiores parciusque cocti fuerint, su-

praignem iterum ad debitam crassitudinem coquendi.

Vt vero syrupus decandescat, excutiendum erit quod arefactum est in lebetem vel patellam, sufficienti quantitate eius decocti, infusionis, vel succi, ex quo paratus est prius calefacti, in vas ubi asservabatur iniecta, ut residuum diluatur, spathula probè agitando, vase etiam ipso in ferventem aquam immisso: ut tum liquoris in eo inclusi, tum calentis aquæ ambientis beneficio id commodius peragatur. Postquam decanduerit, omnia in dictum lebetem vel patellam effundenda, leniterque ad iustam consistentiam coquenda.

Modus extrahendi pulpam ex dactylis, ad Electuarium Diaphœnicum.

CAPVT XXI.

SVmantur unciæ decem dactylorum recentium, exteriori sorde (si qua insit) repurgatorum: ex quibus pellem extimam, intimamque albescentem cultello eximes, nucleum abjicies, deinde in frustula concides, in paropsidem stanneam vel fictilem vitratam immittes, affusis vini albi generosi & tenuis quinque, sex pluribusve unciis. Tres dies in eo macerentur, paropside operta procul ab igne per æstatem; per hyemem prope ignem, velut in foci angulo

locata. Triduo hoc exacto, leniter ſupra foculum efferveſcant, dein omnia in mortarium marmoreum effundantur, piſtilloque ligneo ſubigantur, donec in pultis formam vel paſtam molliuſculam redigantur, quæ per ſetaceum commune ad inſtar caſſiæ traiicietur, ſubdito diſco ipſi ſetaceo: tum ad excipiendam pulpam quæ inter traiiciendum elabi poteſt, tum illam quæ vi tranſmittitur. Sin autem tranſmiſſa pulpa dilutior foret, exſiccanda erit perinde ac tamarindorum, prunorum & caſſiæ pulpæ, prout capite ſequenti exponetur.

Modus extrahendi pulpas caſſiæ, prunorum, tamarindorum, eaſque ad electuaria mollia apparandi.

CAPVT XXII.

PAuci ſunt qui ignorent, quomodo caſſia mundari traiicique debeat per ſetaceum commune. Ad extrahendas tempore commodo prunorum pulpas, ſumentur pruna damaſcena matura, dulcia, recentia; alio verò tempore pruna vetera optima, quantum expetes; quæ in aqua bulliant dum percocta ſint. Hoc peracto, ſupra ſetaceum proiicienda ſunt, liquor vero qui effluet id temporis, diſco excipiatur. Deinde pulpam eodem quo caſſiæ extrahes modo, altero diſco prius ſubdito, ut de dactylis di-

ctum. Si ob nimiam exsiccationem (ut fere sit) pulpa non facile permeet, servata seorsim liquore humectanda erit: vel si non sufficiat, ex aqua tepente.

Ad pulpam è tamarindis, quia viscosi & crassi sunt, proliciendam, arte sequenti emolliendi sunt.

Sumatur expetita tamarindorum quantitas. Immittantur in mortarium marmoreum, affusa aquæ vel decocti tepentis quantitate sufficienti. Contundantur, molliterque pistillo ligneo subigantur, ut ad formam, ceu extractæ cassiæ, molliusculam redigantur, traiicianturque per setaceum, ut de prunis dictum.

Notandum, quia cum prunorum tamarindorumve pulpis supereſt liquor, in quo decocta & mollificata fuerunt; pulpis istis seorsim extractis, singulas in discum stanneum supra foculum ex carbonibus fumi expertem immittendas, spathulaque hinc inde agitandas: ut excrementitia humiditas, quæ acorem vel corruptelam electuariis inde parandis conciliare posset, absorbeatur ac dissipetur, pulpæque ad iustam consistentiam redigantur.

Idem in cassiæ pulpa observabitur, si liquor quispiam ad illius traiectionem adiectus est.

His peractis, dosis seu quantitas ad electuarium necessaria ponderabitur, impendeturque: residuum vero servabitur, vel in

rem præsentem (ex præscripto Medici) adaptabitur.

De medicamentis quæ in pulverem rediguntur, ac primùm de sena.

Caput XXIII.

Accipe senæ Orientalis optimæ mundatæque libram semissem. Seminis anisi vel fœniculi recentis (quo sena corrigitur) uncias duas. Pulverentur hoc modo.

Primò semen anisi vel fœniculi in mortarium ferreum vel æreum imponatur, contundaturque. Contuso senam adiice, fortiterque contunde. Probe omnia trita per opertum setaceum trajiciantur. Crassiusculum vero quod transire non potuit, in mortarium rursus immittatur, denuo conteratur, perque setaceum trajiciatur : tandiuque hoc iteretur, dum totum pene contritum sit.

Illud exiguum quod supererit, non carebit suis usibus, aut ad medicamenta purgantia, aut ad clysteres.

Notandum primò, quæ ad compositiones pulverantur medicamenta, cuiusmodi sunt sena, mechoacan, turbith, semina anisi, fœniculi, santala & alia, ponderari exactè & ad momentum non debere, sed perquam liberaliter, ut post trituration em &

trajectionem per ſetaceum iuſta expetitaque quantitas ſuppetat. Minima enim debet eſſe cura de toto ad unguem conterendo: quia illud quod non probè tritum ſuperabit, in charta ſervari poterit ad aliam triturationem, vel eiuſdem vel aliarum compoſitionum.

Hîc author ſum, ut quatuor, quinque vel plures unciæ ſenæ pulveratæ ſemper adſint, ad electuaria, pilulas vel aliud quodlibet, cum ſalubris iſtius medicamenti uſus neceſſitaſque toties occurrat, citraque virtutis detrimentum ſena pulverata ſervari poſſit.

Notandum ſecundò, quoties deinceps in electuariis, pilulis &c. ſenæ doſis occurret, eam intelligendam de ſena cum ſuo correctivo, ut vocant, præparata.

Modus exſiccandi nonnulla medicamenta ad faciliorem trituationem.

Caput XXIV.

Roſæ, violæ, crocus, ſi humidiora ſint, nec ſatis ſicca, ſoli exponentur, aut igni, charta incluſa: quæ undiquaque convertetur, tum ut exſiccentur, tum ne torreantur. Poſtea enim in mortario facillimè pulverabuntur.

Radices & herbæ non convenienter exſiccatæ in clibanum, pane extracto, im-

mittantur, adhibita cautela ne torrefiant.

Vel aliquanto ante quam in usum vocentur, in exiguos manipulos colligandæ erunt, suspendendæque in aëre liberiore soli non exposito.

Modus pulverandi aloën, myrrhum, rhabarbarum, crocum & assam fœtidam.

Caput XXV.

Omnia ista medicamenta seorsim in pulverem redigentur. Antequam autem in mortarium imponantur, aliquot olei communis guttæ, ad proportionem medicamenti pulverandi, in mortarium injiciendæ sunt, pistillique extremo illius fundum leniter illinendum. Postea medicamentum immittes, quod facilè pulverabitur, nec pistillo, nec mortario adhærebit.

Rhabarbarum antequam in pulverem redigatur, non ab re erit in frustula concidere, ad promptiorem triturationem. Pulveratum autem rhabarbarum sic ad usum adhibetur, nec per setaceum transmittitur.

Assa fœtida, si sicca est, eodem modo pulveratur.

Aloë si spuria sit & sordida, postquam pulverata est per cribrum, quo medicamenta acria cernuntur, transmittitur: idque in aliis medicamentis sordidis observatur, quæ

per peculiaria ſetacea trajicientur.

Modus pulverandi benjoinum.

Sumatur quantavis benjoini quantitas. Pulveretur in mortario, leniter conterendo. Dein per cribrum commune cernatur, ut feſtucæ & ſordes commiſtæ ſeparentur.

Modus pulverandi ſcammonium.

Caput XXVI.

In pulverem tenuem facillime redigitur, ceu prædicta medicamenta, ſi mortarij fundum piſtillique extremum aliquot olei guttis illinas.

Advertendum vero eſt, per ſetaceum tranſmitti non debere, ut neque rhabarbarum.

Modus pulverandi maſtichem.

Caput XXVII.

Antequam maſtiche mortario committatur, eligenda quæ optima, dein mortarij fundum piſtillique extremum pauca aqua roſacea vel communi humectanda ſunt. Pulverata maſtiche per opertum ſetaceum tranſmitti poteſt, ſi res exigat.

Modus pulverandi trochiſcos de agarico.

Caput XXVIII.

Eodem modo quo maſtiche in pulverem redigẽdi ſunt, madefacto mortarij fundo

pistillique extremo ex aqua rosacea, vel communi; vel etiam oleo communi quod aptius est, ut de rhabarbaro & scammonio dictum. Pulvis hic per setaceum ad usus non transmittitur.

Advertendum porro, fundum mortarij pistillique extremum aqua rosacea, vel communi, seu oleo humectari, antequam medicamenta pulverentur: tum ne mortario inter triturandum adhæreant, tum ad partium tenuiorum exhalationem prohibendam.

Modus pulverandi camphoram.

Caput XXIX.

Accipe amyli scrupulum unum. Leniter in mortario pulveretur. Deinde camphoræ optimæ drachmam unam adjicies, molliter utrumque terendo: sicque facile in pulverem abibit.

Vel, unam duasve amygdalas dulces cultello mundatas accipies, eas in mortario tundes, drachma caphuræ adiecta, quam terendo in pulverem facile rediges.

Vel rursus facilius, mortarij fundum pistillique ferrei extremum amygdala cultello excorticata perfricato. In eo deinde caphuram molliter terendo contundito. Oleum commune vel amygdalarum æque etiam ad istam inunctionem adhiberi potest, ut de rhabarbaro & cæteris dictum. Sicque procedendo, quantum caphuræ libuerit, in pul-

verem rediges, aucto vel imminuto oleo vel amygdalis, ex proportione caphuræ pulverandæ.

Modus pulverandi cinnamomum.

Caput XXX.

CInnamomum in mortario trituratur, cum aliquot amygdalis dulcibus, ut odorem non amittat. Trituratum setaceo operto trajicitur, ut de sena dictum est cap. 23

De infusione oleorum.

Caput XXXI.

PRo unaquaque olei libra, vulgo florum vel foliorum unciæ quatuor infunduntur, ut in tractatu de oleis docebitur; præterquam in aliquot oleis compositis.

Modus dignoscendi oleorum coctionem.

Caput XXXII.

FActa oleorum infusione, in lebetem ad id destinatũ immittuntur: in quo supra fornacem ex carbonibus accensam ebulliant.

Dignoscetur autem, omnem fere simplicium ex quibus olea suam vim eliciunt, humiditatem exhalasse, si ex lebetis fundo guttulam spathula extrahas, in ignemque conjicias, statim accenditur cum exiguo strepitu.

Tum

Tum ab igne depone, tantisperque refrigeratum ex tela fortiori trajicito cum expressione mediocri. Deinde in vas fictile vel aliud idoneum immittito, chartaque perforata operito. Vbi omnino refrixerit, vas prędictum charta duplicata & membrana pergamena madefacta contegatur ad usus.

De oleorum in balneo Mariæ seu diplomate coctione.

Caput XXXIII.

CAcabus capacitatis convenientis accipiatur, cuius in fundo tegula mediocris latitudinis applicetur, huicque vas, in quo infusio continetur, imponatur, funiculo superne cacabi utrique ansæ uncino alligato, ne hinc inde vacillet. Sunt qui vas in cacabo immersum stamine substernunt, & ambiunt loco tegulæ, quod probo.

Nota primò, dictum vas non ita debere impleri, quin in summo restet vacuum, quatuor circiter digitorum transverforum spatio, ne inter ebulliendum oleum foras exiliat. Hoc facto, immittetur aqua in lebetem, quæ distet ab ollæ summitate quatuor saltem digitorum amplitudine, lenteque coquatur supra fornacem igne perspicuo ex carbonibus accenso, donec omnis prope humiditas exhalarit; quod ex indicio superiori capite descripto innotescet. Hoc peracto, ab igne deponatur, tantisper refrigeratum

percoletur, modice ex tela fortiori exprimatur, abiecto magmate, quod servetur ad usus.

Nota secundò, quandiu infusio coquitur, si res exigat ut alia aqua in lebetem denuo immittatur, priore ferè absumpta, calefiat necesse est priusquam injiciatur: quia si gelida infunderetur, vas disrumperetur, infususque liquor efflueret.

Modus dignoscendi emplastrorum coctionem.

Caput XXXIV.

Coctio emplastrorum perfecta dignoscitur, si portione dicti emplastri in gelida ad refrigerandum immersa, dein digitis tractata in manusque vola extensa non adhæreat, sed integrè abscedat. Tunc ab igne auferatur, modicè refrigescat, magdaleonesque inde concinnentur.

Notandum, emplastrorum magdaleones manibus aqua gelida madefactis effingi, quoties oleum dicta emplastra ingreditur. Sin minus, oleo perunctis manibus concinnantur.

Modus lavandi adipem suillum ad unguentum rosatum.

Caput XXXV.

Accipe unum aut alterum hepar suillum recens. Detrahe membranas illud vestientes, quas in frustula concides, liquefa-

cieſque in modica aqua ſupra fornacem, igne mediocri, in lebete ſtannato, ſpathula lignea ſæpius agitando. Liquefactus adeps colatur & exprimitur per linteum mundum, modiceque refrigeratus in ollam fictilem infundetur, eius capacitatis, ut media ollæ pars vacua remaneat, dein refrigerari ſinitur. Vbi refrixerit, aqua calens, ſeu paulo plus quam tepida, affundenda, ita ut olla non omnino impleatur: deindé lignea ſpathula utrumque ad ſolem, vel ignem per horam circiter, idque ſæpius verſandum. Poſtea ſubſidere ſinatur. Vbi autem reſederit coïeritque, aqua per inclinationem effundenda erit, hoc eſt ollam inclinando. Effuſa hac aqua, calens alia immittetur, fietque ut dictum, novies aquam immutando. Hoc facto, abluenda rurſum toties erit eodemque modo aqua gelida limpidaque; niſi duas ultimas ablutiones ex aqua roſacea celebrare libeat. Toties autem dicta axungia eluitur, ut omnem penitus unctuoſitatis pinguedinisve odorem deponat. Sic porro elota in uſus inſumetur, prout dicetur, cum de modo unguenti roſati parandi agetur.

Modus ceruſſam abluendi.

Caput XXXVI.

Accipe ceruſſæ quantitatem ſufficientem, exempli gratia libram unam vel duas, plus minus. Confrica in cribro ſetaceo

inverſo, ſubdita inferne charta alba ad pulverem traiectum excipiendum. Vbi quantum expetis tranſmiſeris, in diſcum ſtanneum, vel fictilem vitratum imponendum erit, affundendo aquæ frigidæ puræ & limpidæ quantum ſatis, ita ut multum dictam ceruſſam ſuperemineat. Poſtquam ſpathula lignea agitata fuerint, ſubſidere ſinantur, ut ceruſſa cum aqua commiſta ſeparetur, imumque petat. Aqua autem ſupernatans leviter diſcum inclinando effundetur, aliaque clara denuo affundetur, idque novies decieſve iterabitur. Poſtrema aqua effuſa, ceruſſa in diſco ad ſolem vel ignem exſiccabitur, operta linteolo mundiſſimo. Probè exſiccata vel ex tempore inſumetur, vel in pyxide charta munita reponetur ad uſus neceſſarios.

Modus parandi lithargyrum.

Caput XXXVII.

SVmantur lithargyri auri libræ duæ, vel quantum libuerit. Teratur in mortario æreo vel ferreo. Pulverata per ſetaceum commune trajiciatur: & quod tranſmitti non potuit, in mortarium rurſum imponatur, & poſt trituration em trajiciatur, totieſque id iteretur, donec non niſi craſſiſſima portio in ſetaceo remaneat, verbi gratia una aut altera uncia, quæ projicienda erit. Poſtea omnis lithargyrus pulveratus & cribro traiectus in mortarium inditur, quod aqua limpidiſſima

fere impletur, piſtilloque ferreo per aliquod tempus ſubigitur, ut probe eluatur. Deinde aqua univerſa in lebetem ingentem vicinum effundetur : tumque ſimul lithargyri portio præterfluit. Quæ vero in mortarij fundo remanſit, piſtillo rurſus verſatur, iterumque tantundem aquæ ac prius injicitur, utrumque pariter ſubigendo ut dictum. Deinde uno impetu aqua in lebetem effunditur, idque toties iteratur, donec omnis lithargyrus ſimul cum aqua effluxerit. Hoc facto aqua cum lithargyro in lebete per noctem atque etiam diutius relinquuntur, donec aqua valde limpida appareat, univerſo lithargyro in fundum præcipitato. Deinde omnis aqua effunditur, lebetem molliter inclinando, ut præter lithargyrum nihil in fundo remaneat, qui exſiccandus ad ſolem vel ignem exponitur. Exſiccatus ad uſus ſervatur.

Modus plumbum urendi ad trituration em, abluendique ad unguentum pompholygos.

Caput XXXVIII.

Accipe plumbi libras duas vel tres, ſeu quantum libuerit. Mittatur in paropſidem fictilem vitratam, vel in amplum cochlear ferreum, ſupra ignem ex carbonibus accenſum. Vbi liquefactum fuerit, continuo ſpathula vel ferrea rudicula agitandum erit,

duas & amplius horas, donec in pulverem flavescentem redigatur, plumbique forma penitus dispareat. Hoc facto, amoveatur ab igne, refrigereturque.

Pulvis autem iste ut abluatur, ex illo refrigerato quantum volueris assumes, atque per cribrum (in quo aloë cernitur) trajicies. Traiectum vigesies, imo trigesies, aqua limpida elues, eodem quo cap. 36. de cerussa dictum est modo. Lotus tandem ad solem vel ignem exsiccatur, ad ususque servatur.

Modus facilior plumbum pulverandi.

Caput XXXIX.

Accipe plumbi limati quantum libuerit. Maceretur per 24. horas in aceto generoso, dein exsiccetur. Siccatus in mortarium æreum imponatur, leniterque teratur, cum facilè in pulverem abeat. Pulvis per cribrum transmittatur. Quod crassiusculum transmitti nequit, rursus tunditur, triturature, totiesque trajicitur, quousque pulveratum universum fuerit. Sic pulveratum plumbum amplius elui non debet ad dicti unguenti confectionem.

Modus tuthiam parandi.

Caput XL.

Accipe tuthiæ quantum satis. Mittatur in crucibulum in fornace ardentissima,

qualis est artis fusoriæ, dum penitus cremata fuerit: quod certo tempore perficietur, pro ignis ardore & vehementia, illudque ex tuthiæ colore innotescet, qui rubens admodum conspicietur. Tunc ab igne amovebitur, parum refrigerata in mortarium æreum aut ferreum ad triturationem indetur. Pulverata supra lapidem porphyreticum aut marmoreum vel concham marinam, ex aqua rosacea aliave idonea apparabitur, ad instar fragmentorum pretiosorum. Istud autem sic perficitur.

Tuthia pulverata supra porphyritem vel concham marinam imponitur, aqua conveniente irroratur, mola exigua teritur, subindeque dum exsiccatur irroratur: totiesque illud iteratur, quousque pulvis impalpabilis, ut vulgo dicitur, evadat, hoc est si manui affricto nulla inæqualitas asperitasve persentiatur. Tum in trochiscos concinnabitur, in umbra supra cribrum inversum exsiccandos, hinc in pyxide loco commodo servandos. Vbi autem in usum vocandi erunt, in mortario pulverabuntur.

Modus vitriolum Romanum calcinandi.

Caput XLI.

IN figlino vitrato, vel in ampliore cochlari ferreo igne mediocri exsiccatur, donec perfecte candescat, continuo fortiterque spathula vel rudicula ferrea versando, ne

plus iusto mortario adhæreat, aut lapidescat. Postea per horę quadrantem ignis augetur, vitriolumque prærubrum evadit; tuncque colcothar vocatur. Tum ab igne extrahitur, leviterque refrigeratum in mortario æreo pulveratur, ut de tuthia dictum. Verum non amplius ex porphyrite lævigatur (ut de tuthia dictum) ad emplastri palmei confectionem.

Modus cremorem & salem tartari parandi.

Caput XLII.

Accipe tartari albi Monspelienſis optimi libram unam. Pulveretur in mortario, tritum per setaceum trajiciatur. Traiectum in lebetem cum aquæ quantitate copioſiſſima immittetur, leviterque bulliet. Deinde ter omnia ex Hippocratis manica trajicientur. Colatura in fictili ampliſſimo excepta in loco frigido per 24. horas collocabitur, quibus elapſis ſupernatans cremor cochleari argenteo everritur, in figlinamque paropſidem imponitur. Cremore ablato, aqua leniter per inclinationem effunditur, hinc ſal omne vaſis parietibus adhæreſcens ex cochleari deraditur, præcipitaturque in fundum. Poſtea ſepties octieſve gelida limpida abluitur, manu aquam verſando. Sal iſte ſic elotus ad ſolem vel ignem exiguum ex carbonibus fumi expertem exſic-

cabitur, cochleari ſubinde agitatus. Exſiccatus candidus evadet, ſed candidior ad ſolem, quam ad ignem. Demum in mortario pulveratus, ad uſus ſervatur.

Cremor tartari abluitur, exſiccatur, eodem modo teritur, ſeorſimque ſervatur.

Modus alius parandi cremorem aut cryſtallum tartari.

ACcipe tartari albi quinque, aut ſex libras. Craſſiuſcule in maiore mortario pulveretur. Hinc probe elotus pulvis in figlinum vitratum ampliſſimum cum multa aqua, ita ut quinque ſex digitis ſuper emineat, immittatur. Bulliat una vel altera hora. Deinde vaſe in loco frigido collocato, cremor in ſuperficie ad inſtar cryſtalli concreſcet, quem cochleari perforato ſeparabis: multotieſque tum bulliet, tum refrigerabitur alternatim, ut unaquaque vice cremor abradatur: quem porro in loco frigido concreſcere, ſub dioque perfectè exſiccari ſines.

TRACTATVS SECVNDVS.

DE SYRVPIS.

Modus parandi syrupum violatum ex succo.

CAPVT I.

ACcipe violarum recentium, parte herbacea purgatarum, uncias duodecim. Mittantur in mortarium marmoreum, pistillóque ligneo probe contundantur: dein exiguo sacculo lineo mundo superne ligato includantur, prælóque exprimantur. Ex earum expressione quatuor vel quinque succi unciæ prodibunt, quem in phiala sepones.

Hoc peracto, sacchari boni uncias viginti, cum aquæ communis unciis octo vel decem in lebete vel sartagine ex ære rubro, fere ad consistentiam sacchari rosati coques, sub finem ex cochleari argenteo spuma abjecta. Tum ab igne deponetur, confestimque succum violarum immittes, omnia simul cochleari argenteo vel spathula permiscendo. Sicque habebis syrupum eximium, quem aliquantum in lebete refrigescere permittes, spuma si qua supernatet detracta.

Deinde in fictile aut aliud vas idoneum mundissimum effundes, charta perforata contegendum. Perfecte refrigeratum, charta duplici pergamenaque madefacta contegetur, temperatoque loco ad usus asservabitur.

Modus conficiendi syrupum violatum ex mantili.

Caput II.

Accipe sacchari libras duas. Coquatur ad crassitudinem, quæ accedat ad sacchari rosati dum concinnatur consistentiam, idque in aqua communi. Interea accipe violarum parte herbacea mundatarum libram dimidiam. In mortario marmoreo pistillo ligneo contundantur. Contusæ in mantile utrinque duorum ministrorum manibus apprehensum immittantur, desuperque bina ternave projectione dicti sacchari cocti calentisque quantitas affunditur, permiscetur, versatur, spathulaque vel argenteo cochleari comprimitur, ut violarum vis & tinctura cum saccharo incorporentur: quod interea in syrupum redigitur, violarum humore temperatum, perque mantile transmissum disco subdito excipitur. Vniversum saccharum effusum transmissumque dicto modo, illud quod in mantili continetur fortiter exprimitur, atque etiam syrupus qui in mantilis ambitu adhæret, cochleari argenteo

deraditur. Omnia denique una cum syrupo discо exceptа in vase commodo reponuntur.

Magma in mantili remanens projiciendum non est, quippe saccharo adhuc permistum. Eam ob rem soli exponetur, tractabiturque, prout de violarum conserva infra dicetur. Erit autem loco conservæ ad frontalia, citra alterius adiectionem.

Modus syrupum violaceum ex tribus infusionibus parandi.

Caput III.

Accipe libram unam rosarum recentium parte herbacea mundatarum, hoc est flores solos. Mittantur in urnam aliudve vas fictile oris angustioris vitratum, affundanturque desuper aquæ calentis libræ quatuor, commisceantur, spathulaque lignea subigantur. Deinde per 12. horas in camini angulo infundi sinantur, obturato rite vase, ne violarum vis dissipetur.

Illis exactis, prædicta infusio in vas fictile vitratum vel stanneum amplissimum imponatur, ut tantillum supra fornacem calefiat: deinde ex tela fortiori percoletur, fæxque per torcular exprimatur, quæ velut inutilis projiciatur.

Interea ad secundam infusionem tantundem violarum mundatarum in dictum vas inditur. Infusio calefacta in violas effūditur, statimque commiscetur, spathulaque lignea

agitatur, obturato (ut dictum) vase, in caminique angulo reposito, ut inibi per alias 12. horas infundatur; à quibus prædicta iterum infusio in vas ad id destinatum effunditur, supraque fornacem (ut prius) calefit, deinde colatur & exprimitur. Calefactaque in parem violarum recentium copiam projicitur, quæ tertiò scilicet, in dictum vas immissæ sunt. Infusio tantundem temporis celebrata, calefit, colatur, exprimitur.

Infusio isthæc tertio colata & expressa quatuor libras cum dimidia, seu 72. uncias continet. Ex qua si ex tempore syrupum parare velis, sex unciæ de illa in phiala seponantur, ad usus de quibus postea. Residuum (quod est quatuor librarum cum unciis duabus) in lebetem ex ære rubro immittitur, cum libris quinque cum dimidia sacchari boni, in frusta comminuti. Fitque syrupus, qui leniter supra fornacem ex accenso carbone, fumi experte, coquitur.

Prædictus syrupus in consistentiam iusto paulo crassiorem percoquendus, ut illico ex unciis sex infusionis sepositæ diluatur. Quæ infusio una effunditur, simulque permiscetur, unaque aut altera ebullitione coquitur, ut ad syrupi iustam redigatur crassitudinem.

Hoc peracto, auferatur ab igne, modiceque in lebete refrigescat, abiecta, quæ supernatat, cum cochleari argenteo, spuma. Deinde in vase idoneo recondatur, charta perforata contegendo, perfectè refrigescat.

Refrigeratus charta duplici membranaque pergamena madente superiecta (ceu singuli syrupi contegi debent) operiatur, locoque temperato ad usus recondatur. Sic confectus violaceus syrupus vim tincturamque toto anno servabit.

Notandum, in syrupo huiusmodi violaceo parando plus sacchari præ infusione adjici, ad illius colorem, efficaciamque servandam; nec diuturniori opus esse coctione, cum infusio viscosior sit, longiorique ebullitione color imminuatur. Quamobrem ad diuturniorem custodiam, sepositæ infusionis unciis sex diluitur decoquiturque, quod isti duntaxat syrupo peculiare est.

Itaque moneo, ut in syrupo hoc violaceo conficiendo, ad quamque infusionis libram sacchari unciæ viginti addantur.

Sic autem dictas infusiones syrupumque parandum dixi, ut violarum vis colorque illibata perseverent. Ideoque pro spathula ferrea, ex qua nigrescere potuisset, spathulam adhibui ligneam. Neque etiam infusionibus calefaciendis lebete æreo, præterquam in secus confecto syrupo; sed fictili vitrato cochlearique argenteo usus sum, ob eandem causam: eoque fine sex infusionis uncias seorsim servandas, ad syrupum diluendum decoquendumque, coloremque violarum vividum, ex coctione vtcunque imminutum, conciliarem.

Porro non tanta arte accurationeque vulgo paratur. Tres equidem celebrantur infusiones (prout à nobis dictum est) in fictili orificij anguſti vitrato: ſpathulaque lignea verſantur, illiſque calefaciendis lebes adhibetur, non autem figlinum. Syrupo etiam conficiendo ultima infuſio colata torcularique expreſſa impenditur, in lebetemque cum dicta ſacchari quantitate inditur. Sicque ſimpliciter ſyrupus paratur, non dilutus decoctuſque cum ſepoſita infuſione, prout à nobis declaratum eſt.

Hac ratione poſtrema ſyrupi ſequentes, ex tribus ſcilicet aut pluribus infuſionibus, ceu deinceps deſcribentur, conficientur.

Alter modus parandi ſyrupi violati.

Tres fiunt infuſiones ex violis integris, hoc eſt floribus foliiſque virentibus ambientibus: cumque pari infuſionis ſaccharique copia, vel ſacchari quarta parte detracta, conficitur ſyrupus.

Si ex novem infuſionibus ſyrupus elaboretur (ad inſtar ſyrupi roſarum pallidarum de quo poſtea) cum infuſionis libra una, ſacchari duodecim duntaxat unciæ incoquentur, fietque laxatiuus.

De violarum rosarumque pallidarum mucaro.

CAPVT IV.

VIolarum rosarumque pallidarum mucarum nihil aliud est, præter vltimam infusionem colatam expressamque, in annum in figlino oris angusti vitrato servandam, affuso in summitate oleo communi ad unius digiti crassitudinem, ne ab aëre externo corrumpatur, contectoque vase ex charta duplici membranaque pergamena madente, loco temperato repositio. Vbi autem occurret utendi occasio, supernatans oleum gossipio exsugetur.

Modus parandi syrupum de tussilagine.

CAPVT V.

EX floribus tussilaginis cum adiuncta viriditate tres fiunt infusiones, ex libra dimidia pro quaque infusione in libris duabus aquæ, hoc modo. Dicti flores in urnam oris angusti fictilem vitratam immittuntur, iisque ferventis aquæ libræ duæ affunduntur. Vas probè contectum in camini angulo per duodecim horas ad infusionem collocatur, deinde igni fornacis ex carbonibus accenso, fumique experti applicatur, donec infusio percalefacta fuerit, quæ tum ex tela fortiori per torcular traiicietur exprimeturque.

turque. Colatura & expressio in lebetem ad calfaciendum immittuntur, effunduntur-que in aliorum florum parem quantitatem. Tantundem temporis modo dicto infusæ in lebetem iterum conjiciuntur, atque ad alteram colaturam expressionemque calefiunt. Tertio demum in prædictum vas novi flores immittuntur: infusio, colatura atque expressio eodem quo præcedentes modo peraguntur. In expressione vero ex ovi albumine cum testa clarificata (prout *cap.* 2. *tractatus* 1. declaratum est) semelque per filtrum transmissa ponderataque, sacchari optimi partes tres indunturque; sicque syrupus hic instituitur.

Alius modus parandi syrupum de tussilagine.

Ex tribus equidem celebratur infusionibus, verum sola pars lutea florum, abiecta viridi ambiente, assumitur, ut syrupus cum tinctura efficaciam maiorem nanciscatur.

Modos infusionum parandarum tum hoc capite, tum præcedentibus de syrupo violato, iusto forsan prolixius descripsi. Porro id de industria à nobis præstitum, ut res melius pateret, & ne idem in aliorum syruporum, qui ex multis fiunt infusionibus, confectione tradenda ad nauseam iteraretur.

Modus parandi syrupum de floribus persicorum ex novem infusionibus.

Caput VI.

Modo supra exposito novem dictorum florum infusiones perficiuntur. Martio igitur mense pro quaque infusione in urnam figlinam imponitur libra dimidia florum persicorum recens collectorum, cum libris duabus aquæ calentis. Vltima vero infusio colata & expressa, ovi albumine cum testa clarificatur, semelque per pannum lineum transmittitur: parique sacchari quantitate adiecta, conficitur syrupus, ad usus reponendus.

Modus parandi syrupum ex foliis persicorum.

Syrupus hic eodem modo paratur, quo syrupus rosarum pallidarum. Accipe itaque in fine Maij, aut initio Iunij dicta folia recens collecta. Modice in mortario tundantur, fiantque ex iis novem infusiones. Ex quarum ultima, per residentiam 24. horarum spatio clarificata, parique sacchari quantitate, parabitur syrupus purgans, lumbricos interimens, nec insuavis.

Eodem modo foliorum persicorum, quo rosarum pallidarum mucarum asservatur.

Modus parandi syrupum rosarum pallidarum laxativum ex novem infusionibus.

CAPVT VII.

NOvem fiunt infusiones ex libra una rosarum pallidarum recens collectarum, pro quaque infusione (detracto luteo quod in meditullio est, foliisque virentibus ambientibus) in libris quatuor aquæ. Vltima infusio percolata expressaque libras circiter quinque continebit, citra aliam clarificationem, quàm per residentiam: hoc est, postquam ultima infusio colata expressaque est, in urnam mittitur, qua operta subsidere aliquantulum sinitur, ut fæces fundum petant.

Postea leniter in lebetem effunditur, cumque pari sacchari quantitate syrupus excoquitur, spuma sub finem & extra ignem ex cochleari perforato abiecta. Vbi utcumque refrixerit, in vas idoneum indetur, chartaque perforata contegetur. Perfectè refrigeratus charta duplici pergamenaque membrana madefacta munietur, temperatoque loco custodietur.

Quod si pro unaquaque infusionis libra tres tantum partes sacchari incoquas, syrupus erit magis purgatorius.

Modus parandi syrupum rosarum pallidarum cum agarico.

CAPVT VIII.

ACcipe, exempli gratia, agarici optimi, in frustula minutissima concisi, drachmas undecim, zingiberis rasi & contusi sive incisi drachmam dimidiam. Macerentur in disco per 12. horas cum sufficienti rosarum pallidarum mucaro. Dein leuiter bulliant, colentur, exprimantur per pannum stamineum. Misceaturque dicta expressio cum libra una syrupi rosarum pallidarum plus iusto cocti, ut decoquatur. Sicque paratus syrupus cum aliis asservabitur.

Modus parandi syrupum de hispidula, vulgo de pede cati.

CAPVT IX.

TRes fient infusiones ex una libra pro qualibet infusione florum hispidulæ in aquæ communis libris duabus. In tertia colata, expressa, clarificata cum ovi albumine, tres partes sacchari addetur, fietque syrupus.

Modus parandi syrupum papaveris rhœados.

CAPVT X.

TRes pariter fiunt infusiones ex dimidia libra pro unaquaque, florum papa-

veris rhœados recentium in libris duabus aquæ. In ultimam colatam, expreſſam nec clarificatam tantundem ſacchari indito, fiet ſyrupus, abiecta demum ſub finem & extra ignem ſpuma.

Modus julepum roſatum parandi.

Accipe ſacchari optimi libram unam. Coquatur in aquæ roſaceæ pari quantitate, paulo citra ſyrupi craſſitudinem. Sicque confectus julepus roſatus ſuis uſibus aptabitur.

Modus parandi ſyrupum de nenuphare.

Caput XI.

EX floribus albis nenupharis tres fiunt infuſiones, ex una ſcilicet libra dimidia pro unaquaque infuſione in aquæ communis libris duabus. Infundantur more aliorum ante deſcriptorum per 12. horas. Vltima infuſio colata expreſſaque clarificatur ovi albumine cum teſta confracta ſemelque traiecta per filtrum. Ex iſta colatura cum pari quantitate ſacchari ſyrupus conficitur.

Modus parandi ſyrupum capilli Veneris.

Caput XII.

ACcipe capilli Veneris, aut eius vice adianti & polytrichi, cuiuſque manipu-

los duos; scolopendrij manipulum unum, liquiritiæ rasæ & contusæ unciam unam. Cum saccharo fiat syrupus, eo qui sequitur modo.

Herbæ mundatæ atque lotæ, per 24. horas infundantur in aquæ calentis libris tribus, in fictili vitrato vel stanneo vase. Quo temporis spatio elapso omnia in lebetem immittantur, bulliantque duabus tribusve ebullitionibus. Colatura deinde ovi albumine cum testa clarificata, coquetur cum sacchari triplo ad syrupi crassitudinem.

Modus parandi syrupum oxymeliti simplici aquivalentem.

Accipe prædicti syrupi capilli Veneris, uncias tres; succi limonum, unciam unam cum dimidia. Misceantur. Saporis est perjucundi.

Vel, syrupi capilli Veneris uncias duas, aceti unciam unam. Misce & utere.

Nota, augeri vel minui acetum, ex Medici arbitratu; pro ratione efficaciæ aut imbecillitatis aceti.

Modus parandi syrupum iuinbinum simplicem.

Caput XIII.

Accipe iujubas selectas per medium incisas, citra vllius rei detractionem, numero centum.

Bulliant cum aquæ libris tribus in lebete ad medietatis consumptionem. Cum decocto colato & ex fortiori tela citra clarificationem expresso sacchari triplum incoquitur, conficiturque syrupus.

Modus parandi syrupum iuiubinum compositum.

Caput XIV.

Accipe hordei cortice exteriore mundati, unciam unam; iujubarum selectarum, numero sexaginta; liquiritiæ rasæ & contusæ, unciam unam; capilli Veneris vel adianti, & polytrichi, cuiusque manipulum unum; seminum cydoniorum, papaveris albi, melonis, lactucæ conquassatorum, cuiusque unciam dimidiam. Cum saccharo sic parabitur syrupus.

Mittantur in lebetem aquæ communis libræ quatuor, una cum hordeo mundato. Bulliant per aliquod tempus, deinde iujubæ per medium incisæ citra vllam detractionem adjiciuntur. Post quarum primam ebullitionem dicta semina indentur, sub finem vero liquiritia, capillus Veneris & polytrichum injicientur. Hoc facto, ab igne lebes amovebitur. Decoctum modicè refrigeratum colabitur, ex tela fortiori manibus exprimetur, ex ovi albumine cum testa clarificabitur, semelque per pannum laneum album traiicietur. Cum cola-

tura triplo sacchari adiecto syrupus absoluetur.

Modus parandi syrupum de althæa.

Caput XV.

Accipe radicum althææ præparatarum unciam unam cum dimidia, cicerum rubrorum unciam unam, radicum asparagi præparatarum, liquiritiæ rasæ & contusæ, cuiusque unciam dimidiam, summitatum althææ, maluæ, parietariæ, pimpinellæ, adianti, polytrichi, cuiusque manipulum semissem; seminum melonis, cucumeris, citrulli, cuiusque unciam dimidiam; sacchari libram unam cum dimidia, fiat syrupus arte sequenti.

Radices althææ elotæ filamentisque ambientibus mundatæ, meditullioque nervoso detracto, radices asparagi pariter lotæ & contusæ, cum libris quinque aquæ in lebete coquantur. Vbi per aliquod tempus bullierint, cicera in mortario conquassata adiiciantur, & paulo post summitates althææ, maluæ, parietariæ, pimpinellæ & denique adiantum, polytrichum & liquiritia: ita ut prædictum decoctum colatum, expressum, ex ovi albumine clarificatum ad duas redeat libras, ex quibus saccharique libra una & dimidia conficitur syrupus.

Alter modus parandi ſyrupum de althæa facilior & præſtantior.

Accipe althææ cum radice, radicum aſparagi, radicum eryngij, parietariæ, cuiuſque manipulum unum; cicerum rubrorum in mortario conquaſſatorum, uncias duas; ſeminum quatuor frigidorum maiorum etiam contuſorum, cuiuſque unciam dimidiam; liquiritiæ raſæ, unciam unam; ſacchari boni, libram unam cum dimidia, ſic conficiatur ſyrupus.

Radices althææ, eryngij, aſparagi prępara-tæ, hoc eſt mundatæ & contuſæ, in aquæ ſufficienti quantitate coquuntur, additis hinc parietaria, althææ ſummitatibus, cicerибus, ſeminibus frigidis, demum liquiritia contuſa, ut decoctum ad libras duas colatas & ex tela fortiore expreſſas redeat. Cum quibus ſaccharum ad ſyrupi craſſitudinem coquitur, ſervaturque more aliorum.

Modus parandi ſyrupum de cichorio triplicato rhabarbaro.

Caput XVI.

ACcipe hordei communis manipulum unum, radicum aſparagi, dentis leonis, vulgo taraxaci, cichorij, cuiuſque uncias tres; foliorum lupuli, fumariæ, polytrichi, agrimoniæ, adianti, cuiuſque manipulum unum cum dimidio; ſeminum melonis, cucumeris, citrulli, cucurbitæ, cuiuſque un-

ciam dimidiam; liquiritiæ raſæ & contuſæ, unciam unam ; rhabarbari optimi uncias quinque cum dimidia; ſacchari libras duas. Conficiatur ſyrupus hoc modo.

Mittantur in lebetem aquæ communis libræ octo, unà cum hordeo, bulliantque ſaltem per horæ quadrantem. Hinc injiciantur radices cichorij, dentis leonis, aſparagi ſic pręparatæ. Abiectis filamentis ambientibus, capitibuſque durioribus extirpatis proiectiſque, nerveoque meditullio detracto, abluantur. Radices cichorij in mortarium marmoreum immittantur, ijſque piſtillo ligneo conquaſſatis dehiſcentibuſque, chorda illa lignoſa facile eximetur; idem de radice taraxaci fiet. Aſparagi vero radices in mortario tantummodo tundentur, quia non ſunt adeo craſſæ. Detrahitur tamen chorda ſi lubet, eodem modo. Hoc facto, bulliant cum hordeo per horæ circiter quadrantem. Deinde adjiciantur folia dictarum radicum cichorij & dentis leonis, ſi tunc temporis vigeant, cum lupulo, fumaria, agrimonia, probè mundatis & lotis ; deinde ſemina in mortario marmoreo conquaſſata, demum adiantum, polytrichum & liquiritia: ita ut decoctum ad quatuor libras redeat, quod in figlinum immittes, omniaque per horas 24. macerari ſines, colatis prius ex dicto decocto unciis duodecim, affuſiſque calentibus in uncias quinque cum dimidia rhabarbari optimi, in fruſtula calceolarij cultello ex quadra

lignea comminuti, iniectique in urnam fictilem charta contegendam, ne rhabarbari vis exhalet. Postea per aliquod tempus, ut semihoræ; super cineres calidos prędictam infusionem impones. Deinde extrahatur, reponaturque in camini angulo, ubi stet per horas 24.

Quibus exactis prædicti decocti residuum colatur, exprimitur, tres ex illo libræ clarificantur ex duorum ovorum albuminibus vnà cum testa. Decoctum clarificatum perque pannum laneum album transmissum ad duas libras redit, quæ cum pari sacchari quantitate, ea fere crassitudine qua saccharum rosatum percoquuntur.

Interim dum syrupus coquitur, rhabarbari infusio cineribus calentibus applicatur, deinde per pannum stamineum aut lineum mundũ ex torculari exprimitur. Expressum quod ad uncias circiter octo redibit, seponetur. Cum autem prædictâ consistentiâ percoctus fuerit, ab igne amovebitur, paulo-que post dictum expressum spathula lignea vel cochleari argenteo permiscebitur. Hoc infuso syrupus diluetur decoqueturque, ut ad iustam consistentiam redigatur. Imo, ut melius cum syrupo, si paulo liquidior sit, commisceatur, supra fornacem unico fervore bulliet, confestimque ab igne deponetur. Refrigeratus (ut de præcedentibus dictum) in fictili mundissimo, loco temperato reponetur.

Modus parandi syrupum cum rhabarbaro laxativum.

Caput XVII.

Accipe libras tres decocti betonicæ, cichorij, bugloſſi cum radicibus. Macerentur per noctem in dicto decocto calente medicamenta ſequentia; rhabarbari in fruſtula comminuti unciæ duæ cum dimidia, ſenæ mundatæ uncia una cum dimidia, violarum manipulus unus, cinnamomi in mortario conquaſſati drachmæ duæ, ſeminis fœniculi tantundem, liquiritiæ raſæ & contuſæ uncia dimidia.

Poſtridie omnia unico fervore bulliãt, colentur, exprimantur. Cum expreſſo ſacchari triplum incoquatur, additis ſub finem ſyrupi roſarum pallidarum unciis quatuor. Sicque paratus ſyrupus more aliorum cuſtodietur.

Alter modus præſtantior & gratior.

Accipe hordei communis manipulum unum, betonicæ tantundem; bugloſſi, cichorij cum radicibus, cuiuſque etiam manipulum unum. Hordeum in primis, tribus quatuorve ebullitionibus ferveat, hinc addantur radices præparatæ eo quo dictum eſt modo, poſtremo folia.

Huius decocti colati ſumantur unciæ decem, in eo ſenæ mundatæ uncia una, cum ſeminis fœniculi vel aniſi drachmis duabus

per 12. horas macerentur, ſub finem unico fervore bulliant, dein colentur & exprimantur. In expreſſo infunde per noctem rhabarbari in mortario eodem tempore conquaſſati drachmas undecim.

Accipe huius decocti colati libram unam. Maceretur in eo tantundem temporis liquiritiæ raſæ & cõtuſæ uncia dimidia. Poſtridie mane infuſum iſtud liquiritiæ unico fervore bulliat, ſtatimque coletur. In colatura ſacchari libra una ad conſiſtentiã quã ad ſyrupum paulo craſſioré coquetur. Interim dum ſaccharũ coquitur, dictũ rhabarbari infuſum calefiet, colabitur, exprimetur. Vbi vero prędicta craſſitudine percoctum fuerit, lebes ab igne deponetur, ſtatimque rhabarbari infuſum injicietur, cum ſyrupi roſarum pallidarum unciis duabus, ſpathula omnia verſando, ut ſyrupi craſſitudinem ſubeant; qui gratiſſimus erit, ſuoſque ad uſus ſervabitur.

Modus parandi ſyrupum de papavere ſimplicem.

Caput XVIII.

Accipe libram dimidiam capitum papaveris albi recentium, capitum papaveris nigri etiam recentium, tantundem. Comminuantur per quadras digitis vel cultello. Injiciantur unà cum ſeminibus in pelvem ſtanneam, vel in fictile. Affundantur deſuper aquæ ferventis libræ quatuor. Contegantur

linteo duplicato. Macerentur in angulo camini per horas 24. Iis exactis in lebetem immittantur, unoque fervore supra fornacem bulliant. Dein colentur fortiterque ex tela crassiori exprimantur. In expresso tot rursus capita papaveris albi & nigri (apparata ut dictum) per 24. pariter horas macerentur. Sub finem uno alterove fervore in dicto lebete bulliant, colentur, ex tela fortiore exprimantur. In colatura ita expressa triplum sacchari adjicietur, fietque syrupus citra clarificationem. Sunt tamen qui illum clarificent, semelque duntaxat per pannum laneum albus transmittant. Verum (ut alias à nobis declaratum est) clarificatio nonnihil adimit de medicamentorum vi & energia. Quod si papaveris capita sint valde arida ceu hyeme; in frusta confracta cum seminibus macerabuntur, quaque vice (duplex enim fit infusio perinde ac recentium ad syrupum conficiendum) per biduum, hoc est per bis 24. horas.

Modus parandi syrupum de ribes.

Caput XVII.

Libra una sacchari primæ bonitatis cum libra dimidia aquæ fere ad sacchari rosati consistentiam coquitur. Extracto ab igne succi ribesiorum ad solem depurati septem vel octo unciæ commiscentur, quibus diluitur redigiturque ad syrupi consistentiam.

Modus parandi ſyrupum ex ſucco granatorum acidorum.

Caput XIX.

Syrupus hic eodem modo quo ſyrupus de ribes conficitur.

Modus parandi ſyrupum limonum.

Caput XX.

Syrupus limonum eodem modo, quo duo præcedentes præparatur. Notandum vero ſi ſuccus limonum non ſit ritè defæcatus, ſyrupumque turbidiorem efficiat; cum ſaccharo cocto permiſtus uno fervore bulliat, deſpumeturque cochleari argenteo, candidus, pellucidus, pergratuſque evadet.

Modus parandi ſyrupum cydoniorum.

Caput XXI.

Accipe libras duas ſucci cydoniorum per reſidentiam clarificati, ſtatimque per pannum lineum tranſmiſſi, ne denuo clarificetur. Cum ſacchari libra una cum ſemiſſe fiat ſyrupus, aliorum more cuſtodiendus.

Modus parandi ſyrupum de fumaria.

Accipe libras duas ſucci fumariæ per reſidentiam depurati, bis terve per pannum lineum vel Hippocratis manicam tranſmiſſi, cum ſacchari pari quantitate fiat ſyrupus.

Alter modus facilior.

Accipe fumariæ probè lotæ manipulos octo. Coquantur in libris quatuor aquæ. Ex colatura (quæ erit circiter librarum duarum) cum pari sacchari quantitate fiat syrupus.

Modus parandi syrupum de fumaria compositum ex sena.

Accipe senæ mundatæ uncias duas, cum drachmis quinque, seminis fœniculi vel anisi drachmas tres. Pulverentur, *ut cap. 23. tractatus* 1. est traditum. Deinde in discum, citra transmissionem, mittantur, desuperque affundatur ptisanæ calentis aut seri lactis libra dimidia ad senæ contemperationem, reponaturque per noctem in camini angulo.

Accipe item fumariæ manipulos quatuor. Coquantur in sufficienti aquæ quantitate, donec decoctum redeat ad libram unam colatam, ex telaque fortiori expressam.

Cum ea tantundem sacchari incoquatur, libra una videlicet, ad consistentiam quàm ad syrupum paulo crassiorem.

Interim dum decoctio perficitur, infusio ex sena unico fervore ebulliet, colabitur, exprimetur per pannum stamineum, permiscebiturque syrupo, illius diluendi gratia, prout supra dictum est, leviterque bulliet ut melius commisceatur.

Modus

Modus parandi syrupum Saboris, seu de pomis compositum.

Caput XXIII.

Accipe libram unam cum semisse succi pomorum fragrantium clarificati, transmissique bis consequenter per pannum lineum. Infundantur in eo per 24. horas senæ mundatæ unciæ duæ, cum seminis anisi drachmis duabus. Vnico fervore bulliant, colentur, exprimantur per pannum stamineum. Expressum uncias circiter septemdecim continebit, cumque sacchari unciis duodecim conficietur syrupus.

Quod si dictum syrupum magis purgantem efficere volueris, pro duabus senæ unciis, seminis anisi drachmis duabus, tres senæ uncias, seminisque anisi drachmas tres adjicies.

Si senæ infusionem cum succi pomorum, & succorum buglossi & borraginis depuratorum partibus æqualibus parare libuerit, id non improbo.

Modus facilior præstantiorque parandi syrupum de pomis compositum.

Accipe poma curtipendula aut renetiana, numero duodecim; buglossi manipulos duos, borraginis cum radicibus tantundem. Laventur omnia ex aqua limpidissima.

Deinde poma in quadras, citra pellis detractionem, dividantur. Bulliant omnia in

lebete cum aquæ quantitate sufficienti, ita ut decoctum colatum expressumque ex tela fortiori ad duas saltem libras cum dimidia redeat. In eo per 24. horas unciæ quinque senæ mundatæ, cum seminis anisi aut fœniculi drachmis decem macerentur, post unam ebullitionem colentur, exprimanturque ex dicta tela. Cum expresso sacchari libræ duæ incoquantur, fiatque syrupus, cum aliis asservandus. Syrupus hic non est iniucundus, cum una duntaxat drachma senæ maceratæ syrupi cuilibet unciæ insit.

Modus parandi syrupum ex moris.

Caput XXIV.

Accipe libras duas succi mororum hortensium, non omnino maturorum. Clarificetur, trajiciatur per pannum laneum album, cum libra una & semisse sacchari fiat syrupus.

Notandum, succum istum per residentiam clarificari posse, expressis scilicet moris, prout *cap. 9. de succorum clarificatione* est traditum. Mittitur in urnam figlinam aut aliud vas probè contectum per 24. horas. Hinc conficitur syrupus, prout dictum est.

Modus conficiendi syrupum cerasorum.

Caput XXV.

Accipe succi cerasorum ad solem clarificati libram unam. Trajicito per pan-

num album, cumque sacchari unciis duodecim syrupum parato.

Modus parandi syrupum rosarum siccarum.

Caput XXVI.

Accipe tres vel quatuor uncias rosarum rubrarum siccarum selectarum. Indantur in urnam fictilem, desuperque affundatur aquæ ferventis libra una cum semisse. Contegantur macerenturque in camini angulo per 24. horas. Deinde infusio in lebetem immittatur, ubi uno aut altero fervore bulliat. In colato expressoque sacchari libra una incoquatur, fiatque syrupus, more aliorum servandus.

Modus parandi syrupum de absinthio.

Caput XXVII.

Accipe libram unam absinthij Romani, quod nostras est, comâ scilicet exiguâ, plurimisque Galliæ in locis colitur, minus amarum, magis stypticum & aromaticum est. In frustula concidatur.

Accipe item nardi Indicæ drachmas tres, eodem modo incidatur; rosarum rubrarum uncias duas. Infundantur omnia calidè per 24. horas in libris duabus vini albi veteris generosi, & succi cydoniorum in camini angulo clarificati pari quantitate. Hoc tempore

exacto coquantur, decoctumque colatum, expressum, clarificatum ad duas redigatur libras, cum quibus tantundem sacchari percoquetur in syrupum.

Modus parandi syrupum de artemisia.

Caput XXVIII.

Accipe radicum eryngij, seu cardui centipitis, uncias quatuor; hyssopi, artemisiæ, cuiusque manipulos duos; nepetæ, polytrichi, adianti, marrubij albi, cuiusque manipulum unum; seminum rutæ, nigellæ, cuiusque unciã dimidiam. Cum duabus libris sacchari conficiatur syrupus modo sequenti.

Abluuntur mundanturque radices eryngij, exciduntur capita seu summitates, projiciunturque. Dein in mortario marmoreo pistillo ligneo conquassantur, ad eximendum meditullĩ lignosum, quod etiam abjicitur. Ex radicibus ita præparatis quatuor unciæ ponderantur, conquassantur in mortario, coquuntur in aquæ libris quinque. Aliquanto post adduntur artemisia, hyssopus, nepeta, marrubium, & semina conquassata, & demum adiantum & polytrichum, ut decoctum redeat ad libras duas colatas, expressas, clarificatas. Cumque sacchari pari quantitate conficitur syrupus.

Alter modus facilior.

Accipe artemisiæ, hyssopi, cuiusque manipulos duos; nepetæ, sabinæ, cuiusque

manipulum unum ; sacchari libram unam cum dimidia. Fiat syrupus.

Prædicta simplicia mundata lotaque in aquæ quantitate sufficienti percoquentur, ita ut decoctum redeat ad libras duas colatas expressasque ex tela fortiori, cum quibus saccharum ad syrupi confectionem incoquetur.

DE SYRVPIS MELLITIS.

Modus parandi mel despumatum.

CAPVT XXIX.

ACcipe mellis sufficientem copiam. Præparetur, ut 1. *cap. tractatus* 1. est ostensum. Coquatur in lebete supra fornacem, dum mellis crassitudinem nanciscatur; quod dignosces, si guttulam in quadrum seu marmor effundas refrigerarique sinas. Vbi eò devenerit, ab igne depones despumabisque. Refrigeratum cum aliis servabitur syrupis.

Modus conficiendi mel rosatum.

CAPVT XXX.

MEl rosatum multis paratur modis. Sed qui sequuntur præstantia & facilitate reliquos superant.

Primus modus. Tres fiunt infusiones perinde ac in syrupis ; ex libra una rosarum rubrarum explicatarum recentiumque in aquæ

communis libris quatuor, unaquæque infusio per horas duodecim. In ultima colata expressaque tantundem mellis despumati, vel communis optimi incoquitur ad syrupi consistentiam, abiecta sub finem coctionis spuma, vel extra iguem.

Secundus modus. Dictæ infusiones fiunt ex rosarum rubrarum parte media, & tantundem pallidarum recentium commistarum, ambarum ad libræ unius quantitatem, in aquæ communis libris quatuor, ut dictum est. Cum ultima infusione colata expressaque par quantitas ex alterutro melle incoquitur; sicque mel prædictum conficitur.

Tertius. Accipe, exempli gratia, libras tres vel quatuor rosarum pallidarum recens collectarum. Contundantur optimè in mortario marmoreo pistillo ligneo, donec digitis insensiles seu impalpabiles evadant. Deinde in figlinum oris amplissimi indantur, pari quantitate mellis laudatissimi immista, spatio liberiore ad mellis ebullitionem quæ in altum irrumpit, relicto. Contecto probè ex membrana pergamena vase, per duodecim vel quindecim dies soli exponetur ut percoquatur, spathula interdum illud versando ut perfecte incorporetur. Hoc exacto tempore mel sic confectum asservabitur.

Modus parandi mel violatum.

CAPVT XXXI.

MEl violatum eodem modo quo rosatum paratur. Ex libra enim una violarum recentium integrarum (hoc est florum & partis herbaceę ambientis) tres fiunt infusiones in aquæ communis libris quatuor. Cum tertia & ultima infusione colata expressaque tantundem mellis despumati vel communis optimi incoquitur despumaturque. Sicque confectum mel cum aliis custoditur.

Modus parandi mel mercuriale.

CAPVT XXXII.

ACcipe succi mercurialis, extracti prout *cap. 4. tractatus* 1. traditum est. Bulliat uno fervore, mox per 24. aut amplius horas subsidere sinatur. Deinde vel inclinato vase, vel per linteolum transmittetur. Colaturam ponderabis, in eaque mellis communis optimi parem quantitatem immittes in lebetem, coquesque donec omnia ad syrupi consistentiam redigantur. Post despumationem refrigerationemque ad usus reponitur.

Vel accipe succi mercurialis recens extracti, mellis communis, cuiusque partes æquales. Vnico fervore in lebete bulliant, hinc ex crassiore linteo colentur. Postea in lebetem elotum mundatumque iterum indantur, coquanturque ad syrupi consistentiam.

Alter modus præstantior mellis mercurialis parandi.

Extribus etiam decoctionibus mel mercuriale confici potest.

Accipe mercurialis recentis copiam sufficientem. Probè mundata multiplicique aqua in mortario ampliore, pistillo ferreo contundatur, mittaturque in lebetem, cum pauciore aqua quam ad aliarum herbarum decoctionem, quia post coctionem exprimitur. Percocta colatur exprimiturque ex tela fortiore per torcular. Deinde cum expressione par quantitas mercurialis ut ante præparatæ, incoquitur. Cocta, colata, ut dictum est, expressa; cum secunda ista colatura & expressione tantundem mercurialis præparatæ, tertio adjicietur, coquetur, colabitur, exprimetur, ut toties dictum. Demum cum hac expressione par mellis quantitas immiscetur, conficiturque mel mercuriale, perinde ac mel rosatum, absque ulla despumatione.

DE CONSERVIS.

Modus parandi conservam violarum.

Caput XXXIII.

Accipe libram semissem violarum à parte herbacea mundatarum. Contundantur in mortario marmoreo, cum pistillo ligneo, donec in pastam abeant molliusculā, ita ut nulla inter tractandum inæqualitas

percipiatur. Commiſceatur ſenſim libra una ſacchari pulverati, vel in fruſtula comminuti, tundatur, incorporetur cum violis. Hoc præſtito, conſerva confecta erit, quæ in vas fictile mundiſſimum indetur, charta non perforata tegetur, ſoli per 30. aut 40. dies exponetur, bis terve quaque hebdomada ſpathula verſabitur, ut à ſolis calore undequaque percoquatur.

Modus parandi conſervam roſarum.

Caput XXXIV.

Accipe libram dimidiam vel libram integram roſarum rubrarum non explicatarum, forcipe inciſis unguiculis (pars eſt lutea in imo flore.) Tundatur in mortario marmoreo piſtillo ligneo, duplo ſacchari addito, ut in violarum conſerva oſtenſum eſt.

Modus parandi conſervam nenupharis.

Caput XXXV.

Accipe libram dimidiam florum albo-rum nenupharis recentium. In mortario marmoreo perinde ac præcedentes tundatur, ſacchari duplo adiecto. Exponatur ſoli ut dictum.

Modus parandi conſervam tuſſilaginis.

Caput XXXVI.

Ex floribus tuſſilaginis pars duntaxat lutea aſſumitur, tunditurque in mortario

cum duplo saccharo, ceu præcedentes.

Modus parandi conservas borraginis, buglossi, rorismarini, & betonicæ.

Caput XXXVII.

EOdem prorsus modo quo superiores conficiuntur.

TRACTATVS TERTIVS.

DE ELECTVARIIS.

Modus parandi Electuarij lenitivi pro divitibus.

Caput I.

ACcipe polypodij quercini conquassati, uncias tres; seminis fœniculi viridis, unciam semissem; betonicæ, agrimoniæ, adianti, polytrichi, scolopendrij, cuiusque manipulos duos; seminis anisi viridis, unciam semissem; pulpæ cassiæ, pulpæ tamarindorum, prunorum, cuiusque uncias sex: senę cum aniso pulveratæ, uncias quatuor cum dimidia; sacchari libram unam. Fiat electuarium arte sequenti.

Prædicta simplicia mundata & lota in aquæ sufficienti quantitate coquantur. Pri-

mò scilicet polypodium mundatum, cum semine fœniculi per horæ quadrantem & amplius; deinde betonicam & agrimoniam, polytrichum, adiantum, scolopendrium.

Prædicti decocti colati accipe libram unam. Macerentur in eo per 24. horas sennæ mundatæ unciæ duæ, cum seminis anisi aut fœniculi semuncia: tantisperque ante huius temporis finē extrahentur singulæ seorsum, pulpæ cassiæ, tamarindorum, & prunorum, prout est demonstratum *cap.* 22. *tractatus* 1.

Hoc facto sennæ infusio unico fervore bulliat, coletur, exprimatur per pannum stamineum. Cum expresso libra una sacchari in lebete coquatur ad consistentiam *cap.* 17. *tractatus* 1. traditam.

Syrupus hoc modo confectus in pelvem stanneam vel vas fictile vitratum effunditur. In lebetem vero extra ignem pulpæ tamarindorum & prunorum injiciuntur, & cum rudicula probè permiscentur, addita etiam post cassiæ pulpa.

His peractis syrupi aliquantum refrigerati tertia pars prædictis pulpis probè permiscetur, deinde sennæ cum correctivo pulveratæ tertia pars inspergitur, ut demonstratum est *cap.* 23. *tractatus* 1. exacteque quoad fieri poterit cum pulpis & syrupo permiscebitur.

Deinde syrupi, ut & sennæ pulveratæ partes residuæ, indentur, rudiculaque probè versabuntur & subigentur. Omnibus exqui-

sitè permistis conflatur electuarium, quod antequam refrigescat, in vase idoneo charta perforata contecto reponetur. Refrigeratum charta duplici munitum more syrupo-rum servabitur.

Si inter parandum dictum electuarium syrupus refrigesceret, supra fornacem erit calefaciendus, procedendo ut dictum.

Nota, pulveres nunquam esse miscendos cum syrupo fervente, quoniam adurerentur; sed eo aliquantulum refrigerato.

Vnum duntaxat modum syrupi conficiendi descripsi, qui quatuor reliquis sequentibus inserviet: præstantissimus quippe est, ut evidentissimè patet.

Modus parandi Electuarium lenitivum pro egenis.

Caput II.

Accipe libram unam decocti prędictorum simplicium colati, ad senam cum aniso, ut dictum est, macerandam; sennæ mundatæ uncias duas; seminis anisi aut fœniculi viridis unciam dimidiam; pulpæ prunorum & tamarindorum, cuiusque uncias novem; sennæ cum aniso pulveratæ uncias quatuor cum dimidia, sacchari libram unam. Conficiatur electuarium modo ante descripto.

Omissa autem est cassiæ pulpa ob sumptum, sed ad illius defectum compensandum

prunorum & tamarindorum pulpæ dosis adaucta est. Si forte aliqua cassiæ paulo ante extractæ recrementa nondum evanida præsto adsint, per dictas 24. horas cum sena infundi poterunt.

Modus parandi Catholicum.

Caput III.

Accipe decocti prædictorum simplicium ad senæ & anisi infusionem, uncias viginti; senæ mundatæ uncias duas: seminis fœniculi viridis, semunciam; pulpæ cassiæ uncias quatuor; pulpæ tamarindorum & prunorum, cuiusque uncias sex, senæ pulveratæ cum aniso, uncias duas cum drachmis duabus; rhabarbari pulverati uncias duas; sacchari libram unam cum dimidia. Fiat electuarium arte sequenti.

Primo infundetur sena cum aniso, ut dictum.

Rhabarbarum pulveratur, ut ostensum est *cap.* 25. *tractatus* 1. simulque cum eo sena cum aniso pulverantur, totusque iste pulvis seponitur.

Tamarindorum, prunorum, & cassiæ pulpæ præparatæ etiam seponuntur.

Syrupus ex prædicta senæ infusione in cacabo seu lebete cum saccharo coctus, in vas idoneum effunditur, deinde in lebete extra ignem simul permiscentur pulpæ tamarindorum, prunorum & cassiæ. Hinc conse-

quenter (ut toties dictum) syrupus & pulveres accurata subactione commiscentur. Sicque confectum electuarium ubi refrixerit, cum aliis custodietur electuariis.

Qui senam duplicare voluerit (ut fit de rhabarbaro) pro duabus unciis cum drachmis duabus senæ pulveratæ, quatuor uncias cum dimidia adjiciat, minusque saccharum coquatur, habita ratione pulveris adaucti.

Modus parandi Diaprunum simplex & compositum.

Caput IV.

Accipe libram unam decocti prædictorum simplicium colati, ad infundendam senam, senæ mundatæ uncias duas; seminis anisi viridis semunciam; pulpæ prunorum, libram dimidiam; pulpæ tamarindorum, uncias quatuor; rosarum rubrarum drachmas tres; sacchari libram unam. Concinnatur electuarium eodem modo quo præcedentia, vocaturque Diaprunum simplex.

Quod si compositum efficere volueris (ut vulgo fit) sic procedes.

Cum prædicto electuario confecto adhuc calente, vel si non caleat, supra fornacem aliquantum calefiat; scammonij optimè pulverati, ut traditum est *cap.* 26. *tractatus* 1. drachmæ novem inspergantur, exacteque rudicula permisceantur. Sic confectum electuarium Diaprunum compositum nuncu-

patur, ſervaturque in vaſe idoneo ad uſus.

Nota, nullum hic à nobis deſcribi Catholicum ad clyſteres. Illius enim loco electuaria præcedentia inſervire poſſunt cum certiori utilitate.

Electuarium vice confectionis Hamech, iucundius mollinſque purgans.

Caput V.

Accipe vltimo deſcripti decocti ad infuſionem ſenæ & aniſi libram unam; ſenæ mundatæ, uncias duas; ſeminis aniſi vel fœniculi viridis, unciam dimidiam; pulparum caſsiæ, tamarindorum, prunorum, cuiuſque uncias quatuor; ſenæ pulveratæ cum ſuo correctiuo uncias duas cum dimidia; rhabarbari pulverati unciam ſemiſſem; agarici trochiſcati pulverati, unciam unam; ſaccharj, libram unam; ſcammonij, drachmas novem. Fiat electuarium.

Sena cum aniſo in dicto infundentur decocto, cum pulpæ caſsiæ recrementis, ad ſyrupum poſtea conficiendum.

Rhabarbarum & trochiſci agarici ſeorſum in mortario pulverabuntur, ut *cap.* 25. *& 26. tractatus* 1. demonſtratum eſt. Vtriuſque pulvis cum ſena pulverata permiſceatur, ſeorſumque in charta ſervatur.

Scammonium in mortario pariter pulveratum, ut demonſtratum eſt, in alia charta ſeparatim reponetur.

Hoc facto, pulpæ tamarindorum & prunorum rudicula in cacabo commiscebuntur, deinde casia simul cum syrupo & pulvere. Omnibus exquisitè mistis calentibusque superinspergitur permisceturque scammonium, ut antè traditum, ubi de diapruno composito agebatur. Sic elaboratum electuarium cum aliis asservabitur.

Modus parandi electuarium de dactylis, vulgo Diaphœnicum.

CAPVT VI.

ACcipe pulpæ dactylorum uncias sex, turbith gummosi uncias duas; amygdalas aliquot dulces excorticatas 18. vel 20. zingiberis cultello rasi, macis, seminum anisi, fœniculi, cuiusque drachmas duas, scammonij drachmas sex. Cum unciis decem mellis despumati, ut ostensum est *cap.* 17. *tractatus* 1. fiat electuarium.

Pulpa dactylorum præparata, ut patuit *cap.* 2. *tract.* 1. seponitur.

Deinde pulvis hac arte conflatur.

Primum in mortarium immittitur turbith, zingiber & amygdalæ, ad illorum exhalationem inhibendam, simulque contunduntur. Semipulveratis macis, anisum & fœniculum injiciuntur. Omnia in pulverem redacta trajiciuntur per incerniculum contectum, modo *cap.* 23. *tractat.* 1. descripto, vbi de sena sermo erat.

Tres

Tres pulveris unciæ extractæ in charta seorsum reponuntur.

Scammonium pariter pulveratur, ut demonstratum est; separatimque servatur.

His peractis, pulpa dactylorum in cacabum imponitur, rudicula aliquantisper agitatur, dein adjicitur mellis despumati calentis tertia pars, permisceturque cum prædicta pulpa. Deinde inspergitur commisceturque prædicti pulveris pars tertia, dein reliqua pars mellis; hinc pars reliqua pulveris, demum residuum mellis & pulveris; eodem modo quo in electuariis præcedentibus.

Omnibus probè subactis calentibusque scammonium pulveratum adjicitur, ut dictum superius. Eo exquisitè permisto electuarium absolutum est, quod refrigeratum aliorum more custoditur.

Modus parandi benedictam laxativam.

Caput VII.

Accipe turbith, hermodactylorum rasorum, cuiusque drachmas sex; amygdalas excorticatas 18. aut 20. rosarum rubrarum, drachmas tres; zingiberis rasi, maeis, cuiusque drachmam unam; seminum milij solis, saxifragiæ, anisi, apij, cuiusque drachmas duas; scammonij drachmas quinque; mellis despumati uncias quindecim. Fiat electuarium.

Notandum, in hoc capite atque præceden-

te pondus medicamentorum pulverandorum liberaliſſimum eſſe debere (præterquam ſcammonij, quod iuſtè ponderari debet) quia non cernuntur tranſmittunturque integrè per ſetaceum. Sed ubi expetita doſis expleta erit, reſiduum ad aliam præparationem, vel ad uſus à Medico ſuggerendos aſſervatur.

In mortarium primo immittuntur turbith, zingiber, hermodactyli, ex quibus cultello pulvis aut terra adhæreſcens prius excuſſa fuerit. Amygdalis modicè pulveratis adjiciuntur ſemina, demum macis & roſæ rubræ ſiccæ.

Omnia pulverata per ſetaceum contectum tranſmittuntur. A quibus ubi tres pulveris uncias exemeris, in charta ſeorſum reponentur.

Scammonium pulveratum etiam ſeparatim ſervatur.

His peractis, tertia pars mellis deſpumati calentis in cacabum immittitur, cum parte tertia pulveris ſuperinſperſi exquiſiteque permiſti. Deinde reliquæ mellis pulverumque partes eo ordine ſubiiciuntur, quo in electuariis præcedentibus, rudiculaque accuratiſſimè permiſcentur.

Electuario denique vel adhuc calente, vel calefacto, ſcammonium permiſcebitur, ut dictum.

Modus parandi hieram simplicem.

Caput VIII.

Accipe cinnamomi optimi, santali citrini, asari, nardi Indicæ, croci, masticbes, cuiusque drachmas sex; aloës non lotæ uncias duodecim cum dimidia; mellis despumati uncias quinquaginta unam, seu libras tres cum unciis tribus. Sic instituatur compositio.

In mortario simul pulverantur cinnamomum, santalum citrinum in minuta schidia seu fragmenta incisum, asarum & nardus Indica concisa, dein per setaceum tectum transmittuntur. Pulvis (qui quatuor uncias cum dimidia pendere debet) seorsum reponitur. Pulveranda etiam mastiche, crocus, aloë, unumquodque seorsum. Deinde omnes isti pulveres in mortario commiscentur, ita ut totum ex illis conflatum uncias 17. ponderet. Quod cum libris tribus, tribusque unciis mellis despumati ad consistentiam syrupi cocti, modiceque calentis exactè permiscetur, catabo ab igne depositio.

Notandum, prædictum mel non admodum coquendum esse: ingenti enim aridiorum pulverum copia mel satis exsiccatur incrassaturque, licet levius coctum quam ad electuarium.

Modus parandi hieram picram cum agarico.

Caput IX.

Accipe drachmam unam ex pulvere cuiusque ex primis sex medicamentis in hieræ simplicis descriptione enumeratis: hinc addantur pulveris agarici trochiscati drachmæ sex, aloës non lotæ uncia una cum dimidia, utroque priùs seorsum pulverato.

Mox universus pulvis, qui est trium unciarum, commisceatur, incorporeturque in cacabo cum unciis novem mellis despumati, ad syrupi crassitiem cocti, modicè refrigerati, & ab igne remoti. Sicque confecta compositio cum aliis antè descriptis ad usus reponetur.

Tabellæ ex Mechoacan, quæ tabellis Diacarthami æquivalent.

Caput X.

Accipe Mechoacan, hermodactylorum rasorum, turbith, cuiusque drachmas duas; rosarum rubrarum, drachmam unam; zingiberis rasi drachmam dimidiam; amygdalas dulces excorticatas, tres aut quatuor; scammonij, drachmas duas. Cum libra dimidia sacchari soluti coctique in aqua communi, fiant tabellæ pondo unciæ semissis.

Mechoacan in mortario contuso, adjici-

tur turbith, hermodactyli & zingiber rasum, cum amygdalis ad illorum exhalationem inhibendam. Denique rosæ rubræ siccæ induntur.

Omnia pulverata per setaceum transmittuntur. Inde postquam pulveris drachmas septem cum dimidia exemeris, residuum in charta repones.

Scammonium seorsum etiam pulveratur, illiusque pulveri in mortario simul drachmæ septem cum dimidia pulveris prædicti admiscentur: adeo ut totum conflatum drachmas novem cum dimidia contineat, quod in chartâ reponitur.

Pulvere sic apparato, saccharum in sartagine mediocri ex ære rubro, cum unciis quatuor aquæ ad consistentiam *cap.* 15. *tractat.* 1. indicatam excoquitur. Coctum ab igne deponitur, spathulaque fortiter agitatur, dum refrigescat. Refrigerato prædictus pulvis inspergitur, probeque spathula cum saccharo cocto incorporatur: ita ut pasta tandem fiat legitimæ consistentiæ, detersoque collectoque quod sartaginis fundo parietibusque adhæserit. Quæ pasta adhuc calidiuscula in chartam albam, modico oleo amygdalarum dulcium vel communi delibutam, vel confricatam ex amygdala dulci cultello excorticata, ne chartæ adhæreat, effunditur, radio terete oleo illito, extensionis gratia, percutitur, multoties circumvoluto comprimitur & complanatur. Hinc inuncto

cultello dividuntur, fiuntque tabellæ pondo semunciæ. Quæ refrigeratæ in pyxide, charta superne inferneque munita, loco sicco (ut supra asserem in camini angulo) reponuntur.

Si quid vero sartagini tenacius adhæserit, spathula ferrea deradetur, cum dictis tabellis in charta reponetur, eiusdemque erit usus qui tabellarum.

DE TROCHISCIS.

Modus parandi Trochiscos de agarico.

CAPVT XI.

EX instrumento ex ferro albo incurvo undiquaque forato (quam vulgo raspam vocant) exterendæ sunt agarici albi, levis & friabilis unciæ duę, vel quantum expedierit: mittendæ in mortarium marmoreum, affusa subinde aquæ vitæ quantitate sufficienti: tundendæ, subigendæ pistillo ligneo, in pastam cogendæ, ex qua trochisci plani seu alterius figuræ effingentur, in umbra super setaceo inverso charta operti, ne sordes aliqua inficiantur, exsiccandi.

Exsiccati rursus in mortario pulverabuntur, & ut prima vice, cum aqua vitæ malaxabuntur, ut in pastam coëant. Hinc in trochiscos aptabuntur, qui denuo ex setaceo siccabuntur, ut dictum. Quod tertio iterabis. Demũ in vase idoneo ad usus recondentur.

Huiuſmodi Trochiſci confici etiam poſſunt cum vino albo tenuiſſimo, in quo maceratum fuerit zingiber raſum contuſumque in phiala optime obturata per 24. horas hoc modo.

Accipe vini albi generoſi tenuiſſimi librã dimidiam. Macerentur in eo per 24. horas zinziberis raſi & contuſi drachmæ tres, in phiala ſcilicet probe clauſa. Ex dicti vini parte una trochiſcos (ut dictum eſt) effinges, ritè iterum obturata phiala, ut bis eandem præparationem ſubeant.

Modus parandi trochiſcos Alhandal.

Caput XII.

PRimo macerentur per quatuor vel quinque dies gummi tragacanthæ drachmæ tres, cum aqua roſacea, in vaſe ſtanneo bene contecto. Interea accipe pulpam colocynthidos à ſeminibus repurgatam. Forficibus in fruſtula tenuiſſima concidatur, in mortario pulveretur, illius fundo piſtillique extremo oleo roſato prius inunctis. Ex ea probe lævigata fingentur trochiſci cum gummi prędicto ſoluto, qui ex inverſo cribro ſiccabuntur. Exſiccati in mortario rurſus teruntur cogunturque in trochiſcos, ſervandos ut dictum.

Modus parandi trochiſcos de Myrrha.

Caput XIII.

Accipe cinnamomi, ſeminis nigellæ, aloës, myrrhæ, cuiuſque drachmas duas. Ex rutæ vel artemiſiæ ſucco per reſidentiam depurato, formentur trochiſci.

Prædicta medicamenta pulverantur, à cinnamomo incipiendo; ſeorſum ſervantur, ut *cap.* 30. *tractat.* 1. declaratum eſt, per incerniculum trajiciuntur. Deinde nigella pulveratur, eiuſque ſemuncia & amplius pro drachmis duabus adjicitur: quæ pulverata per ſetaceum opertum cernetur. Vbi vero drachmas duas exemeris, reſiduum vel ſervabitur, vel projicietur; cum ſemen iſtud viliſſimi ſit pretij. Hinc myrrha teritur, tum aloë, ut *cap.* 25. *tractat.* 1. dictum. Cum aloë pulverata in mortario adhuc exiſtente, reliqua omnia medicamenta in pulverem rediguntur. Accùratè permiſtis prædictus ſuccus affunditur: ex ijſque ſubactis finguntur trochiſci, in umbra ſupra inverſum ſetaceum exſiccandi.

DE PILVLIS.

Modus parandi pilulas ſtomachicas, ante cibum *dictas.*

Caput XIV.

Accipe aloës drachmas ſex, maſtiches, roſarum rubrarum, cuiuſque drachmas duas. Cum ſyrupo roſarum pallidarum probe ſubactis, maſſa concinnetur.

Accipe maſtichem ſelectam. Teratur leniter, madefacto prius mortario piſtilloque pauca aqua roſacea vel communi, ſeponaturque. Roſæ rubræ etiam pulveratæ ſeorſum ſervabuntur.

Demum cum aloë prius pulverata & adhuc in mortario exiſtente, maſtiche & roſæ rubræ permiſcentur. Ex iis omnibus, ſyrupo roſarum pallidarum adiecto, exquiſitè ſubactis, formatur maſſa, quæ ex charta per 10. aut 12. horas in umbra exſiccatur. Hinc aluta alba oleo delibuta involuitur, ſervaturque in vaſe idoneo, quale eſt fictile vel ſtanneum.

Modus parandi pilulas ſine quibus.

Caput XV.

Accipe aloës unciam dimidiam, rhabarbari, agarici trochiſcati, ſenæ pulveratæ, cuiuſque drachmam unam cum dimidia,

ſcammonij drachmas duas cum dimidia. Cum ſyrupo roſarum pallidarum concinnetur maſſa.

Sena ſepoſita, ſcammonium & aloë ſeparatim pulverantur, dein cum ſena in mortario miſcentur. Probe permiſta in charta reponuntur. Hinc caro cydoniorum in mortario diſſolvitur, adiecto ſyrupi roſarum pallidarum tantillo. Poſtea univerſus pulvis in mortarium immittitur. Sufficienti ſyrupi ad totum ſubigendum quantitate affuſa formatur maſſa, more aliarum ſervanda.

Modus parandi pilulas de agarico.

Caput XVI.

ACcipe aloës, agarici trochiſcati, cuiuſque drachmas tres; cydoniati, drachmam unam; ſcammonij, drachmas duas cum dimidia; cum ſyrupo roſarum pallidarum concinnetur maſſa.

Sena ſeorſum poſita, trochiſci de agarico, ſcammonium & aloë ſeorſum unumquodq; pulverabuntur, deinde in mortario cum ſena miſcebuntur, bene miſta in charta reponentur. Hoc facto, caro cydoniorum in mortario diſſolvetur, ſyrupi roſarum pallidarum tantillo addito: mox univerſus pulvis indetur, tantundem pariter ſyrupi affuſo, quantum ad omnia malaxanda opus erit, & ad fingendam maſſam, aliarum more aſſervandam.

Modus parandi pilulas ex tribus purgantibus.

Caput XVII.

Accipe rhabarbari, aloës, agarici trochiscati, cuiusque drachmas tres. Cum syrupo rosarum pallidarum formetur massa. Medicamenta seorsum pulverata cum pistillo in mortario commiscebuntur: deinde cum syrupo subactis, fingetur massa aliarum more apparanda & custodienda.

Modus parandi pilulas de rhabarbaro.

Caput XVIII.

Accipe rhabarbari unciam unam, cinnamomi, liquiritiæ pulveratæ, cuiusque drachmam dimidiam. Cum syrupo fiat massa.

Rhabarbaro pulverato admiscentur in mortario cinnamomum & liquiritia simul, prius cum amygdala pulverata; cumque aliquo syrupo idoneo, ex Medici præscripto, pulvis subigitur formaturque massa, cum aliis custodienda.

Pilulæ somniferæ.

Caput XIX.

Accipe myrrhę drachmas tres, thuris masculi drachmas duas cum dimidia, seminis hyoscyami, opij, cuiusque drachmas

duas; croci, castorei, cuiusque grana 54. hoc est cuiusque drachmam semissem cum gratis 18. Cum syrupo rosarum siccarum formetur massa.

Medicamenta seorsum tum pulverantur, tum servantur.

Primo thus masculum pulveratur, & per cribrum trajicitur. Sed notandum, supra dosim nonnihil adjiciendum; exempta enim dosi, residuum ad aliorum præparationem servatur.

Crocus etiam cum amygdala cultello excorticata ad impediendam dissipationem, teritur. Hinc myrrha, demum hyoscyami semen & castoreum simul contunduntur, cum iisque pulveratis reliqui omnes pulveres miscentur, mixtique in charta servantur. Opium tenuissime incisum in mortarium imponitur, colliquaturque cum syrupo qui inter conterendū sensim affunditur. Vbi liquefactum fuerit, prædicti commiscentur pulveres, sufficienti syrupi quantitate indita accurate subiguntur, massa concinnatur, servatur ad usus.

Notandum, prædictam massam seorsum loco idoneo servandam esse, ponderandamque ab ipsomet artifice dosim. Cum aliis enim repositā, posset casu ab alio quopiam sumi aliarum pilularum vice, idque cum gravi periculosoque errore, unde mors certa consequeretur.

Pilula de terebinthina sola, vel cum rhabarbaro.

Caput XX.

Accipe terebinthinæ optimæ (qualis est Veneta) unam duasve uncias, vel quantum volueris. Bulliat in aquæ libra una sex & amplius ebullitionibus, ut rite coquatur. Quod dignosces, si guttula in paropsidem gelida plenam iniecta digitisque contrectata non adhæreat, coctam esse affirmabis; quod si adhæreat, iterum coquenda erit. Vbi legitimè cocta fuerit, ab igne deponatur, atque in discum aqua frigida plenum indatur, ex qua partem effundes, alia superaffusa, ut ex aquæ frigiditate incrassetur. Hoc ubi factum, dictam terebinthinam manibus frigida madefactis accuratè tractetur, in massam cogatur, in aluta oleo communi illita more aliarum custodiatur.

Quod si rhabarbarum addere volueris, sic fiet. Ad unamquamque terebinthinæ sic præparatæ unciam, rhabarbari pulverati scrupuli quatuor exacta manuum contrectatione commisceantur, formeturque massa, aliarum instar servanda.

Modus terebinthinam potabilem efficiendi.

Caput XXI.

Accipe vini albi tenuissimi tres quatuorve uncias, cum lutei medietate. Impo-

nantur in discum supra foculum cum igne exiguo, probeque spathula vel argenteo cochleari commisceantur. Hoc facto diluatur simul terebinthinæ Venetæ uncia dimidia, donec in liquorem abeat. Tum ab igne discum deponito, ut refrigescat. Verum quia potio ista ob terebinthinam admodum insuavis est, ex uno alterove limone succus expressus, vel syrupi limonum unciæ duæ admiscebuntur.

De pulveribus & tabellis cordialibus dictis, & corroborantibus.

Caput XXII.

OPeræ pretium existimo ut præmoneam, medicamenta sequentia in pulverem redacta, ad prædictos pulveres tabellasque concinnandas, potius per setaceum tamisium contectum, quam per sericum transmittenda, quia celerius trajiciuntur, nec tantum negotij facessunt. Adde quod plus de suis viribus retinent. Alioquin ut per sericum incerniculum transmittantur, diutissima trituratione opus habent: fierique non potest, quin tanto temporis spatio plurimum de illorum virtute depereat, quamuis semina aliaque medicamenta exhalationem cohibentia simul admisceantur. Nec objiciendum est, non ita elegantes futuros pulveres illos, nec ita prompte intimas corporis venas permea-

turos. Ad primum respondeo, in Medicina bonitatem utilitatemque spectandam potius esse, quam elegantiam. Neque tamen sua gratia carent, cum tabellæ ex iis concinnatæ, proportione unius drachmæ ad uncias duas sacchari consistentia legitima cocti, elegantissimæ sint & iucundissimæ. Ad secundum respondeo, si quatuor semina quæ à pastu vorantur, sanguisque fibris refertus, angustissimas corporis venas transmeent: potiori longè ratione pulveres istos sic apparatos intima quæque facile pervasuros. Ego equidem pluris facio iusculum aliquod è carnibus succulentum, vel consummatum ritè confectum, ptisanam idoneam, aut aliud quodvis præsidium, ægrotantis naturæ familiare, morboque contrarium, cuiusmodi est vinum, succus granatorum, acidorum, limonum, ribesiorum, & similium, quam omnes huiusmodi pulveres, tabellasque ex illis conflatas. Nihilominus triplices describere libuit, quæ fere reliquarum omnium facultates complectuntur.

Pulvis trium santalorum, qui inservire potest pro pulvere Diarrhodonis Abbatis, Diamargariti frigidi & Triasantali.

Caput XXIII.

Accipe santalorum albi, rubri, citrini, ligni aloës, cuiusque drachmas duas. Seminum oxalidis, endiviæ, portulacæ, car-

dui benedicti, terræ ſigillatæ ſeu potius terræ Bleſenſis quæ æquivalet, cuiuſque drachmam unam. Fiat pulvis ex iſtis medicamentis, arte ſequenti.

In exigua fragmenta ſantala lignumque aloës incidantur, imponanturque mortario cum ſeminum parte media; ut illorum lentore tenuiorum partium exhalatio prohibeatur. Hinc ſimul terantur contundanturque. Iis ad mediocritatem contuſis, ſeminum pars reliqua adjiciatur, ſimulque teratur. Pulvis hinc conflatus, per ſetaceum opertũ trajiciatur. Quod trajici non potuerit, in mortarium rurſus mittatur, teratur, per ſetaceum tranſmittatur, donec pulveris drachmæ decem habeantur. Reſiduum ſervetur, reponaturque ad aliam pulveris compoſitionem. Quæ decem drachmæ in charta ſeparatim includantur. Poſtea terra ſigillata vel Bleſenſis, quæ terræ ſigillatæ nativæ æquipollet (terra enim illa ſigillata quæ ad nos convehitur ut plurimum adulterata eſt) in pulverem redigatur, reliquis medicamentis commiſceatur, ſervetur in vitro duplici idoneo, operculato, loco temperato ad uſus opportunos.

Tabellæ Triaſantali cum rhabarbaro.

Caput XXIV.

PRædicto pulvere Triaſantali cum rhabarbaro, ſi quis ad tabellas uti voluerit, univerſo

uniuerso pulveri rhabarbari pulverati scrupuli duo adjicientur. Si vero triplicare rhabarbarum sit animus, pro scrupulis duobus duæ drachmæ addentur, & cum sacchari optimi unciis duodecim, in aqua ad scopum accommodata soluti, ad legitimamque crassitudinem cocti, fient tabellæ, ceu aliæ custodiendæ.

Pulvis Diambræ, qui vicem pulverum Diambræ, Aromatici rosati, & trochiscorum de gallia moschata subire potest.

Caput XXV.

Accipe cinnamomi selecti, macis, santalorum albi, rubri, citrini, ligni aloës, rosarum rubrarum, cuiusque drachmam unam; ambræ, moschi, cuiusque grana duodecim. Ex iis sic fiat pulvis.

Primum santala & lignum aloës in minuta fragmenta concisa, ut minore negotio in pulverem redigantur, mortario indantur, mox cinnamomum & macis, cuius lentore aliorum exhalatio sistetur.

Notandum, si in dictorum lignorũ tritura aliqua exhalatio efferatur, guttulas aliquot aquæ rosaceæ affundendas, ut dissipatio validius cohibeatur. Vltra dimidium pulveratis rosæ rubræ siccæ adjicientur, simulque terentur, hinc per setaceum operculatum trajicientur. Ex pulvere traiecto ubi quinque sexve drachmas exemeris, in charta alba reponantur.

His peractis ambra & moschus in mortariũ marmoreum immittantur, cum una pulveris prędicti vel circiter drachma, simulque pistillo ligneo vel ferreo terantur. Probè trita commistaque, pulveris residuum sensim injicitur: permiscenturque ita omnia, ut ambræ & moschi facultatem odoremque penitus retineant. Sic apparatus pulvis vase commodo probe obturato recondetur.

Pulvis Diatragacanthi.

Caput XXVI.

Accipe gummi tragacanthæ, gummi Arabici, cuiusque drachmas tres; radicis ireos Florentiæ, liquiritiæ, seminum papaveris albi, portulacæ, oxalidis, cuiusque drachmas duas. Ex iis conflabitur pulvis hac methodo.

Exempta à gummi tragacanthæ candidiora mundioraque granula, sic in pulverem redigentur.

Primò mortario ferreo vel æreo incensi carbones immittentur, illiusque fundum ita calefiet, ut carbone cinereque ejecto manu tangi citra ustionem non possit; pistilli extremo ita etiam calefacto, ut fere candescat. Mortario pistilloque linteo mundo detersis, dictum gummi tragacanthæ injicies, linteoloque in medio perforato ad transmittendum pistillum conteges, dictumque gummi ita conteres, ut in pulverem abeat. Mox

per ſetaceum trajicitur. Quod tranſmeare non potuit, mortario rurſus indatur, denuo pulveretur, trajiciatur.

Quod ſi dictum gummi viſcoſius etiamnum videatur, ita ut commodè in pulverem redigi nequeat, mortarij fundum piſtillique extremum rurſus ad illius trituram calefiant. Ex eo contrito drachmæ duæ per ſetaceum tranſmiſſæ in charta ſeponantur, reſiduo in aliam occaſionem reſervato.

Gummi Arabicum eodem modo pulverabitur, drachmæque duæ per cribrum traiectæ eximentur, reſiduo etiam reſervato.

Notandum primò, mortarium piſtillumque ad utrumque gummi terendum eſſe calefacienda: quia cum ſint admodum humida, pulverari nequirent, ſi mortarij piſtillique calore intenſo ſumma illa humiditas non abſorberetur.

Notandum ſecundò, linteo in medio perforato mortarium contegi, ad intromittendum piſtillum, quia inter terendum granula, potiſſimum ex tragacantho, extra mortarium proſilirent.

Notandum tertiò, pro ſingulorum dictorum medicamentorum drachmis duabus, tres eſſe ponendas, ut duæ ſaltem ſuperſint, prout ſæpius dictum; quia inter terendum trajiciendumque per ſetaceum, nonnihil ex illis exhalat.

Gummis ſic pulveratis ſepoſitiſque, ſimul in mortario conterantur radix ireos

Florentiæ, liquiritia ſicca raſa, contuſa, in fruſtula ſuper quadra lignea cultello calceolarij conciſa; media pars ſeminum, ut pariter conterantur. Vbi mediocriter pulverata erunt, partem reliquã ſeminum adjicies, contereſque. Hinc omnia per ſetaceũ operculatum trajicies. Quod trajici non potuerit, rurſus mortario indatur ad ulteriorem pulverationem, & traiectionem, ut toties dictum; donec pulveris unciam unam extraxeris.

Hoc facto prędicta pulveris uncia in pilam mittetur, cum gummi tragacanthi & Arabici pulveribus: eoſque piſtillo commiſcebis, vaſeque idoneo ad uſus repones.

Notandum denique, in pulveribus eiuſmodi conflandis de induſtria uniones ſeu perlas, fragmenta lapidum pretioſorum foliaque auri à nobis eſſe prætermiſſa, quia pretium duntaxat & ſumptum, non virtutem augent.

Pulvis glycyrrhizæ.

Caput XXVII.

QVoniam in facienda Medicina frequentiſſimus uſus eſt pulveris glycyrrhizæ, ſic eius deſcriptionem attingere non pigebit.

Accipe glycyrrhizæ ſiccæ uncias duas, ſeu quantum volueris. Mundetur, radatur, minutim cultro calceolarij ex quadra lignea concidatur, in pila ærea vel ferrea teratur,

trajiciatur per ſetaceum, prout de aliis eſt declaratum.

Sic traiectus pulvis vaſe vitreo exiguo includetur, reponeturque cum alijs.

Modus parandi tabellas ex prædictis pulveribus cordialibus.

Caput XXVIII.

SOlvuntur, exempli gratia, pręſcriptorum pulverum drachmæ duæ cum ſacchari cocti unciis quatuor, prout *cap. 16. tractat. 1.* indicatum eſt, methodo ſequenti.

Saccharum in aquæ roſaceæ vel alterius cordialis unciis duabus in ſartagine minori ex ære rubro, ad dictam conſiſtentiam coctum, ab igne auferetur, ferreaque ſpathula tandiu agitabitur, donec modice refrigeratum fuerit. Pulveres enim calenti ſaccharo immiſti adurerentur. Inſpergendi autem exquiſiteque permiſcendi ſunt cum ſaccharo cocto, quod velut in paſtam coëat, hinc in chartam albam effundatur vel in marmor oleo amygdalarum dulcium illitum, vel amygdala cultello excorticata affrictum, ut *cap. 9. huius tractat.* eſt dictum, ubi de Tabellis ex Mechoacan. Poſtquam in exiguos rhombos drachmarum duarum pondo diviſeris, in pyxide loco ſicco aſſerventur.

Admonitio circa confectiones de Hyacintho, Alkermes, & Theriacam.

CAPVT XXIX.

QVod spectat ad confectiones de Hyacintho & Alkermes, iusto satis pretio ab institoribus Monspelienſibus comparabuntur. Theriacam vero Venetam præ aliis tibi procurabis. Venetiis enim solenniter pręparatur coram Reipublicæ Optimatibus, assistentibus Medicis, spectante plebe. Adde quod non est immodici pretij. Ea tamen, quamuis ex sese prestanti, citra periti Medici consilium nunquam utendum, propter varia pericula, quæ illius usum consequi possunt.

TRACTATVS QVARTVS.

Modi varij parandi oleum rosatum.

CAPVT I.

PRimus *modus*. Accipe rosarum rubrarum nondum perfecte explicatarum libram unam. Terantur in pila marmorea cum pistillo ligneo. Mittantur in hydriam fictilem vitratam. Affunde olei communis libras quatuor. Spathula lignea versentur, com-

miſceantur, charta ſimplici tegantur, uno alterove menſe inſolentur, vel in camini angulo reponantur, ſubinde ſpathula agitentur. Hinc in uſum oleum adhibetur, remanentibus etiamnum roſis. Vel tempore illo exacto, omnia in cacabum conjiciantur, leviterque feruefiant. Deinde oleum ex tela fortiore in torculari inter duos exiguos aſſeres trajicitur exprimiturque. Refrigeratum in eadem hydria aut vaſe alio idoneo ad uſus opportunos cuſtoditur.

Secundus. Conteratur in mortario marmoreo roſarum rubrarum non adhuc explicatarum libra dimidia, roſarum pallidarum tantundem. Hinc in hydriam mittantur, iis quatuor olei communis libræ affundantur, ſpathula verſentur. Hydria charta operta cineribus calidis applicetur per ſemihoram & amplius. Inſolentur poſtea ſex vel ſeptem dies, vel in camini angulo collocentur, ſpathula lignea interdum agitentur. Elapſo illo tempore dicta infuſio in cacabum effundetur, unaque aut altera ebullitione feruefiet. Dein ex tela fortiore colabitur, exprimeturque per torcular.

Hæc interea peragendo, roſarum rubrarum & pallidarum recentium parem quantitatem in dictam hydriam immittito, oleumque prædictum colatum & expreſſum deſuper affundito, cineribus calidis imponito, deinde illud vel inſolato, vel in camini angulo per temporis iam ante dicti ſpatium

collocato. Postea in cacabum effunditur, leviter feruefit, colatur, ex prælo exprimitur, ut dictum.

Interea tertiò tantundem rosarum in hydriam injicitur, eademque methodo procedditur.

Vltima infusio in lebetem aut in diploma ad ebulliendum conjicitur, ut omnis fere humiditas absorbeatur, quod ex signis *cap.* 32. *& 33. tract.* 1. propositis intelliges. Hoc existente, omnia colantur ex telaque fortiore per torcular exprimuntur, oleumque colatum, expressum, refrigeratum cum aliis custoditur.

Tertius. Tres pariter fiunt infusiones, eo quo præcedens modo, sed ex rosis duntaxat pallidis, libra scilicet una ex illis recentibus contusis, in olei communis libris 4. infusa.

Quartus. Primò rosæ tum rubræ, tum pallidæ integræ, flores scilicet & peculum in pila marmorea contunduntur, dein tres celebrantur infusiones cum olei communis quadruplo, ut dictum.

Oleum violatum.

Caput II.

NOn nisi ex una paratur infusione, ad instar olei rosati, ex rosis rubeis integris compositi, ut capite patuit præcedenti.

Notandum, florem cum parte herbacea simul macerari, abiecto tantummodo pedi-

culo; libram videlicet unam florum recentium contusorum in libris quatuor olei.

Oleum nenupharinum.

CAPVT III.

EX florum alborum nymphææ seu nenupharis libra una duæ fiunt infusiones, ut antè demonstratum est.

Oleum chamæmelinum.

CAPVT IV.

EOdem modo ex summitatibus chamæmeli tenerioribus, hoc est ex floribus recentibus, foliis, surculo tantillo (hoc est duos digitos ultra folia) in pila contusis duæ fiunt infusiones cum olei communis quadruplo.

Oleum liliaceum.

CAPVT V.

EX lilio flores duntaxat candidi, detracto luteo intus existente, sumuntur, fiuntque duæ infusiones, ut ante dictum est.

Oleum hypericinum.

CAPVT VI.

OLeum hoc eodem quo chamæmelinum modo paratur, carptis scilicet hyperici summitatibus, hoc est floribus recentibus, foliis & surculo tantillo, contusis & maceratis.

Oleum anethinum, rutaceum, sampſucinum, de abſinthio pontico.

Caput VII.

HÆc olea parantur ex ſuarum herbarum ſummitatibus recentibus contuſis, ut præcedentia.

In confectione olei de abſinthio multi abſinthium ponticum exile præferunt, quia maiori adſtrictione pollet.

Oleum maſtichinum.

Caput VIII.

ACcipe maſtiches uncias tres. Terantur in mortario, bulliant in lebete cum olei roſati unciis duodecim, & vini rubri optimi unciis ſex fere ad vini conſumptionem. Coletur, ex tela fortiore exprimatur, ſervetur cum aliis.

Oleum cydoniorum.

Accipe libram unam cydoniorum acerborum, comminutorum prout *cap.* 15. *tractat.* 1. eſt inſinuatum; olei communis libram unam cum ſemiſſe. Mittantur in hydriam non ita plenam, quin tribus quatuorve digitis vacua in ſummo relinquatur. Contegatur, inſoletur, vel in camini angulo per octo vel decem dies collocetur. Iis elapſis dicta infuſio in balneo Mariæ excoquetur, dum pene ſuccus ſit exhauſtus; quod ex ſignis *cap.* 32. *tract.* 1. expreſſis conſpicuum erit. Deinde coletur, ex tela craſſiore exprimatur, expreſſum in dictã

hydriam cum cydoniorum item extritorum pari quantitate indatur. Vbi postquam tantundem temporis maceratum fuerit, in balneo Mariæ (ut dictum) percoquetur, colabitur, ex tela fortiori exprimetur.

Oleum myrtinum.

Oleum myrtinum ex myrti foliis viridibus paratur, eodem plane modo quo oleum nenupharinum.

Oleum myrtillorum.

Accipe baccarum myrti recentium si sint ad manum; sin minus, siccarum in mortario contusarum uncias quatuor; vini albi austeri libram dimidiã, olei communis libram unam. Bulliant uno alterove fervore in lebete, hinc in hydriam fictilem probe contegendam immittantur, octiduum in camini angulo macerentur. His elapsis dicta infusio in lebetem infundatur, leviter bulliat, coletur, ex tela crassiuscula exprimatur. Expressum denuo cum eadem myrtillorum contusorum quantitate in hydria alios octo dies infundito, ijsq; exactis infusionem prædictã in lebetem immissam coquito, ut *cap.* 32. *tract.* 1. dictum. Colata item expressaq; cum aliis servabitur.

Oleum de cappa ribus.

CAPVT IX.

ACcipe corticis radicum capparum, unciam unam; corticis medianæ tamariſci, cyperi, seminis agni casti, ceterach, cuius-

que drachmas duas; foliorum rutæ drachmam unam; vini optimi & aceti generosi, cuiusque uncias duas; cum unciis 12. olei communis, fiat oleum sequenti methodo.

Cyperus in frustula incisus in mortario ferreo vel æreo teritur. Mediocriter trito cortices capparum & tamarisci, cum seminibus agni casti, & sub finem ceterach & ruta adjiciuntur.

Omnia probè trita in hydriam mittuntur, desuper affunditur vinum, acetum & oleum, quindecim dies insolantur, vase charta simplici contecto: subinde spathula agitantur. Postea dicta infusio in lebetem effundatur, bulliatque fere ad vini & aceti consumptionem; quod ex indicio *cap. 32. tractat. 1.* proposito dignoscetur. Demum omnia trajicientur, ex tela fortiori exprimentur, oleumque colatum & expressum in vas idoneum immittetur.

Oleum de castoreo.

Caput X.

Accipe castorei sicci tenuissime pulverati unciam unam; aquæ vitæ seu vini generosi uncias duas; olei communis uncias duodecim. Bulliant omnia in diplomate usque ad tertiæ vel dimidiæ partis aquæ vitæ seu vini consumptionem.

Notandum, castoreum, ob substantiæ tenuitatem, longam non ferre coctionem.

Prædictum oleum colatum pannoque stamineo vel lineo expressum in vase commodo bene clauso cum aliis asservatur.

Oleum lumbricorum.

Caput XI.

Accipe lumbricorum terrestrium libram dimidiam. Probe primum aqua, deinde vino albo eluantur; in vas fictile indantur, alio vino albo superfuso. Stent 12. horas in angulo camini, ut limum quo nutriuntur deponant. Hinc vinum abjiciatur, lumbrici septem vel octo dies in camini angulo, vel in sole cum olei communis libra una, & vini rubelli generosi unciis quatuor infundantur. Deinde igne lento in diplomate fere ad vini consumptionem bulliant; hinc ex linteo trajiciantur, manibus duntaxat exprimantur, vasique idoneo committantur.

Oleum amygdalinum dulce & amarum.

Caput XII.

Accipe amygdalarum dulcium non rancidarum quantitatem sufficientem. Tundantur fortiter in mortario marmoreo pistillo ligneo, dum lævigentur, peneque in pastam abeant, ex telaque fortiori seu setacea, per torcular inter duos asserculos molliter, citra vim, exprimantur.

Extracto quantum licuit, magma seu residentia in sartaginem supra ignem mediocrem imponitur, probe spathula lignea agitatur, irrigaturque pauca aqua, ne torrefiat: qua absumpta, ex dicta residentia adhuc calente telaque inclusa per torcular exprimitur oleum, quod seorsum servari debet ad unguenta & emplastra, ubi calor suspectus non est.

Modus alter præstantior oleum ex amygdalis dulcibus extrahendi.

Accipe amygdalarum dulcium libram unam. Tundantur primùm cum aqua tepida, dein accuratissime in mortario marmoreo cum pistillo ligneo donec in pastam abeant, quæ in tela laxiore inclusa ex prælo molliter citra conatum exprimatur. Huiusmodi oleum præcedenti longè præstantius est.

Ex unaquaque amygdalarum libra olei unciæ duæ vel tres extrahuntur. Ex magmate vero manibus comminuto præparatoque prout dictum est, ex telaque rariore, per torcular compresso, duæ aliæ unciæ eliciuntur, ad unguenta & emplastra adhibendæ.

Oleum amygdalarum amararum eodem extrahitur modo.

DE VNGVENTIS.

Modus parandi unguentum Basilicon.

CAPVT XIII.

ACcipe picis navalis seu nigræ, resinæ bonæ, ceræ flavæ, cuiusque uncias sex.

Olei olivarum libram unam cum semisse. Fiat unguentum.

Cera in frustula conciditur; pix & resina in tenuissima item fragmenta conquassantur, simulque in lebete ad unguenta & emplastra destinato colliquantur. Omnia liquefacta ex linteo mundo crassiore percolata loco temperato in vase fictili vel stanneo servantur.

Vnguentum aureum.

CAPVT XIV.

ACcipe olei communis unciias triginta, ceræ flavæ uncias sex, terebinthinæ claræ uncias duas, resinæ, colophoniæ, cuiusque unciam unam cum semisse; thuris, mastiches, cuiusque unciam unam; croci drachmam unam. Fiat unguentum methodo sequenti.

Primò thus & mastiche pulverantur, seorsumque per setaceum tum trajiciuntur, tum seponuntur. (Notandum dosim thuris & mastiches paulo largiorem esse debere, ut post traiectionem per setaceum, optata dosis suppetat, residuo si supersit servato.)

Deinde cera in frustula conciditur, resina & colophonia tenuissime supra membranam pergamenam vel telam cum pistillo ferreo teruntur, simulque cum oleo in lebete liquantur.

Liquefacta ab igne amoventur, statimque

terebinthina immiſcetur, omnia continuò ſpathula ferrea verſantur, donec omnino refrixerint. Tum maſtiche cum thure injiciuntur, probeque dicta ſpathula commiſcentur; demum crocus exſiccatus leniterque pulveratus ad colorem flavum vel aureum unguento conciliandum, quod vaſe idoneo ad uſus ſervatur.

Unguentum Ægyptiacum.

Caput XV.

Accipe mellis communis uncias ſeptem, aceti generoſi uncias tres cum dimidia, æruginis uncias duas cum dimidia. Fiat unguentum arte ſequenti.

Imprimis pluſculum æruginis ſupra doſim adjicitur, in mortario æreo pulveratur (inter terendum autem os & naſus linteolo obturanda ſunt) per ſetaceum trajicitur. Iuſta doſi ponderata ſepoſitaque, reſiduum ſervabitur.

Hoc facto in ſartagine mediocri ex ære rubro mel & acetum leviter ferveſiunt, adiecta protinus ærugine pulverata: ſimul percoquuntur, leniter ſpathula ferrea omnia agitantur, donec unguenti craſſitudinem nanciſcantur, mediam ſcilicet inter unguentum molle & durum, ut turundæ eo facilius illinantur. Quod intelliges, ſi aliquantulum in quadram vel marmor ex ſpathula effundas, refrigerarique ſinas. Tum ab igne auferes & recondes.

Notandum,

Notandum, postquam æruginem in mortario contriveris, perque cribrum transmiseris, aqua calida mortarium cum pistillo, cribrumque esse abluenda, pannumque lineum, qui pro tamisio in setaceo ad æruginem trajiciendam adhibitus est, projiciendum esse.

Vnguentum mundificativum ex apio.

CAPVT XVI.

VNguentum hoc in officinis non prostat, quia quovis tempore parari potest, ex Medici & Chirurgi consilio: qui adjiciunt quæ parti affectæ, ulceri & tempori expedire arbitrantur.

Vnguentum album Rhasis.

CAPVT XVII.

ACcipe ceræ candidæ uncias tres, cerussæ lotæ uncias sex, olei rosati uncias duodecim, albumina ovorum tria, camphoræ drachmam unam. Fiat unguentum hac methodo.

Cerussa lota siccataque, rursusque in mortario marmoreo pistillo ligneo pulverata, seorsum servatur. Deinde cera in frustula diuisa cum oleo rosato in vase fictili vitrato vel stanneo, non autem æreo liquatur. Liquatâ vas ab igne removetur, spathulaque vel pistillo ligneo probè agitantur dum mo-

dicè refrixerint. Quod intelligetur, cum incrassescent aut spathulæ adhærere incipient: statim cerussam admiscebis, eam accuratissime quoad fieri potest incorporando.

Ferè refrigerata mixtura, camphora pulverata permiscebitur, demum ovorum albumina. Sicque confectum unguentum ad usus servabitur.

Vnguentum desiccativum rubrum.

CAPVT XVIII.

ACcipe olei rosati uncias duodecim, ceræ albæ uncias quinque, lapidis calaminaris, boli armenæ, cuiusque uncias quatuor; lithargyri auri præparati, cerussæ, cuiusque uncias tres; camphoræ drachmam unam. Fiat unguentum hac methodo.

Lithargyrum & bolus armena seorsum pulverata, seorsum etiam per cribrum cernentur. Cerussa quoque seorsum & pulveratur, & seponitur, ut & camphora. Isti omnes pulveres, præterquam caphuræ, simul mortario induntur, & postea seorsum servantur. Hoc facto, igne modico cera alba in frustula concisa in cacabo cum oleo rosato liquatur. Liquata ab igne aufertur, spathulaque lignea rite agitatur. Mediocriter refrigerata dicti pulveres accuratè commiscentur. Sub finem vero ubi omnia penè refrixerint, admiscetur camphora. Vnguentum sic conflatum ad usus cum aliis asservatur.

Vnguentum pompholygos.

CAPVT XIX.

ACcipe olei rosati uncias viginti, succi solani uncias octo, ceræ albæ uncias quinque, cerussæ lotę uncias quatuor, plumbi loti & usti (verum non lotum tenuissimé-que pulveratum præstantius est, prout *cap.* 38. *&* 39. *tractat.* 1. est ostensum) tuthiæ præparatæ, cuiusque uncias duas; thuris unciam unam. Fiat unguentum arte sequenti.

Plumbi pulverati dosis præscripta ponderabitur.

Tuthia præparata rursus molliter in mortario lævigabitur, seorsumque servabitur. Demum cerussa lota & siccata, cum eaque reliqui pulveres leniter cum pistillo in mortario permiscebuntur. Thus etiam pulverabitur, trajicietur per cribrum, ponderabitur, seponetur.

Hoc facto, solani succus cum oleo rosato coquitur ad succi fere consumptionem. Id vero dignoscetur ex indiciis *cap.* 30. *tractat.* 1. expositis. Tum ab igne amovebuntur, per crassius linteum trajicientur, rursus in cacabum prius mundatum imponentur, simulque cera in frustula concisa liquabitur. Liquata vero cacabus ab igne deponetur, omnia spathula dum refrixerint versabuntur, quod innotescet signis expressis in descriptione unguenti albi Rhasis. Tum-

que pulveres adjicientur, illos continuò ſpathula agitando. Cum fere refrigerata fuerint, thus accuratè commiſcebitur. Sicque conflatũ unguentum cum aliis cuſtodietur.

Vnguentum populeum.

Caput XX.

Accipe ſeminum populi nigræ uncias novem, axungiæ ſuillæ uncias octodecim, aceti generoſi, aquæ roſaceæ, cuiuſque uncias ſex; foliorum hyoſcyami, ſolani, ſempervivi, cuiuſque uncias quatuor; lactucæ uncias tres. Fiat unguentum hac methodo.

Menſe Martio dicta populi germina decerpta, ſolitaria in pila marmorea cum piſtillo ligneo contunduntur. Exactè contuſis additur axungia ſuilla recens membranis purgata, lotaque. Poſt longam contuſionem agitationemque in vaſe fictili vitrato uſque ad menſem Iunium ſeponuntur. Tum prædictæ herbæ recens collectæ & mundatæ minutim inciduntur, ſingulas in pila marmorea cum piſtillo ligneo ſeorſum contundendo. Contuſæ omnes cum axungia & germinibus commiſcebuntur, adiectis aceto & aqua roſacea.

Operiantur charta, macerentur in ſole per octiduum, interdum ſpathula lignea verſentur. Iis exactis, omnia in cacabum effundes, percoqueſque ad abſolutam liquo-

ris consumptionem. Quod intelliges, si guttula marmori effusa, refrigerata non diffluat. Tum ab igne deponito, colato & ex tela fortiore per torcular exprimito. Si forsan expressio liquidior æquo fuerit, denuo in cacabo coquatur, dum unguenti consistentiam obtinuerit, quod ex dicto indicio manifestum euadet. Refrigeratum unguentum vase commodo ad usus servabitur.

Vnguentum rosatum Mesuei.

Caput XXI.

Accipe axungiæ suillæ lotæ (prout *cap.* 35. *tractat.* 1. declaratum est) uncias octodecim. Rosarum rubearum recentium tantundem. Tundantur rosæ in pila marmorea cum ligneo pistillo, iisque contusis axungia suilla diuturna agitatione commisceatur. Hoc facto in vas fictile vitratum oris angustioris immittantur. Vas charta contectum per hebdomadam ad solem exponetur, vel per triduum cineribus calidis applicabitur. Hoc tempore exacto vas igni imponetur, ut uno alterove fervore bulliat. Deinde omnia calentia per linteum mundum & crassum transmittentur, exprimenturque per torcular, magmate proiecto.

Interea aliæ rosæ rubeæ recentes pariter contusæ in prædictum vas figlinum indentur, axungiam expressam adjiciendo, spathulaque lignea commiscendo. Deinde vas

probe obtritatum denuo insolabitur, vel cineribus calidis tantundem temporis imponetur, dein una aut altera ebullitione ad ignem effervescet, colabitur, exprimetur ut dictum.

Hoc facto colatura & expressio in cacabum imponuntur, cum iisque succi rosarum rubearum depurati unciæ novem, olei amygdalarum dulcium unciæ tres admiscentur: leniterque omnia supra fornacem, fere ad humiditatis rosarum illarumque succi consumptionem, coquuntur: quia satius est ut una alterave uncia succi supersit, quam si ita exhauriantur, ut axungia atque oleum calorem, rosarum frigiditati contrarium, acquirant.

Sed ut libere promam quod sentio, æquè æstimo ceratum Galeni, descriptum in opusculo nostro, cui titulus est *Medicus officiosus & domesticus*, ac unguentum istud rosatum modo pluries tum aqua limpida & frigida, tum aqua rosacea lotum fuerit. Facile enim & quovis tempore, exigua aut maiore quantitate, modico æris temporisque dispendio parari potest, nec viribus unguento rosato inferius est.

Vnguentum stypticum seu astringens, quod unguento comitissæ substitui potest.

Caput XXII.

Accipe nucum cupressi, gallarum, baccarum myrti, corticis mali punici, vul-

go malicorij, cuiusque unciam unam cum drachmis duabus, olei rosati uncias sex, cerę albę uncias duas. Fiat unguentũ ex arte.

Nucibus cupressi in mortario conquassatis adjiciuntur gallæ, dein myrti baccæ & malicorium. Pulverata omnia per setaceum trajiciuntur, ita ut unciæ quatuor cum dimidia eximantur, quæ charta includantur, residuo ad aliam præparationem servato. Postea in cacabo vel sartagine mediocri ex ære rubro cera in frustula divisa cum oleo liquabitur. Liquata ab igne auferetur, modiceque refrigeratæ pulvis commiscebitur, continuò spathula omnia agitando, donec refrixerint. Sicque apparatum unguentum cum aliis servabitur.

DE EMPLASTRIS.

Modus parandi emplastrum Diachylon album.

Caput XXIII.

ACcipe olei communis uncias triginta sex. Lithargyri auri præparati uncias octodecim; radicum althææ mundatarum, seminis lini, cuiusque libram unam; seminis fœnugræci uncias duodecim. Fiat emplastrum methodo sequenti.

Ad expeditè hoc emplastrum parandum candidiusque efficiendum, aër lucidus persæpicuusque eligendus est, radicesque althææ exquisitè mundandę abluendęque, filamentis eas ambientibus meditullioque ligneo

detractis. Quarum radicum sic mundatarum libram unam assumes, & in frustula concides. Hinc lini & fœnugræci semina munda-ta cum prędictis radicibus in mortario con-tundes.

Deinde omnia in figlinum mittentur (a-quæ ferventis sufficienti quantitate desuper affusa spathulaque lignea agitabuntur. Vas linteo contegatur, stetque in camini angulo per 24. horas. Quibus exactis una aut altera ebullitione fervefiant, fiatque colatura & expressio ex tela fortiore; extrahunturque mucaginum libræ duæ cum unciis quatuor: quarum una portio ab initio coqueturcum oleo lithargyroque præparatis (ut *cap. 37. tract.* 1. insinuatum est) in cacabo amplissimo ex igne mediocri: continuoque omnia spa-thula lignea latiore agitabuntur, alioquin lithargyrus suopte pondere fundum pete-ret, ac torrefieret, nec cum oleo nutriretur ut decet. Parte prædicta mucilaginum fere consumpta (quod evidens erit, si inter fer-vendum paucas excitent bullas) illarum re-siduum desuper affundetur, sensimque con-sumi permittetur. Indicium perfectæ coctio-nis *ex cap.* 34. *tract.* 1. petendum. Eam ubi emplastrum assequutum fuerit, ab igne de-ponetur, modicéque refrigeratum, manibus aqua frigida madefactis, fingentur magda-liæ charta involuendæ, ac loco tempera-to servandæ.

Emplastrum Diachalciteos.

Caput XXIV.

Accipe vitrioli Romani uncias quatuor, axungię suillę veteris libram unam cũ dimidia, lithargyri auri præparati, olei veteris, cuiusque uncias triginta sex. Fiat emplastrũ.

Lithargyrum præparatum nutrietur, coquetur igne lento cum oleo & axungia, continuo lignea spathula agitabitur; ubi emplastrum exactè coctum erit vitriolo pręparato, ut *cap.* 41. *tract.* 1. ostensum est, pulveratoque commisto. Emplastro utcunque refrigerato, magdaliæ concinnabuntur, aptandæ custodiendæque more præcedentium.

Emplastrum divinum.

Caput XXV.

Accipe lithargyri, olei communis, cuiusque uncias octodecim, ceræ flavæ uncias octo, magnetis uncias quatuor, ammoniaci uncias tres cum drachmis tribus, bdellij uncias duas, galbani, myrrhę, cuiusque unciam unam cum drachmis duabus; thuris unciam unam cum drachma una, mastiches, opopanacis, aristolochiæ longæ, æruginis, cuiusque unciã unã. Fiat emplastrum modo sequenti.

Primò macerantur gummi, ammoniacum videlicet, bdellium, galbanum, opopanax in quantitate sufficienti aceti, ita ut acetum su-

pernatet; per 24. horas, vel donec prædicta gummata soluta fuerint, idque super cineres calidos. Deinde exlinteo colata expressaque super foculum coquantur, ea cum spathula ad humiditatis consumptionem agitando, quod intuenti conspicuum est, ubi scilicet dicta gummata incrassata sunt, ad melliſque crassitiem redacta.

Dum prædicta infusio solutioque celebratur, lithargyrum præparatum ponderatur separaturque in charta.

Deinde medicamenta sequentia pulverantur, singulaque seorsum transmittuntur, magnes videlicet, myrrha, thus, mastiche, aristolochia, ærugo, per setaceum traiecta. Hoc præstito, lithargyrum continuò cum oleo in cacabo agitabitur cum spathula lignea, dein igne lento coquetur, sine intermissione movendo ne torreatur. Post cera alba minutim concisa adjicietur. Liquata cera, depositoque ab igne cacabo, gummata admiscebuntur, hinc paulo post pulveres aristolochiæ, magnetis, myrrhæ, mastiches, thuris, & denique ærugo. Omnia pene refrigerata in magdalias effingentur.

Emplastrum de ianua.

Caput XXVI.

Accipe succi betonicæ, plantaginis, apij, cuiusque uncias duodecim; cere flavę, picis navalis, resinæ, terebinthinæ, cuiusque

uncias sex. Fiat emplastrum ex arte.

Mittantur in cacabum succi & cera flava in frustula comminuta, resina, pix nigra conquassatę. Coquantur ad succorum consumptionem. Quod manifestum erit, si aliquantulum ex fundo cum spathula extrahendo in ignemque projiciendo, exiguum excitet strepitum. Vel si tantillum in marmor vel corpus aliquod politum effusum refrigeratumque, facile sustollatur, extensumque in vola manus minime adhæreat. Tum addenda terebinthina, probe cum spathula agitanda, quæ leviter uno alterove fervore bulliat. Deposito demum abigne cacabo refrigeratoque fingentur magdaliæ.

Modus parandi telam Gualteri.

Caput XXVII.

Accipę olei olivarum libram dimidiam, ceræ flavæ odoratæ uncias quatuor, lithargyri argenti præparati uncias quatuor. Sic concinnetur.

Cera minutim concisa in cacabo cum oleo simul liquabitur. Liquata lithargyrum præparatum admiscebitur, calefietque citra ebullitionem igne mediocri. Omnia, maxime lithargyrum, quod in fundum facile prę-cipitatur sine intermissione spathula ferrea agitentur, ut cum oleo & cera perfectè uniantur. Quod intra semihoram, vel tres horæ quadrantes absolvi poterit. Deinde au-

gebitur ignis ut omnia bulliant, quæ picis instar nigrescent, coquenturque ad emplastri crassitiem, ut *cap. 34. de medicamentorum præparatione*, est demonstratum. Auferatur abigne.

In eo modicè refrigerato lintea sicca detrita immergantur, hinc super mantile aqua frigida madefactum tabulæque impositum extendantur, poliantur utrinque cum vitro aut rudicula cylindrica crassiore, aqua pariter madefacta; dein commodo loco abigne remoto ad usus serventur.

Modus emplastrum in unguentum redigendi.

Accipe emplastri cuiusvis uncias duas. Concidatur in exilia fragmenta, mittaturque in paropsidem cum olei cuiuslibet uncia una super foculum cum igne exiguo. Prædictum emplastrum liquescet abibitque in unguentum. Sic dissoluitur emplastrum diachalciteos cum oleo rosato, & sic de aliis, à quibus describendis supersedeo, tum ne tædio sim; tum quia Autores de iis videri facile possunt.

DE AQVARVM DESTILLATIONE.

Caput XXVIII.

Simplicium ex quibus aquæ eliciuntur destillatio multis modis celebratur. Inter quas, duas duntaxat usitatas facilesque describam. Prima refrigeratorio ex ære rubro & balneo Mariæ administratur. Quæ enim

plumbeo alembico perficitur, non est laudanda. Destillatio igitur seu extractio aquarum ex simplicibus, quæ refrigeratorij ope eliciuntur, duobus celebratur modis.

Primò succus herbarum elicitur, ut *cap.* 4. *tract.* 1. est indicatum. Sufficienti quantitate extracta, mittuntur in situlã seu vas aquariũ, quinque sexve digitis tantũ non repletum; citra tamen ullam depurationem. Deinde fornaci cum igne mediocri imponũtur, cacabusque superpositus aqua frigida impletur, ad refrigerandum condensandumque ebullitionis vaporem, qui è rostro destillat. Vbi autem duas tertias succi destillandi extraxeris, conquiescet, residuumque in situla contentum abjicies.

Secundò, quia nonnulla simplicia non admodum humida in mortario tunduntur, in ampliſſimasque hydrias fictiles vitratas vel stanneas induntur, affusa aquæ calentis aut alterius liquoris ponderati sufficienti quantitate, ut ibi biduum vel triduum macerentur. Quibus exactis universa infusio in dictum refrigeratorium effunditur, ut ostensum est; extrahunturque duæ partes aquæ immissæ, aliaque, si lubet, aqua affunditur.

Nota, quum aqua quæ in cacabo est subdito, calet, ex canaliculo qui refrigeratorij rostro appositus est, eam esse vacuandam, novamque frigidam infundendam.

Aqua rosacea arte sequenti prolicitur.

Situla vel aliud vas idoneum ad duas ter-

tias rosis pallidis recentibus est implendum; affundendaque aquæ calentis sufficiens quantitas, ita ut rosæ sex vel septem horas in ea macerentur, destillenturque, ut est demonstratum. Vbi autem duas tertias extraxeris, ut & aquam quam mensus antè fueris: refrigeratorium ab igne depones, transmittes, exprimes ex torculari quod in situlâ continetur. Interea tantundem rosarum recentium rursus injicietur, desuper affundendo prædictam colaturam & expressionem mensuratam, pariterque calentis aquæ quantitatem sufficientem, procedendo ut dictum. Sicque prodibit aqua rosacea elegantissima & fragrantissima, quæ charta contecta mensem integrum insolabitur, hinc bene obturata loco temperato servabitur.

Alter destillandi modus balneo Mariæ vel diplomate instituitur.

Extracti herbarum succi citra depurationem alembicis vitreis aut fictilibus vitratis, cum capitellis vitreis induntur, fitque destillatio ad aquæ ferventis vaporationem. Etiamsi ex præceptis hic descriptis destillationis modi satis conspicui sint, operæ pretium nihilo secius erit artifices opus exercentes observare, cum facilius expeditiusque ex inspectione, quam ex lectione ars isthæc ingeniosa operosaque perdiscatur.

Nota, aquas sic destillatas in fictilibus lagenis mundissimis, charta simplici contectis integrum mensem insolandas; dein accura-

tè obturandas, & loco temperato ſervandas. Hyeme dictæ aquæ in cella vinaria reponendæ, ne congelentur.

De aqua theriacali.

Caput XXIX.

PRo aquis theriacalibus ex variis materiebus immodicique pretij ab Autoribus deſcriptis, theriacam aliquam optimam (qualis eſt Veneta) prætulerim, diſſolutam, ſi febris abſit, vel in aqua ſcabioſæ, cardui benedicti, & id genus aliis: vel ſi adſit febris, in aqua oxalidis, nenupharis, portulacæ, aut communi, modico limonum ſucco diluta.

Modus parandi aquam cinnamomi.

Caput XXX.

ACcipe cinnamomi ſelecti libram unam. Conquaſſetur macereturque 24. horas in vaſe vitreo, cum aquæ roſaceæ optimæ libris quatuor, & vini albi libra dimidia, ſuper cineres calidos, vel in loco calido, vaſe bene obturato. Dein omnia in alembicum vitreum conjiciantur, ut in balneo Mariæ deſtillentur. Prædicta aqua in lagena ex vitro denſiore probe clauſa loco idoneo ſervabitur.

Alia aqua ex cinnamomo.

Caput XXXI.

CAſu urgente pro aqua ex cinnamomo, cinnamomi optimi unciam dimidiam

vel drachmas ſex aſſumes, in pila conquaſſabis, in aquę communis libra una ad medietatis conſumptionem coques, colabis ad uſus opportunos.

Modus parandi vinum Hippocraticum eximium.

Caput XXXII.

Accipe ſacchari optimi libram unam, cinnamomi ſelecti unciam unam, zingiberis drachmas duas. Cum vini albi aut rubelli generoſi libris tribus, ſic conficietur Hippocraticum nectar.

Saccharum minutim conciſum, cinnamomum & zingiber ſeorſum in mortario conquaſſata, in vas ſtanneum vel figlinum ſimul conjiciuntur, mox vinum affunditur: commiſcenturque omnia cum cochleari vel ſpathula. Hoc facto, dictum vas rite contegitur, reponiturque in camini angulo per noctem. Poſtero die mane quinquies ſexieſve per manicam trajicitur.

Nota, ſi limpidiſſimum Hippocraticum liquorem expetas, antequam ex manica percoletur, in eum lactis cochlear unum eſſe injiciendum.

Modus alter dictum nectar parandi.

Caput XXXIII.

Accipe vini generoſi libras duas, ſacchari optimi libram ſemiſſem, cinnamomi conquaſſati

conquassati unciam unam, unciam dimidiam, drachmas duas, ex peculiari eorum, pro quibus paratur, gustu. Omnia per noctē macerentur in camini angulo in vase fictili aut stanneo, linteo duplici obstructo. Postridie per manicam quinquies sexiesve trajiciantur; habebisque Hippocraticum crama iucundissimum, iniecto (ut dictum) antè colationem lacte, ad maiorem perspicuitatem.

Modus parandi Hippocraticum aqueum.

Caput XXXIV.

Accipe sacchari optimi libram dimidiam; cinnamomi conquassati drachmas duas; aquæ optimæ libras quatuor. Misceantur omnia, reponaturque vas per noctem in camini angulo. Postridie mane omnia per manicam quinquies vel sexies transmittantur.

Vel accipe sacchari & aquæ quantitatem præscriptam. Macerentur simul in vase commodo per noctem. Postero die mane bis terve ex manica trajiciantur. Traiecto prædictum cinnamomum conquassatum indito, rursumque aquam istam saccharatam quinquies vel sexies ex manica trajicito. Sicque habebis liquorem Hippocraticum iucundissimum, biliosis convenientissimum, ventriculumque confortans.

DE ELECTIONE ET FACVLTATIBVS Medicamentorum ſimplicium in Medicina uſitatiſſimorum.

AD LECTOREM.

EXtremam meis Opuſculis manum cum impoſuiſſe crederem (prout primi voluminis initio teſtatus ſum) identidem pluriesque à quamplurimis non infimæ ſortis hominibus, obnixiſſime rogatus ſum, tum huius urbis incolis, aliiſque popularibus hinc inde noſtris, tum etiam extraneis, nec non etiam à Medicinæ ſtudioſis diſcipuliſque meis (ſemel enim atque iterum Medicinæ, ut vocant, curſum in Scholis noſtris publicè & ex ſuggeſtu maxima auditorum frequentia & celebritate peregi) ut de delectu medicamentorum ſimplicium, uſu frequentiore celebratorum compendiarium aliquem tractatum conſcriberem, in quo de ſena mentio fieret, eos redarguendi confutandique gratia, qui de tam ſalutari pretioſoque medicamento obloquuntur. Præterea modum domi parandi modico ſumptu, gelatinas ex carnibus, piſcibus & cardiacas in gratiam tum divitum, tum egenorum. Artem denique multigenas

confectiones accurandi. Quod altero hoc volumine eo lubentius præstitum à nobis est, quo in dies innumeris gratiarum actionibus palam privatimque ob prægressos libellos in lucem editos cumulamur, ob innumera quæ ex illorum doctrina, methodo & usu emolumenta dimanant.

De Prunis.

Caput I.

PRuna sicca, vel acida sunt, vel dulcia. Ex utrisque eligenda succulenta & solida, nucleo exiguo, nigricantia, non elota, non rancida, aut pulverulenta. Quod si alvus laxanda sit, sumenda sunt pruna damascena, aliaque calida humida, potius quam acida: dulcia enim ventrem laxant, acida vero & acerba astringunt. Ex recentibus ad Diapruni laxativi aliorumque medicamentorum compositorum confectionem pruna damascena nigra assumentur.

Pruna humectant, refrigerant, alvum emolliunt & lubricant, maximè dulcia. Acida enim, utpote styptica, ex vi quadam terrea eam constringunt, ut dictum.

De Tamarindis.

Caput II.

OPtimi tamarindi recentes esse debent, pingues, pulposi, dulcacidi, prævaleat

tamen aciditas; nigricantes, nonnihil pellucidi, tenuibus veluti filamentis nerveis contexti, grano plano & duro, pulpæ extrinsecus concolores, intrinsecus albicantes, minimè aridi, pulpa prunorum non adulterati, quod ex gustu odoreque prunorum dignoscitur.

Tamarindi alvum leniter solvunt, humores calidos bilioso sque contemperant & leniunt, sitimque compescunt.

De Myrobalanis.

CAPVT III.

MYrobalanorum quinque sunt species; citrini, chepuli, Indi, emblici, bellerici.

Myrobalani citrini, omnino flavi, utcumque viresc entes sint oportet, solidi, ponderosi, inter frangendum gummosi, crassi, cortice etiam crasso & solido, nucleo perexiguo.

Ex myrobalanis chepulis optimi sunt solidiores, colore fusco rubescente, ponderosi, ita ut in aquam missi fundum confestim petant. Myrobalani chepuli ad condita aliis omnibus præferuntur, magis enim sunt pulposi. Vulgo ex urbe Memphitica exportantur.

Myrobalani Indi primæ bonitatis sunt qui valde crassi, graves, solidi, absque nucleo. A quibus notis quo magis absunt, eo deteriores.

Myrobalanorum emblicorum præstantissimi sunt crassi, ponderosi, pulposi, solidi, nucleo exiguo. Qui enim pulpa sunt flaccidiore, omnium virium sunt exortes, quales sunt qui ex Syria advehuntur.

Bellericorum ij optimi, qui crassi, ponderosi, multæ pulpæ admodumque solidæ.

De myrobalanorum notis indicijsque differentes, prȩcipua alijsque fructibus communia duntaxat afferimus. Fructus enim omnes optimæ notæ succulenti esse debent, crassi, multæ carnis, solidæ, compactæ, & proinde nucleo, ubi adesse debet, exiguo. Myrobalani enim Indi nucleo carent, ut dictum. Quoad alia vero indicia, quæ à nuclei colore figuraque desumuntur, exigui sunt momenti.

Myrobalanis vis inest valde imbecilla primam corporis regionem purgandi, idque cum astrictione. Quamobrem iis non utendum, nisi ubi post levem purgationem alvus est comprimenda.

De Dactylis.

Caput IV.

Dactyli sunt fructus palmæ in Creta & Iudæa vulgo crescentis. Optimi ex Palæstina afferuntur, præcipueque Hierichuntina regione. Crassi enim sunt, flavescentes, molliusculi, rugosi, carnis modicè compactæ, circa corticem rubescentis, circa

nucleum albicantis : non perforati, non carioſi : ſapore vinoſo : qui concuſſi nullum ſtrepitum edunt. Dactyli enim exiles, flaccidi, duri, excarnes, verminoſi, pediculo detracto cavi & vacui, prorſus ſunt evanidi.

Dactyli aſtrictoria facultate ſunt præditi, tantulæque caliditatis participes. Ventriculo pectorique conferunt. Verum ſunt concoctu nonnihil difficiles.

De Iuiubis.

Caput V.

IViubæ (quæ & zizipha dicuntur) præſtant quæ recentes, maturæ, ſaltem quæ integræ, craſſæ, oblongæ, flavæ, minime aridæ, nec rugoſæ, carne abundantes, ſucci plenæ, dulces & vinoſæ, ponderoſæ, ſapore dulci & grato, nucleo exiguo. Aridæ vero, rugoſæ, putridæ vetuſtateque nigreſcentes, pulverulentæ, fragiles excarneſque ablegari debent.

Iuiubæ adverſus ſitim, ſpirandi difficultatem, gutturis arteriæque vocalis aſperitatem apprime proſunt. Humorum enim reſpirationis organis dicatis impactorum coctioni & expectorationi, plurimiſque pulmonum atque pectoris affectibus, ab acribus præcipuè & tenuibus humoribus oriundis conducunt.

De Rosis.

Caput VI.

Rosæ rubeæ sunt astringentes, recentesque fere odore carent. Ex illis elicitur succus ad electuarium de succo rosarum &c. Ex siccis eligendæ fragrantiores, colore eximio, minime flaccidæ, ex quibus conficitur syrupus rosarum siccarum &c.

Rosæ incarnatæ seu pallidæ primas inter medicamenta purgantia tenent, ex ijsque syrupus rosarum pallidarum, unguentum rosatum, aqua rosacea conflantur.

Rosæ plurimorum sunt in Medicina usuum. Ex illis enim oleum, syrupi tum purgans, tum alius; conserva, mel, unguentum, oleum rosatum componuntur. Quorum omnium facultates suo quæque loco videantur.

De Violis.

Caput VII.

Nihil de violarum delectu dicam, ex quibus syrupus violatus, conserva, plurimaque alia lippis atque tonsoribus nota conficiuntur, de ijsque iam à nobis actum est in eo libello, cui titulus est *Medicus officiosus & domesticus, tractatu* 2.

Violæ Martiæ recentes frigidæ sunt & humidæ, unde somnum conciliant, dolores à causa calida mitigant, inflammationes extin-

guunt, bilem flavam purgant, æstum temperant, gutturis pectorisque asperitates leniunt, præ cæterisque mirificè lateris pulmonumque doloribus atque inflammationibus opitulantur, sitimque sedant.

Violæ siccæ non perinde refrigerant humectantve: sed hepar deobstruunt, ictero medentur, inflammationes mitigant: pulveratæ drachmæque unius pondere paulo ante cibum, ex pisorum iusculo mediocriter cocto alvum blandè laxant.

De Cassia.

Caput VIII.

Cassia optima quæ recens, quæ concussa nullum edit strepitum, cuius fistula longa, modicè crassa, extrinsecus nitida pellucidaque, medulla pinguiori, nigra, subdulci, laudabilis consistentiæ, hoc est nec plus æquo humidioris, nec siccioris.

Cassia primam corporis regionem renesque blande expurgat, bilis æstum temperat, gutturis, pulmonum, pectorisque inflammationibus confert, illasque partes leniendo sitim demulcet.

De Rhabarbaro.

Caput IX.

Rhabarbarum primæ notæ foris colore rubro nigrescente, intus nucem mos-

chatam referens, ponderosum, pro illius substantiæ ratione: maceratum liquorem flavo colore inficiens & velut saturans.

Rhabarbarum obstructiones tollit, clementer bilem flavam, pituitamque educit, eam potissimum quæ in ventriculo atque hepate continetur. Vnde fit ut ictero, hydropi, lienis tumori, febribus putridis ac longis, pungentibusque ilium doloribus medeatur.

De Agarico.

CAPVT X.

AGaricus commendatur qui albus, levis, friabilis, saporis primum dulcis, dein amari.

Agaricus calidus est primo gradu, siccus secundo. Choleram seu bilem flavam & atram expurgat, sed maximè & primariò pituitam. Infensus autem est ventriculo, nauseam & vomitum inducens, ingratoque amarore os eius superius vellicat (si per se in substantiaque sumatur.) Agaricus trochiscatus tum pilulas ingreditur, tum in conveniente aliquo liquore infusus minutimque cum zingibere contuso confractus vim habet urinam, menses ciendi, lumbricos necandi &c.

De Scammonio.

CAPVT XI.

SCammonium laudabile perspicuum est nitidumque, spongiosum, non admo-

dum ponderosum, tenerũ, friabile, pulveratuque facile, linguam leviter adurens; illiquę impositum, vel aliquo liquore madefactum, instar lactis, statim albescit, boni nativique odoris, non autem molesti & ingrati. Scammonium quod ex Syria & Iudæa affertur, quod scilicet gravius compactiusque est, reprobari debet. Mesue tamen scammonium Antiochenum multum commendat. Verum si gustatum linguam adurat, indicium est certissimum succo tithymali lacteścente adulteratum esse.

Scammonium catharticum est vehementer calidum violentissimumque, idcoque admodum periculosum, nisi iusta dosi, tempore & loco opportunis, eoque modo quo à perito fidoque Medico prescribi debet, administretur. Medicamentum enim est naturæ valde adversum, tum ob acrimoniam vellicationemque, tum ob malignitatem, qua tota substantia hepati, cordi, ventriculo infensum est.

De Aloë.

CAPVT XII.

PRæferenda est pinguis, sincera, omnis spurcitiei expers, arenæ potissimum lapillorumq. flavescentium, friabilis, liquatu facilis, admodum amara, concretaque ad instar carnis seu parenchymatis hepatis. Aloë enim nigra quęque ægrè dissolvitur, omnino

improbanda. Aloë duplex est, socotrina, hepatica nuncupata, & caballina.

Aloë socotrina sic indigitata est, quia ex Insula Socotora prope Ormus defertur. Dicitur etiam hepatica, quia hepar exsiccatum refert.

Aloë caballina sordibus scatet, eamque veterinarij equorum purgationi adhibent, indeq; caballinæ nomenclaturam sortita est.

Aloë ventriculum intestinaque satis leviter purgat. Sed cum sit calida sicca, his qualitatibus intemperato hepati infensa est, ex Galeni recentiorumque Medicorum auctoritate.

De Polypodio.

CAPVT XIII.

POlypodium laudabile recens sit oportet, natum ex quercubus alijsve arboribus glandiferis solidioribus, nodis pluribus interstinctum, nigricans, extra rubescens, intus virescens, sapore primum subdulci, cum aliqua asperitate, tandemque nonnihil amaro, cum levi odore aromatico.

Polypodium catharticum est valde benignum, lienis affectibus præcipuè accommodum.

De Sena.

CAPVT XIV.

SEna optima siliquas habet ex nigro virescentes, nonnihil amaras, cum levi astri-

ctione, ante collectionem maturæ, recentes, semine intus crassiusculo compressoque. Omnium pessimæ albescentes, decerptæque ante absolutam maturitatem. Siliquarum penuria folliculis utimur, modo pleni virideſque sint, minimè albescentes & exiles; odore vtcunque grato dum olfiunt, sive in acervo, sive manu ventilati.

Folliculi in acutum desinentes primas tenent, vocanturque senæ Orientalis folliculi. Scapi festucæque ventri laxando sunt inertes: eam ob rem passim à Medicis præscribitur sena à scapis, festucis, foliisque vitiatis purgata.

Inter omnia medicamenta purgantia prima laus debetur senæ, nullumque omnino est, quod æque blande primam secundamque corporis regionem expurget, ventriculum, hepar, lienem, cerebrum roborando; sensus acuit & exhilarat, iuvenilemque ætatem veluti innovat, senectutem prorogat, plurimisque aliis commodis tempestive prudenterque utentes afficit.

De Turbith.

Caput XV.

TVrbith eligendum cortice foris extuberanti, coloris cinerei, læve, intus vacuum cavumque instar arundinis, fragile, seu non ægrè frangibile, recens, gummosum. Ex se quidem non est gummosum, sed

arte & mangonio. Indis enim cum sit exploratum turbith gummi expers à nobis vilipendi, scapum seu caulem contorquent, aut pluribus in locis incidunt, ut succus erumpat concrescatque in superficie. Quo facto post aliquot dies decerpunt, reponuntque ut postea divendant.

Turbith intus nigricans, perforatum & carioſum prorsus eliminandum.

Turbith crassam viscidamque ventriculi, pectoris, nervorum, articulorum, partiumque distantissimarum pituitam expurgat. Verum lentè id agit, ventriculumque perturbat & subvertit, quamobrem zingibere corrigi debet.

De Hermodactylis.

CAPVT XVI.

HErmodactyli commendantur qui candidi, crassi, pleni, ponderosi, minime carioſi.

Hermodactyli vehementissime & cum torminibus purgant. Præterea excrementitia humiditate abundant flatulentaque ventriculo infensa, unde utplurimum vomitus consequitur. Quæ vis inimica zingibere corrigenda.

Hermodactyli quia crassam articulorum expurgant pituitam, ideo articularibus conducunt affectibus.

De Mechoacan.

Caput XVII.

Radix Mechoacan & bryoniæ, colore sunt pene similes, sed sapore multum absimiles. Radix enim bryoniæ seu viresceens, seu arida, præamara est. Radix vero Mechoacan suavis, insipida omnisq; acrimoniæ expers est. Ad nos radix hæc in taleolas consciſſa convehitur. Eligatur autem recens & albicans. Admodum candida, aut nigra, putrida, carioſq; flocci facienda.

Radix Mechoacan valde benignum est catharticum, minimè ingratum, nulla qualitate sensibili molestum: quod omni hominum generi, omni ætati, iis maximè qui ab aliis assuetisque medicamentis abhorrent, indifferenter exhiberi potest.

Præ cæteris aqueis humoribus seroſisq; evacuandis cõducit, hepatis lienisq; obstructionibus tollendis, unde ictero, cephalææ seu capitis dolori antiquo, scrophulis, epilepsiæ, arthritidi, colico dolori tũ flatuoso, tum humorali, spirandique difficultati auxiliatur.

De Ialappa.

Caput XVIII.

In nostras regiones etiam comportatur radix quædam in taleolas dispertita, nomine *Jalappa*, adeo radici Mechoacan similis,

ut primo intuitu eadem videatur: craſſitie enim, coloreque admodum conveniunt. Ialappa tamen colore eſt obſcuriore, lineiſque circularibus in orbiculorum ſeu taleolarum ſummo ſignata. Aliqui arbitrantur jalappam eſſe ſcammonij radicem.

Ialappa ijſdem eſt facultatibus ac Mechoacan, ſed aliquanto calidior vehementiorque eſt.

De Colocynthide.

CAPVT XIX.

COlocynthis cucurbitæ ſylvèſtris fructus eſt. Æſtimatur craſſa, rotunda, pomi mediocris craſſitiei analoga (ideo pomũ nuncupatur) maturitate exacta, guſtu præamara, poroſa, ſpongioſa, & proinde levis. Colocynthis alba continuò levis eſt, vocaturque femina.

Colocynthis catharticum eſt tertio gradu calidum, violentum & malignum, humores noxios è longinquioribus proliciens partibus, potiſſimum è capite. Eo autem nunquam utendum, niſi cum maxima cautela & conſilio.

De Saccharo.

CAPVT XX.

SAccharum illud optimum quod durum, compactum, ligni inſtar ſonitum edens, ubi turbinatæ ex eo metæ, ſeu ut vulgo vo-

cant, panes adinvicem colliduntur; leve tamen, ob siccitatem, prędulce, apprimè album niviſq; modo tralucens, nec facile friabile.

Saccharum alvum lenit, ventriculo familiare est, deterget, resolvit, febricitantium linguam palatumque lenit, verum dentes nigrefacit, frequentiorique usu manifestissime calefacit.

De saccharo rubro, vulgo Cassonada.

Caput XXI.

Cassonada quo candidior, eo melior, quæ siccior, dulcis, omnis improbi saporis, sorditiei, miscellæque alienæ, ligni, aceris, muscarum &c. expers.

Cassonada bonitate virtuteque saccharo inferior aliquanto est, eiusque vicem penuriamve tantummodo supplere debet.

De Manna.

Caput XXII.

Eligendum valde album, recens, dulce, mundum, sincerum, minimè sordidum, collectum ex plantis fragrantibus, hominique minimè infensis, quale est quod excerpitur ex larice, quæ nihilominus hac tempestate magnopere æstimatur. Manna in annum servari potest. Nullum fere aliud manna in usum venit præter granulosum. Omnium pessimum colore est fusco, sordibus scatens, vetustum,

vetuſtum, adulteratum ex ſaccharo ſenæque ſiliquis. Verum artificium pervium eſt. Manna enim hac arte alteratum molliuſculum evadit, temporiſque tractu colliqueſcit.

Manna temperatum eſt, aut aliquantum calidiuſculum eſt, unde gulam ventriculumque lenit, ſitim mitigat, bilem flavam purgat. Aliis valentioribus purgantibus admixtum eorum actionem promovet, quia ſapore dulci quo excellit, ea naturæ magis amica efficit. Idcirco Galenus iubet, ut ſcammonio adiungatur. Quod Medici recentiores non probare modo, ſed aliis etiam in caſibus, ut in turbith, colocynthide &c. æmulari debent.

Manna Calabrinum cuivis alteri præferendum.

De Melle.

CAPVT XXIII.

LAudatur mel flavum, purum, pellucidum, odore, ſapore iucundum, in fila longiora ductile ubi digitis tangitur, vel portio aliqua ex cochleari vel ſpathula ſuſtollitur. His prærogativis ornatum paucam ſpumam inter coquendum eructat. Mel album nihilo ſecius minime improbandum, modo deſcriptis inſigniatur dotibus; eiuſmodi eſt Hiſpanicum & Narbonenſe, quod aliis omnibus præcellit. Durum compactumque liquidiori præſtat, quod alterius liquoris admixtione vitiatur. Mel vernum longè præſtantius eſt.

Mel alvum lubricat, nec ventriculo infensum est: vesicæ renumque affectibus conducit, maximeque detergenti facultate pollet.

De Myrrha.

Caput XXIV.

Myrrha commendatur recens, leuis, concolor: quæ fracta venas quasdam albicantes unguibus similes, læves, in granula concretas edit: sapore amara, acris & aromatica. Eximia præ cæteris est Troglodytica nuncupata, quippe admodum virescens, perspicua, pellucida, gustu mordicans, grati odoris: minime adulterata, sincera. Myrrha quæ exilis, quæque contrectata mollescit, bdellij modo, secundum bonitatis gradum obtinet: odore tamen vehementiore præcedentem exuperat. Nigricans piciſque colorem affectans, gravis, sicca, minime oleaginea, rancida penitus ableganda.

Myrrha calefacit, exsiccat, constringit, consolidat, aperit: utero obstructo, tussi veteri, spirandi difficultati à crasso præsertim phlegmate opitulatur.

De Camphora.

Caput XXV.

Optima Caphura seu Camphora candida est, pura, splendens, tralucida, odore gravi, quæ pani calenti imposita madef-

cit. (Caphura enim impura adulterataque ficceſcit :) Craſſiuſcula ; nigricans, ligneis ſchidiis infecta vilior longe eſt : inter lini vel pſyllij ſemen, vel in pipere ad cuſtodiam reconditur, ne ſcilicet aëri expoſitæ vis exhaleat aut evaneſcat.

Camphora temperamento eſt admodum vario atque ambiguo, variorum tum caliditatis, tum frigiditatis graduum ratione ex partium heterogenearum miſcella. Idcirco nonnulli calidam in tertio gradu arbitrantur. Alij frigidam affirmant. Nec rationibus pars utraque deſtituitur, quas brevitatis ergò prętermitto: hoc duntaxat moneo, quamplurimis frigidis calidiſque conducere affectibus, cum ſit qualitatis mixtæ, quæ ſcilicet odore vehementi partiumque tenuitate calorem ; reliquis qualitatibus frigiditatem declaret.

De Maſtiche.

Caput XXVI.

Maſtiche quæ legitima, vermiculorum illorum qui noctu ſplendeſcunt modo relucere debet, & albedine ceram Tuſcam æmulari, quæ eſt odore grato & friabilis. Vireſcens inferioris multo eſt pretij.

Ad plures maſtiche uſus adhibetur, ſed maximè ad ventriculi affectus: ſumpta enim illius dolores mitigat, faſtidium, nauſeam compeſcit, illius vim coctricem iuvat, ſanguinem ſpuentibus tuſſique veteri mede-

tur: suavem conciliat halitum, blandè cerebrum expurgat.

De Opio & Meconio.

Caput XXVII.

Optimum opium ponderosum est, solidum, amarum, sumptumque soporem inducens, quod aqua facile liquescit; albicans & læve, minimè asperum, aut grumis inæqualibus refertum: percolatum ceræ modo non adhærescens, quod ellychnio affusum ad solem liquatum, nigricantem flammam non emittit, extinctóque suus odor non deperit.

Opium lacryma est mense Maio ex papaveris capitibus incisis stillans.

Meconium verò nihil aliud est præter succum mense etiam Maio ex foliis scapisque papaveris nigri expressum concretumque. Opium quo hac tempestate utimur, Meconium potius est, quam verum opium: ideoque Meconium nigrius est, sordidum, foliis ex quibus expressione vel coctione extractum est, refertum.

Opium & Meconium pro eodem hodie obtruduntur, parumque viribus discrepant, cum sint eiusdem plantæ partes diversæ soboleſque: quin etiam quod pro opio hodie nunc temporis ab institoribus venditatur, Meconium est, idque valde impurum. Vtrũque facultate pollet narcotica, gravi & ve-

hementi, quæ tamen ſuis non caret uſibus, ſi rectè apparetur, maturoque peritioris Medici conſilio adminiſtretur ; ſomnum enim inducit, acerbos dolores mitigat, fluxiones compeſcit.

De Caſtoreo.

Caput XXVIII.

Caſtoreum teſticuli ſunt caſtoris ſeu fibri. Commendandi qui velut gemini, hoc eſt ab ortu coniuncti, intus liquore ad ceram vel mel accedente oppleti, fragili, odore gravi, fœtido, acuto, à natura pluribus tunicis conveſtito.

Caſtoreum medicamentum calidiſſimum eſt, quod ſternutamentum ciet, doſi legitima muliebres purgationes, fœtum ſecundinaſque expellit, flatus diſſipat, ſingultum, ventris tormina compeſcit.

De Terebinthina.

Caput XXIX.

Optima eſt quę alba vel ad cęruleum ſeu vitreum colorem vergens ; perſpicua, odorata terebinthum redolens, guſtu ſubamara, palatum gulamque vellicans, quibus potiſſimum dotibus quæ ex Chio inſula advehitur, præpollet.

Reſinarum omnium terebinthina præſtantiſſima ſuaviſſimaque eſt, uſitatum vulnerum balſamum. Modicè calfacit, emollit,

deterget, renes purgat, urinam movet, salutareque admodum medicamentum est; eiusq; virtutis testes locupletes esse queant, qui à morsibus venereis latrantibusque ab inguine monstris impetiti sunt.

De Liquiritia.

Caput XXX.

Liquiritia seu glycyrrhiza optima foris est colore buxeo, ligno flexili, ægrè fragili, intus admodum flavo aut croceo colore; quæ mansa sitim sedat, gustu subastringens, licet dulcis; sunt qui existiment, nigricantem & flexilem esse commendabiliorem illa quæ coloris est buxei, & fragili. Improbanda quæ intus albicat aut nigricat, succi expers, vetusta, quæ orbiculatim frangitur, napi aut raphani modo, quæque inter frangendum pulverulenta est.

Liquiritia asperam arteriam lenit, pectoris, ventriculi, hepatis ardores temperat, renum dolores mulcet, sitim restinguit.

De succo Liquiritiæ, eiusque extrahendi modo.

Caput XXXI.

Glycyrrhizæ succus qui ex Creta affertur, omniũ est præstantissimus: prędulcis enim est, recens, molliusculus, viscidus, nigerrimus, inter frangendum pellucens, linguę applicitus aliquanto post colliquescens.

Hoc autem extrahitur modo. Mense Iulio

glycyrrhizæ radices sumuntur, eliguntur recentissimæ humidissimæque: quæ probè purgatæ in pila accuratè teruntur, dein in cacabo aquę incoquuntur dum hæc crassescere incipiat. Colantur, exprimuntur ex tela fortiori per torcular: expressus succus insolatur, vel igni ad exsiccandum exponitur.

Liquiritiæ succus iisdem viribus pollet ac basis unde extrahitur, eminentiori intensiorique tamen gradu.

Hæc breviter compendioque de Medicamentorum in operibus medicis frequentatissimorum electione & viribus descripta pro opere & tempore sufficiant. Qui plura volet, Sylvium alioque adeat, qui de hoc argumento prolixissime egerunt.

TRACTATVS DE SENA.

Planta inter omnes nobilissima & saluberrima.

QVia nullum hodie purgans medicamentum simplex tam frequens habetur in ore & opere; non dicam universo Medicorum ordini, sed etiam omni fere populo, quam sena: idcirco pretium operæ facturum me putavi, si illius historiam, usum, facultates & præstantissima auxilia à Græcis Medicis, Arabibus & Latinis fideliter accepta, & hactenus magno mortalium commodo probata, hic, pro mea tenuitate, paucis per-

ſtringerem. In eorum maxime gratiam, qui vel Medicinæ non ſunt initiati, vel alijs ſtudijs & occupationibus ita ſunt diſtracti, ut Medicorum libros eis legere non liceat.

Quibus nominibus vocetur ſena apud varias gentes.

CAPVT I.

PLanta, Græcorum Medicis iunioribus (nam antiquiores eam ignorarunt) σένα, ut etiam Latinis nuncupata, vel ut Hermolao placet ſenna, Gallis *Sené*, Germanis *Senet*, Hiſpanis *ſen de Alexandria*, Italis *Sena*; Africanis, Arabibus ac Mauritanis Medicis *Senê*. Perſis, teſte Damaſceno Meſue, *Abalzemer* patrio vocatur nomine.

Senæ deſcriptio, pictura & delineatio.

CAPVT II.

SEna herba eſt foliis conſtans glycyrrhizę, ſubpinguibus & craſsis, caule cubitali, à quo flexiles lori modo exeunt ramuli. Flores illi adſunt aurei veluti braſsicæ, purpureis venulis intercurſantibus: quibus falcati ſuccedunt folliculi, tenui pediculo è ramulis pendentes: adeoque natura compreſsi, ut inferior membrana ſuperiori adhæreat. Matureſcentes impetu ventorum facile deturbantur, contento intus ſemine, quod ex nigro ſubvireſcit & uvarum vinaceis uſque adeo ſimile habetur, ut non facile alterum ab altero, prima oculorum obſervatione diſtingui poſsit. Serapio Arabs Medicus, lunatas ſili-

quas & oblongas illi aſcribit, in quibus ſemina per ordinē digeſta clauduntur, & ab opilionibus, impinguandis ovibus ubi deciderunt, diligenter legūtur. Planta hæc frigoris ſummè eſt impatiens, unde Maio menſe debet ſeri: nec ultra Autumnum viget. Prius ſata facilè perit, ſerius hyemem non ſuſtinet.

Senam non eſſe eandem cum Colutea, & de utriuſque diſcrimine & pictura.

CAPVT III.

FAlluntur qui arborem eam quam Theophraſtus Coluteam appellat, ſenam eſſe ob id arbitrantur, quod folliculos habeat ſaginandis ovibus à paſtoribus ſumme expetitos, ut de lunatis ſiliquis ſenæ, paulo ante ſcripſiſſe diximus Serapionem: Verum id diſcriminis inter utramque intercedit, quod Colutea vocata, arbor ſit & non herba. Cuius deſcriptionem, qualem ex ipſa arbore mihi licuit in quodam horto amœniſſimo excipere, hic proponere non gravabor. Itaque Colutea arbor eſt, in hoc Pariſienſi agro, ut etiam in aliis frequens: De cuius ſtipite prodeunt rami quamplurimi ſurculos admodum tenues ac flexiles hinc inde ſpargentes, è quibus exeunt folia fœnogræco vel glycyrrhizæ non multū diſſimilia, æquali vtrinque ſerie, & numero (ubique fere undenario) perbellè diſcreta, ſed ſub autumnum flaveſcentia, levique ventorum

agitatu vel aliter cum ſuis ſurculis decidua. Ex eorum alis, maximè ad ramorum cacumina, ſuo tempore emergunt virgulæ quædam, agnata dicas, foliis ubique viduæ: quæ ſumma & extrema ſui parte, flavos & aureos diffundunt flores: ſingulos alicubi, binos alibi, ternos, quaternos & quinos vel plurimos ſenos glomeratim. Qui geniſtæ modo, in faculæ vineaticæ & lunulæ formam paulatim deſinentes, totidem veſicularum, quot illi fuerunt, rudimenta exprimunt. Quæ quidem veſiculæ, ex pediculo admodum fragili, ſigillatim pendulæ, in ventrem & carinatum gibbum pedetentim excreſcunt: viridi primum & herbaceo colore; tum demum ſubrubeſcente & rufo. In iis pars carinata, gibba & convexa, nervo ceu ſepto quodam oblongo & veluti diaphragmate, in duas partes dirimitur, æquè ac ſima & concava: re vera peram paſtoralem vel piſcatoriam naviculam eſſe dicas, ſeſe hinc inde proferentibus à cauda & capite, ceu à prora & puppi, quibuſdam appendiculis, quæ ligamentorum vicem ac modulum præ ſe ferunt. Dictæ veſiculæ, vel, ſi mavis, utriculi & folliculi creſcentes, uſque adeo diſtenduntur & pellucent, ut immiſſo flatu, quis factum fuiſſe non temere ſibi perſuadeat: cum tamen natura, non arte id fieri certo conſtet, ſpiritumque diſtendentem ibi ineſſe palam arguat crepitus erumpens, ubi pedibus vel manibus, aut aliter, inſtar veſi-

cularum in piſcibus premuntur. Membranei huiuſmodi folliculi tandem flacceſcunt, ſemina includentes, ad rectam lineam miro ordine utrinque digeſta, parva & ubi maturuerint atra ac rotunda, lentis effigie. Sed in Coluteæ pictura & deſcriptione verſatum ſatis.

Quod ad plantam ſenæ attinet, non habeo quod in præſentiarum de illius hiſtoria & delineatione aliud proferam, quam quod paulo antè ex Andrea Matthiolo dictum fuit. Nam hactenus vivam & in ſua radice vigentem herbam videre mihi non licuit. Vt ut fuerit, in eo diſcrepat ſena à Colutea, quod preſſis & lunatis, folliculis ſiliquetur, qui nec turgent, nec diſtenduntur ac pellucent, ut in Colutea: & ſemen, ut ſcripſimus, includunt, uvarum vinaceis & granulis ſane quàm ſimile. Quibus addes, quod ſena paucorum menſium eſt herba: Colutea vero multorum annorum arbor, ſemine & ovillo fimo præcipuè naſcens, ut tradit Theophraſtus: quo etiam autore, ſeri debet ſub Arcturi occaſum præmacerato ſemine, & cum in aqua pullulare cœperit. Cæterum etſi Colutea Alexandri Magni ætate non temerè alibi quam in Lipara naſcebatur, iam diu tamen in Gallia multis ut diximus locis viget, ac nomine *Baguenaudier* omnibus innoteſcit. Errant itaque meo iudicio, qui ei facultates omnes innoxiè tribuunt, quas una ſena ſibi peculiariter vendicat.

Nam præterquam quod vomitiones, non secus quam geniſtæ ſemen, promovet; Colutea etiam ventriculo ſummum negotium faceſſit, & tormina multa excitat: necnon flatus & inteſtinorum rugitus: quorum omnium expers eſt ſena, ut paulo poſt oſtendemus.

Quibus partibus ſuæ plantæ ſit præſtantior, efficacior, & purgantior ſena.

Caput IV.

SCribit Ioannes Meſues Damaſcenus, in Arabicorum Medicorum collegio ſummus & celebris, ſenam folliculo quam foliis efficaciorem eſſe, præſertim ſi is ex viridi nigricet, ſit modicè amarus, ſubaſtringens, recens & ſemen continens amplum ac preſſum, nam vetuſtate exanimatur. Qui ſubalbidus eſt folliculus & imperfectus, non probatur: folia viridia meliora ſubalbidis, & craſſa tenuibus, ſurculi vero inutiles. Hactenus Meſues. Qui ut audiviſtis, ſenæ folliculos in dejicienda alvo foliis longè efficaciores ac præſtantiores facit: reclamante, non dicam Manardo Ferrarienſi, ſed etiam diuturna & aſſidua Medicorum experientia: etſi Braſſavolus, qui Meſuem tueri videtur, contrarium ſentiat. Actuarius ſiliquoſo fructu, à Barbaris vocato, uti videtur. Andreas Matthiolus ſuis in Dioſcoridem doctiſſimis Commentariis, hanc controverſiam, ſane

quàm rectè, mea ſententia, ad hunc modum componere ſatagit: Sciendum, inquit, quod ſenæ folliculi, qui ſiccati aſſeruantur, duorum ſunt generum. Vnum per ſe caducum, & in ſua planta arefactum, è quo ſemen eximunt nigrum & prorſus evanidum: Huic nullas vel ſaltem parvas facultates tribuunt. Alterum ante maturitatem demetitur, craſſum, ponderoſum & ſucco prægnans: Quod tegetibus expanſum, in umbra venundandum exſiccatur. Huic, inquit Matthiolus, ſicuti millies periculum fecimus, non minor vis deiectoria ineſt, quam foliis. De eo itaque ſenſiſſe videtur Meſues. Cui de experimento ſubſcribit idem Matthiolus, affirmans ſe aliquando integrum ſenæ campum feviſſe (quales in Hetruria, & præſertim in Florentino agro quamplurimi viſuntur) ut illius folliculos virentes & ſucci plenos decerperet: mox ſiccatos experiretur: num eadem vis eis ineſſet quàm foliis: quod tandem ita eſſe facile agnovit. Qui itaque folliculis commodè & ſalubriter uti voluerint, Matthioli exemplo, ſenam ſerant, ut illos & optimos, & recentes in manu habeant, vel ſaltem probatiſſimos emant, ſi tamen eiuſmodi reperiri poterunt: ſin minus, foliis utantur ſelectis, ut paſſim fieri ſolet. Nam hodie nullum ferè præſcribitur purgans medicamentum, quod illorum miſturam non admittat. Non temerè itaque Manardus ſenæ folia, folliculis caducis & arefactis pur-

gantiora esse sustinuit. Ioannes Fernelius in omni parte Medicinæ, citra controversiam, summus, Mesuem & Arabes sequutus, sennæ folliculos foliis anteponit. Cui Iacobus Sylvius sane quam libenter subscribit. Vtcumque fuerit, nam unguem non verterim, qui folliculis uti volet, quales ante scriptum fuit, sibi comparet: cui vero folia magis arridebunt, recentia & ampla seligat, à quisquiliis, paleaceis sordibus & surculis, quibus scatet diligenter repurgata: in quo Pharmacopœi plerique oscitanter, ne dicam turpiter, peccare mihi videntur, dum indiscriminatim omnia, vel coquendo, vel macerando confundunt.

Sennæ bonitas, electio, & præstantia.

Caput V.

Quod attinet ad bonitatem & excellentiam sennæ, ea præstare fertur quæ ex Alexandria Ægypti, vel Syria adfertur. Hanc enim summis laudibus tam Latini, quam Græci Medici iuniores efferunt. Iacobus Sylvius, Indicam & Ægyptiam valentiorem esse scribit parte media, quam sit Appula & Liguſtica: & rursus postremam nostrate Colutea; quæ ut diximus, falso & perperam pro legitima sena à multis usurpatur. Vtra vero præstantiora sint, folia an folliculi, paulo antè disputatum est.

Quo pondere & modo exhibeatur sena, Arabicis, Græcis, ac Latinis Medicis.

Caput VI.

SErapio senæ tritæ seu pulveratæ drachmam unam, coctæ vero semunciam, vel drachmas quinque imperat. Mesues infundit ab aureis tribus, hoc est à semuncia vel drachmis quatuor cum semisse, ad unciam unam. Ex Græcis unus Actuarius, pulveris exhibet drachmam unam: in decocto verò semunciam. Ioannes Fernelius dat pulveris ad drachmas duas, decocti à drachmis tribus ad drachmas sex: diluti verò ab uncia dimidia ad unciam unam. Quæ omnia ad sumentium naturam & medicandorum vires, ætatem, corporis habitum, sexum & alios scopos, prudenter sunt referenda & coaptanda.

Facultates & probata senæ præsidia, ex Græcis Medicis.

Caput VII.

ACtuarius, qui solus inter Græcos Medicos, quantum extat, senæ vires descripsit, memoriæ mandavit illam & bilem, & pituitam, denarij ponduſculo dejicere, absque ulla corporis & facultatum eius noxa & molestia: secundum hos humores, retoridam atramque bilem, etiam modestissimè

purgat, & illarum ſuffuſiones ex gallinaceo iure clementer expellit. Inſuper vetuſto capitis dolori, ſcabiei, comitialibus & impetigini ſuccurrit, ſed modicè fervefactæ ſenæ iuſculum potius quam tritæ farina propinatur: internas etiam obſtructiones reſerat.

Facultates & auxilia ſenæ, ex Arabibus Medicis.

CAPVT VIII.

IOannes Meſues Damaſcenus, de ſenæ facultatibus & præſidiis ad hunc ſcribit modum. Sena verget, expurgat & digerit: ob id melancholiam & bilem uſtam à cerebro, ſenſoriis organis, pulmone, corde, hepate & liene dejicit. Proinde morbis dictarum partium ab huiuſmodi humore proficiſcentibus ſuccurrit, ut melancholicis febribus & antiquis. Gaudium gignit, ſublato humore abſque cauſa triſtante, & floridum corpus efficit, obſtructioneſque viſcerum aperit. Decoctum foliorum eius & chamæmeli, nervos ac cerebrum lotione roborat. Eadem quoque ſena, modo quovis uſurpata, viſum & auditum firmat. Cuius purgatio ſi tarda fuerit & imbecilla, miſtis acribus celerabitur: ut zingibere, ſale gemmeo, ſale Indo & ſimilibus. Ne vero ſtomachum lædat, cardiaca & ſtomachica ei ſunt miſcenda, & largo pondere ex iure galli, gallinæ, vel aliarum carnium coquenda, ut citra moleſtiam purget:

purget: vel ſero lactis infundetur cum ſpica, deinde parumper fervebit. Aut pulvis foliorum eius ex lacte dulci ſumetur. Sunt qui decocto eius cum prunis, & ſpica feliciter purgent. Cæterum mediocrem ſuſtinet coctionem. Hactenus Meſues.

Serapio Arabum Medicus, hæc de facultatibus ſenæ poſteritatis memoriæ reliquit. Sena mirifice prodeſt delirio, amentiæ, ſciſſuris totius corporis, reſolutioni nervorum, phthiriaſi, cephalalgiæ, ſcabiei, puſtulis, pruritui & epilepſiæ. Cor etiam roborat, modo iis commiſceatur medicamentis, quæ ipſum maxime confirmant.

Quibus ſuccurrat morbis ſena, & quæ præſtet auxilia hominibus, ex Latinis Medicis.

Caput IX.

Ioannes Fernelius ſenã & eius auxilia his commendat verbis. Sena melancholiam retorridam, nec non bilem, & craſſam pituitam commodiſſime purgat: non ſtatim è diſtantioribus locis, ſed præcipuè è liene; deinde etiam ex aliis viſceribus, ex hypochõdriis & meſenterio: in quibus eſt omnis eluviei ſentina. Ex iis enim ſedibus vix aliud quidquam æque validè corruptos humores prolicit, aut obduratos tumores evacuat, aut in tenues venas ſubiens, veteres earum obſtructiones expedit: neque tamen vicinas hydropicorum aquas detrahere poteſt. Diu-

turnorum atque lentorum morborum, quos viscerum impuritas, aut vetus obstructio genuit, singulare est præsidium: ut lentarum veterumque febrium, melancholiæ, epilepsiæ, scabiei, impetiginis, vitiliginis, elephantiasis, & omnis denique impuritatis. Sensus pariter exacuit, cor exhilarat, torsionibus sæpe molesta: non quod flatulenta sit, sed quod firmiter hærentes humores, & plerumque acres, nequeant sine sensu doloris avelli. Nunquam tamen deprehensum est, vel intestina corradere, vel sanguinem proritare: blandè alioqui, sed tamen lentè purgans: nulla qualitate infensa, nisi quod ventriculo aliquantum gravis: pueris ac senibus utilis, neque prægnantibus adversa. Permiscenda ei sunt quæ ventriculum roborent, simulque tardiorem vim extimulent: cuiusmodi sunt zingiber, cinnamomum aut spica: & quæ leniendo sine torsionibus, facile deducant. Qualia sunt iura pinguia, pruna, iuiubæ, uvæ passæ, viola, althæa, polypodium: & qui ex his fiunt syrupi.

Iacobus Sylvius de senæ auxiliis in hunc scribit modum. Sena folliculis latis, sed falcatis, & in his semine, utilior purgando humori melancholico & morbis ab eo pendentibus & prodeuntibus. Multis torminosa est, aliis clemens, pro varia sumentium natura. Tutius tamen est mastiche, vel caryophyllis, & alio (ut cinnamomo, semine anisi) corrigere: foliis non est inefficax. Ve-

teribus omnino indicta est planta.

Manardus Ferrariensis se expertum dicit, senam pręter iam dicta, & contra Averrhoïs sententiam, pituitam etiam purgare: ex Actuarij Gręci Medici, ut antea monuimus, opinione & experimento. Ad hæc, valere adversus luem Hispanicam: Aquas etiam purgare sæpenumero visa est.

Andreas Matthiolus Dioscoridis interpres ad unguem factus, de sena hæc ex multis tradit. Nostrate sena, inquit, adhuc in agro virente, & rosarum diluto, ego quotannis syrupum parare consuevi, qui tuto & largè omnes purgat humores. Daturque commodè pręgnantibus ac pueris, & cuiuscunque ætatis hominibus. Dilutum tamen magis pręstat, quam decoctum: quia nulla ex parte exhalat. Cuius unciæ quinque vel sex alvum sine molestia solvunt. Quod tuto dari possit prægnantibus & pueris, experientia docuit: cui suffragatur Actuarius, senam citra noxam purgare tradens. Redditur medicamentum hoc in dejicienda alvo præstantius atque valentius, si cassia nigra, aut manna, aut rhabarbaro, aut rosarum diluto, aut rhodopharmaco (quod officinæ syrupum rosatum solutivum vocant) commisceatur: aut si maceretur sena caprino sero. Viscerum obstructiones aperit, auget iuventutem, senium retardat, animi hilaritatem adfert: & pleraque alia commoda præstat, de quibus antea.

Compositio præstantissimi diluti è sena, eodem Andrea Matthiolo præscribente.

Caput X.

Sumantur foliorum electissimæ senæ drachmæ sex: zinziberis aut cinnamomi contriti, drachma una: florum buglossi, drachmæ duæ. Misceantur omnia, & fictili vitrato, aut stanneo vase angusti orificij excipiantur: affusisque ferventis aquæ, vel seri caprini unciis decem, vasis osculum adeo occludatur ᵍ, ut nullus omnino spirandi pateat exitus. His peractis, pulvinaris plumis anserinis farcto, ignique calefacto vas involvatur, & in arca ubi pernoctet, reponatur. Sic enim calore servato, omnem in se facultatem dilutum recipiet, & summè efficax habebitur ad omnes paulo antè memoratos affectus, absque ulla molestia, & corporis noxa.

Vinum è sena medicatum, ex Ioanne Mesue.

Caput XI.

Vino musteo albo, inquit Mesues; miscebat quidam magnam vim senæ, post tres menses potandum dabat: sicque purgabat cerebrum & sensoria organa, nec non gaudium augebat, ac lætitiam.

Si quis alias formas componendi huiusce vini medicati, & aliorum item quorum-

eumque scire cupit, legat quæ haud ita pridem à nobis scripta sunt in Opusculo de variis artificiis & facili methodo componendorum olerum, radicum, fructuum, uvarum & vinorum, quæ diversis morbis iucundè & absque ulla noxa clementer succurrant, illic inveniet quod didicisse iuvet.

Hæc sunt quæ in præsentiarum de senæ viribus & præstantia scribere visum fuit. Cuius multigena auxilia qui attente observabit, illam, revera, non amplius senam, sed sanam herbam per metonymiam & synecdochen perappositè nuncupabit. Fruere, Lector optime, & propitio cælesti illo Æsculapio (sine quo est omnis medicina venenum) feliciter utere: ut sano, è sena, sit mens in corpore sana.

MODVS PRIVATIM facili negotio, modico sumptu, parandi gelatinas tum carnium, tum piscium, cordialesque vocatas, in divitum pauperumque gratiam.

Gelatina pro opulentis.

CAPVT I.

ACcipe caponem optimum frumentatione pastum, vel gallinam valde suc-

culentam, non vero gallum annosum (ut quibusdam in usu est, illius enim iusculum exigui admodum est alimenti) cum binis pedibus vitulinis, vel unicum pedem cum coxula vitulina. Eviscceretur capo vel gallina, foris intusque, bis terve aqua mundissima abluatur : protinusque in ollam fictilem satis capacem immittes, modico sale ingesto, verbi gratia, drachma una, adjicieturque rasura cornu cervi in sindone alba & tenui inclusa. Aquæ sufficiens quantitas affundatur, quia non est deinceps alia ingerenda. Vbi spuma exquisitè detracta fuerit, tantum inter coquendum ex argenteo cochleari extrahetur adipis supernatantis, quantum licebit, tandiu dictas carnes percoquendo, dum ab ossibus abscedant, ita ut decoctum seu iusculum calens ex mantili albo mundoque citra carnis expressionem traiectum ad tres heminas Parisienses, hoc est libras tres redeat, fictili vitrato excipiendas, fortiter priùs expresso rasuræ cornu cervi nodulo, si quidem adiectus fuerit. Modum autem, quo iusculi ad tres libras aliasve mensuras reductionem dignoscas, sub huius opusculi finem edocebimus. Iusculo sic traiecto quietoque, detrahetur iterum cum extrema pennæ alâ, pinguedo supernatans accuratiori quoad poterit studio. Deinde vas operietur, commodoque reponetur loco ut concrescat : æstate scilicet æstuque vigente, in cella vinaria : hyeme vero loco sal-

tem temperato. Vbi concreverit, argenteo cochleari accuratissimè extans adeps deradetur. Mox universum iusculum in cacabum vel sartaginem supra ignem perspicuum fumique expertem imponetur. In primisque cum tribus aut quatuor dicti iusculi calentis in paropside effusi, cochleariis tantillum croci, verbi gratia scrupulus dimidius, dissolvetur, contentoque in vase iusculo commiscebitur. Deinde cinnamomi contusi drachma una vel drachma dimidia, simulque sacchari optimi comminuti libra dimidia conjicientur. Pariterque in disco agitabis scopa iuncea, vel tribus quatuorve betulæ virgulis colligatis tria ovorum albumina cum testis confractis, donec spuma affatim elevetur, quæ protinus dicto iusculo commiscebis, scopa vel virgulis omnia probe versando. Postea cacabum vel sartaginem igni iterum applicabis: dumque calefiet, duo rursus ovorum albumina cum testis confractis, in Hippocratis manicam conjicies. Vbi iusculum igni impositum ferveſcere spumareque incipiet, statim per dictam manicam calens trajiciendum erit, hunc in modum procedendo.

Dimidio disco transmisso (quia primæ & aliquot deinceps colaturæ obscuræ turbidæque sunt) toties per manicam trajiciendæ, usque dum iusculum perspicuum limpidumque conspiciatur. Tum stillans è manica liquor duobus tribusve catinis alijsve vasis

idoneis excipietur, æstate loco frigido ut congeletur reponendis, sicque confecta gelatina saporis erit iucundissimi.

Nota, hyeme statuque cæli frigido, ubi dictum iusculum calens in manicam coniectum fuerit, duos, tresve foculos circumponendos, ne iusculum in manica concrescat. Commodius verò ut trajiciatur, atque etiam æstate, non ab re erit foculum cum igne mediocri manicæ applicare, tum præcipuè cum iusculum ultra dimidium traiectum fuerit, ut iusculi foveatur calor, residuumque facilius permeet. Quod etiam in aliis gelatinis colandis pariter observabitur.

Prolixiores aliquantum fuimus in describendo primo gelatinæ conficiendæ modo. Sed qui hanc elaborare probè calluerit, quæ deinceps describentur illisque assimiles facili negotio minusque operosè paraturus est. Itaque non adeo in sequentibus immorabimur, necessaria tamen (sæpius licet repetita) non prætermittemus, cum concisa ieiunaque brevitas in rebus arte faciendis obscuritatem erroremque inducere soleat.

Gelatina pro tenuioris sortis hominibus.

Caput II.

ACcipe armum vervecinum vel vitulinum optimum, cum duobus vitulinis pedibus lotis purgatisque. Mittantur in ollam fictilē vitratam, cum aquæ sufficienti quantitate,

addita post spumam ablatam salis drachma una, & si lubet, rasuræ cornu cervi nodulo inclusæ uncia una. Coquantur omnia donec caro ab ossibus separetur, iusculumque mantili mundo transmissum ad libras tres redeat, expresso, ut iam dictum, nodulo, carne seposita. Percolato iusculo leviterque refrigerato eminens adeps auferetur, dein operto & loco idoneo ut concrescat reposito, cochleari argenteo restitans pinguitudo deradetur. Deinde in cacabum ut denuo liquescat supra ignem imponetur. In iusculi istius liquati cochleariis aliquot modicum croci diluetur, in cacabum conjicietur, una cum drachma dimidia plus minus, ex ægri cupedia, vel Medici consilio, cinnamomi in mortario contusi, sacchari libra dimidia, duobus ovorum albuminibus cum testis, agitatis spumescentibusque; dein igni rursus omnia applicentur. Interim dum calefiet, duo iterum ovorum albumina cum testis agitabuntur, in Hippocratisque manicam infundentur, quum iusculum fervorem ac spumam edere incipiet: statim calensque in manicam injiciendum, totiesque trajiciendum, quousque clarum evadat. Tum loco frigido ad condensationem reponetur.

Albus, ut vocant, cibus pro ditioribus.

Caput III.

Accipe caponem frumento pastum, vel gallinam bene succulentam, cum uno

pede vitulino; apparentur ut dictum. Bulliant in sufficienti quantitate aquæ. Detracta spuma salis drachma una adjicietur, coquenturque donec iusculum mantili mundo bis traiectum (citra carnis expressionem, sepositis unciis duabus carnis ex caponis vel gallinæ pectore) ad libras duas redeat. Nonnihil refrigerato iusculo supereminens adeps eximetur, dein loco frigido ut coeat collocato, iterum pinguedo cochleari argenteo deradetur.

Hoc peracto in mediocri sartagine igne claro liquescet. Liquatum calensque in discum stanneum ampliſſimum effundetur. Hinc micæ panis albissimi uncia una, præter propter, aqua limpida frigidaque lota manuque expressa, in pila marmorea cum duabus unciis carnis gallinaceæ sepositę minutissimęque concisæ, contundetur. Vtrumque dicto dilutum iusculo per horam in camini angulo reponetur. Interea amygdalarũ dulcium excorticatarum unciæ quatuor in mortario tundentur, quæ exacta dicta hora, cum aquæ rosaceæ uncia una permiscentur, iterumque per horam infundi sinentur. Qua elapsa omnia trajicientur exprimenturque mantili mundo: expressumque in sartaginem cum sacchari optimi unciis quatuor immittetur ut leviter ferveat, mox in unum alterumve discum effundetur. Posthac ius concretum per vices exhibebitur.

Eos ferre non possum, qui gelatinas ægro-

tis administrandas ex solis pedibus poplitibusque bubulis vel vitulinis etiam expressis conficiunt, turpi ne dicam criminosa parsimonia. Huiusmodi enim carnes cum crassæ viscidæque sint, crassum, viscidum, excrementitium succum generant, tum sanis, tum ægris minimè salutarem.

Quapropter iterum moneo, ut privatis in ædibus parentur. Præterquam quod minimi constant, delicium erit ex carnibus euchymis iis exquisitè lauteque parandis, unde maiori commodo ægrotantes afficientur, tum ex succo laudabiliori, tum ex culto mundoque apparatu.

Gelatina ex piscibus in gratiam opulentiorum.

Caput IV.

Accipe cyprinos (vulgo carpiones) lucios, truttas, percas, maxime fluviatiles, non lacustres aut palustres. Eviscerentur, capitibus findantur, ter quaterque aqua limpida intus & foris abluantur. Ex iis siccatis tres libras ponderabis, ut tres decocti seu iusculi libræ inde conflentur. In segmenta dividito, in ollam fictilem vitratam cum vini albi & aquæ pari quantitate immittito, ita ut dictus liquor quatuor digitis superemineat; igni apponito. Post despumationem cornu cervini libram dimidiam cum salis drachma una injicito, tandiu

coquito, dum iusculum colatum expressumque ex linteo seu mantili, ad tres libras redeat. Dein probè contegatur, & loco commodo concrescat. Hoc facto, adipem superstantem si qui sit, pennæ alatæ extremo eximes, atque in cacabum aut sartaginem ad liquescendum effundes. Liquatum ab igne auferetur, cum tribus quatuorve dicti iusculi cochleariis momentum croci, ut in carnium gelatina, dilues: mox universo iusculo admiscebis, simulque cinnamomi optimi conquassati drachmam unam, sacchari albi libram dimidiam, cum tribus ovorum albuminibus agitatis. Deinde cacabum seu sartaginem igni impones, interimque duo rursus cum testis confractis ovorum albumina quassabis conjicieisque in manicam. Iusculo quam primum ferveiscente, omnia in manicam calentia immittentur, tandiu trajicienda, donec iusculum limpidum perspicuumque fiat: tum duobus tribusve catinis liquor stillans excipietur, loco ad concrescendum idoneo ad usum reponendis.

Nota, si omnes ex enumeratis piscibus ad manum non sint, eos qui ex illis occurrent sumendos, prout facultas suggeret. Quibus (ut ostensum est) præparatis, trium librarum pondus assumetur, ad gelatinam conflandam.

Rondeletius truttam ægrotantibus interdicit. Qua ratione motus, non video. Salu-

bris enim est, cùm limpida in aqua degat, piſciculis, vermiculis tenuioreque arena victitet, unde inter ſilices lapilloſque potiſſimum delectatur, ita ut præ cæteris aquarum dulcium piſcibus, ſaxatilis nuncupari poſſit. Palato iucundiſſima eſt, tum maxime ſi calens eſitetur, nec diu ſervetur. Quam ob rem inter ægrotantium fercula iure accenſeri poteſt, non modo ex gelatina, ſed etiam per ſe, & ut aiunt in ſubſtantia, quum Medicus ordinarius conferre arbitrabitur. Tincam non ſolum ab ægrotantium, ſed etiam ſanorum tricliniis ablego, cum limo paſcatur in eoque volutetur, degatque in aquis lutoſis, paluſtribus & ſtagnantibus. Ideo craſſum ſuccum, viſcidum, excrementitium, minime ſalubrem procreat.

Cornu autem cervi raſura in gelatinæ mixtura adiecta eſt, non modo ad iuſculi coagulationem, ſed maximè quia vi eximia cardiaca ac roborante excellit.

Gelatina pro pauperibus.

CAPVT V.

SOli ſumantur cyprini, utpote vilioris pretij, præ cæteris in piſcium ſalubriorum cenſu recenſitis: ex iiſque præparatis pondus indicatum, tres ſcilicet libræ, cum vini albi & aquæ pari quantitate, raſura cornu cervi, ſal, crocus, cinnamomum, ovorum albumina cum teſtis, liquoris depurandi gra-

tia; & pro saccharo primæ notæ, tantundem cassonadæ selectæ, omnibus ordine supra descripto celebratis, ut par gelatinæ quantitas prodeat.

Gelatina cardiaca ex cornu cervi rasura.

Caput VI.

Accipe rasuræ cornu cervi uncias sex. Bulliant in cacabo vel sartagine igne perspicuo, qualis est ex carbone accenso, fumi experte, cum libris quatuor aquæ, ut decoctum colatum mantilique mundo expressum, ad libram unam redeat. Concretum ubi fuerit, in cacabum seu sartaginem denuo effundetur, cum sacchari albi unciis duabus, unius ovi albumine cum testa agitato & spumescente, duorum limonum succo vel tantundem granatorum acidorum, vel omphacio, omnia permiscendo ignique applicando. Interea alterum ovi albumen cum testa agitatum in colum seu manicam Hippocratis conjicietur, vel super pannum stamineum album mundumque, huic duntaxat rei & usui, lacti amygdalino, emulsionibus alboque cibo transmittendis vsurpandum. Vbi iusculum primùm ferveſcere & spumare incipiet, statim per colum transmittendum erit, ter quaterve traiectiones iterando, donec liquor perspicuus prodeat, ut in præcedentibus patuit gelatinis.

Alia gelatina ex cornu cervi cardiaca, dysenteriis alvique fluxibus accommodatissima.

CAPVT VIII.

ACcipe rasuræ cornu cervi uncias sex. Bulliant ut dictum, dum decoctum colatum & expressum ad libram unam redeat. Concretum coagulatumque in sartaginem immittatur cum unciis tribus seu sex septemve aquæ rosaceæ cochleariis, sacchari fini in frustula comminuti unciis duabus, duorúm ovorum albuminibus cum testis, agitatis spumescentibusque, commistis simul omnibus, ignique applicitis. Interea in colum unius ovi albumen cum testa (ut dictum) prę̨paratum conjicietur. Vbi fervescere incipiet, sine mora trajicietur, coagulatumque suo usui adhibebitur.

Advertendum primò, recentia tenuiaque cervi cornicula ad hoc esse præstantissima, cum succo plurimo scateant.

Advertendum secundo, ut dignoscas iustam utcunque reductionis iusculi quantitatem, sive ex carne, sive ex piscibus; seu decocti ex cornu cervi rasura, colati & expressi ad gelatinam parandam superstitis, hunc in modum procedendum erit.

Primò carnem, pisces, rasuram; in ollam, cacabum, sartaginem; immittes. Dein, exempli gratia; si iusculi colati & expressi libras tres habere expetis; affundes primo tres li-

bras liberaliſſima menſura, ſeu tres libras cum dimidia liquoris, ſive vini & aquæ, ſeu aquæ ſolius; cum bacillo liquoris altitudinem dimetieris, eamque confeſtim digitis remetieris. Hoc facto liquoris infundendi reſiduum immittes, coqueſque. Poſtquam vero liquor abſumptus fuerit ad dictam altitudinem, quod intelliges, ſi bacillo digitiſque ea remetiaris: tum ab igne amovebitur, colabitur, exprimetur, ut demonſtratum eſt, ſicque quantitatem exoptatam præter propter invenies.

Denique ſi ampliorem quantitatem gelatinarum ſeu albi cibi parare volueris, augenda ſunt ingredientia; ſi pauciorem, imminuenda, non tamen ſine prudentis Medici conſilio; qui dicta ingredientia iuſta præſcripturus eſt doſi, ea immutando vel alia adjiciendo, prout laboranti conducere arbitrabitur. Soli enim Medico tum ab ægroto, tum ab aſsiſtentibus fides eſt habenda, non autem quibuſdam lucrionibus temeratoribuſque, qui pro Medicis ſe gerentes, ſibique plus æquo tribuentes ægros nimium credulos præmaturo fato ſæpe ſæpius è medio tollunt.

DE

DE CONDITIS.

PRÆFATIO.

PLantarum partes quadruplici de causa condiuntur. Primo, ut sumentium palato sint iucundiores. Secundo, ut earum vis diutius conservetur. Tertio, ad virtutem illarũ ignaviorem acuendam augendamque aliarum permistione. Quarto, ad frænandam aut penitus eximendam contrariam aliquam facultatem nostris consilijs infestam, prout in tractandorum serie patebit. Quod attinet ad universum condituræ argumentum, adeo vastum prolixumque est, ut non nisi ex arbitrio restringendum sit. Quoad materiam particularem, circa salem, acetum, mustum, sapam, saccharumque versabimur, ut pote apud nos communissimam.

De mellitis autem salsisque conditis nullam mentionem faciemus.

De conditis salsis, primumque de Olivis.

CAPVT I.

AD rite condiendum Olivas, crassiores carnosioresq; sunt eligendæ, virescentes, nondum maturæ, confestimque in cadum aut vas aliud idoneum oris amplioris

cum vino diluto seu posca, ut liquoris istius vi olivarum amaritudo obliteretur. Macerentur tempore sufficienti, quod certe longius esse nequit, etiamsi sex septemve mensium, modo in dicta posca non evanida aut alias corrupta immergantur, atque ad munditiem vas continuo probè obturetur; quod eo commodius est, quo plus temporis ad eas condiendas suppetit.

Vbi ergo consilium erit exinde ad condituram olivas depromere, singulis incisiones aliquas infliges, ut sal citius penitiusque eas subeat; immitteque in ollas vitreas aut fictiles vitratas, sale minuto insperſas, per strata, & ut aiunt stratum super stratum olivas & sal componendo, fœniculi surculis interjectis: desuperque aquam frigidam ad vasis oppletionem affundes. Quo benè contecto obturatóque ita remanebunt olivæ, ut intra quatuor vel quinque menses ad esitandum commodæ sint: sicque ultra annum integrum servari innoxiè poterunt.

Alij olivas non incidunt, sed integras condiunt. Quod magis probo, quia sic, olivæ crassiores iis præstant, quæ incisæ fuerunt, cum nonnihil virium illac exeat, corrugatæque evadant. Verum olivæ integræ longiore indigent elaboratione, cum non nisi post duodecim à conditura menses, ad vescendum sint apparatæ, ut sali tempus conveniens ad penetrationem concedatur, cum sine medio apertioneque per se olivæ cutem

permeare debeat. Hæc ad amussim tamen, nec adeo rigidè servanda; nam intra tam diuturni temporis spatium olivæ ex voto evasuræ sunt, quasvis pulchritudine præstantiaque longè superaturæ, dummodo solerti qua decet cura studioque decerpantur.

Alius modus.

Virescentes nec dum maturæ olivę in muria aut aqua salsa tandiu macerabuntur, donec amaritudinem fere deposuerint. Qui ad usus proprios, non divendendi gratia, eas condiunt, vas prius, ad opus accelerandum, incidunt.

Continuo in muria olivæ conditæ immacerandæ, ut ne minimum quidem exsiccentur, muriam, ubi imminuetur, novam affundendo: curiosè cavendo, ne manus muriâ intingatur, aut ferrum, aut æs, vitandæ corruptionis gratia (quod in universum in omnibus conditis salsis observandum.) Verum cochleari ligneo ad usus extrahendæ erunt. Hac enim arte olivarum penus in plures etiam servabitur annos.

De Capparibus.

Caput II.

In vase figlino aut alio quovis Cappares multo sale absque vllo liquore insternuntur. Opportuno tempore in dies, non expectata alia maturitate, carpuntur: unde paulatim, dum formantur contrectanturque

leguntur, ſtatimque cum ſale comminuto permiſcentur, imbibitoque ſale perdiu exſiccatæ ſervantur. Quod earum commeatui commodiſſimum eſt, cum in caniſtris citra liquoris iacturam (cum nullus inſit) exportari convehique poſſint.

De Conditis cum aceto.

De Capparibus.

Caput III.

CAppares cum aceto & ſale, ſunt multo iucundiores, quam cum ſale ſolitario: quia acetum prohibet, ne plus iuſto ſalis cõbibant; quod certè citra aceti mixturam cõtingit; ita ut quum edendæ veniunt, neceſſe ſit ad eximendam ſalituram eas aliquo tẽpore in aqua macerare, unde ex nativa bonitate nonnihil depoſita, non ita guſtum appetentiamque cient, ac ſi aceto prius conditæ forent. Eius enim beneficio non modo capparum ſapor conſervatur, verum etiam gratia quædam conciliatur, qua palatum magis feriunt. Sic autem condiuntur.

Condiendę cappares (prout antè dictum eſt) dum adoleſcunt, nec multum craſſæ (minutulæ enim craſſiuſculis prętant) carpuntur. In vas vitreum aliudve idoneum cũ aceto generoſo, ſaleque copioſo recentes cappares ſtatim ac ex frutice leguntur, citra lotionem immerguntur, tandiu in dies continuando, quandiu frutex ſuppeditabit. Po-

ſtea vas loco ſicco, ſoli minime pervio, reponitur, accuratè prius obturatum, ne cappares ex difflatione vitientur: ſicque diutiſſimè integræ ſervabuntur, exactis quatuor vel quinque diebus eas inſpiciendo Si forſan accidat, ut in aceti ſuperficie quid mucidum inſit, cochleari argenteo eximetur, ſaliſque manipulus in acetum conjicietur, ad humorem ſuperfluum à fructu prodeuntem emendandum, inſpectionem remediumque toties iterando, quoties opus erit.

Portulaca condita.

CAPVT IV.

POrtulaca hunc in modum condiatur. Portulaca antequam ſemen emittat, colligatur. Teneriores, ampliores foliiſque denſioribus ſcapi, exemptis radicibus, aſſumantur. Diligenter abluantur, ut arena terraque inhæreſcens detergeatur. Aliquantum exſiccentur, dum flacceſcere incipiant. Hinc in exiguo cado vel fictili vitrato variis ordinibus ſtratiſque componantur, illorum ſingulis ſale ſatis multo conſperſis. Vbi vas repletum erit, ſufficiens aceti quantitas affundatur. Hoc peracto, vas loco ſicco reponatur, minimeque udo, ne conditum mucorem contrahat. Accurandum autem, ut abundanti in ſalſamento portulaca immergatur. Vtendi tempore aqua tepida vel vino prius abluatur, dein oleo olivarum adiecto eſitetur.

Melones cucumeresque exigui eodem parantur modo; eosque teneriores virescentesque sumes (indurati enim huic embammati sunt inertes.) Integri citra incisionem contusionemque in acetum injiciuntur, unde, sine vllo detrimento potissimum viriditatis, extrahuntur. Verum sale tantopere perfunduntur inebrianturque, ut antequam edules esse possint, in aqua prius macerari ad salis depositionem necesse sit.

Vigente etiam hyeme in acetariis usurpantur caules lactucæ capitatæ in aceto (foliis viresscentibus detractis) maceratæ, quorum candor & firmitas maximè adlubescũt. Caules quidem capitati in quadras secantur: lactucæ vero bipartiuntur, si crassiusculæ; si exiguæ, integræ relinquuntur. Hoc modo eas acetum intimè penetrabit, maximeque conservabit.

De conditis cum sapa sine musto.

Caput V.

MVsto etiam quamplurima condiuntur. Mustum autem sit ex uvis exquisitis, vite annosa decerptis, solo ficciore, solique exposito. Improbandum enim penitus est conditum ex musto ab uvis acidis, acerbis, non generosis expresso. Præterea uvæ recentissimę esse debent, ne si quam minimum serventur vis expetita in vinum abeat. Ideoque huiusmodi conditum non nisi vindemiarum tempore parari potest.

Conditum Cydoniorum cum musto.

CAPVT VI.

ACcipe cydonia quoad fieri potest optima, perfectè matura, numero duodecim. In quatuor sexve segmenta dividantur. Subtilissime excorticatis semina detrahantur, leviter in aqua limpida, uno scilicet fervore bulliant, hinc inter duo lintea exsiccentur. Interea mustum in cacabo ex igne carbonum bulliat. In quod perfecte despumatum fervensque cotonea mittantur, tandiu percoquēda, dum paulo ultra dimidias mustum imminuatur. Tum unum ex cydonij segmentis bipartiendo, mustum meditullium usque subiisse, rubeumque illi colorem inussisse comperies. Ad quod nonnihil contulerit modicum vini rubri crassiores, sub finem coctionis in mustum coniecti. Tum ab igne deponantur, mittanturque in fictile vitratum, singula cotoneorum segmenta cinnamomi bacillo configendo ut aromatizentur. Præterea musto cocto aliquot cinnamomi pulverisati uncias permiscebis, cuius beneficio cydonia virtute integra diutissime servabuntur, vase cæteroquin optimè tecto atque obturato.

Vnum hic minime prætermittendum arbitror, ne indiscriminatim condita soli exponantur, cum pauciſſima sint quæ solem expetant, licet quamplurimis secus videatur. Custodiantur ergo potius loco aliquo temperato. Si quæpiam sit ex regula hac gene-

rali exceptio, suo loco exponetur.

Condita pyrorum, persicorum, duracinorum, prunorum, ex musto.

Caput VII.

PYra omnis generis in musto modo exposito, condiuntur, dummodo eorum maturitas musto contemporanea sit, hoc est in vindemiarum tempestatem incidat. Præ cæteris pyra Bergamia, cum sub hoc tẽpus matureſcanto, opportunissime, ut & quę id temporis maturitatem assequuntur, condiuntur. Crassiora per medium vel in quadras diviuntur, excorticantur, acinis purgantur. Minutula integra, nec excorticata condiuntur. Omnia vero cuiusvis generis sine discrimine leviter in aqua limpida, priusquam in mustum conjiciantur, prębulliant: in eóque reliquam pręparationem consequentur. Deinde cinnamomo aromatizata, cydoniorum instar, ad id aptatis vasis reponentur.

Persica, duracina, pruna cum musto etiam condiuntur, in eoque in totum annum fructus huiusmodi perbellè servantur. Quos cinnamomo, ceu præcedentes, configere necesse non est mustoque permiscendum aromatizãdi gratia. Fructus hi non usquequaq; maturi, sed utcumque firmiores assumendi sunt, integrique citra corticis detractionem in mustum conjiciendi, variis tamen locis ligneo mucrone prius fodicati, dein aqua calente macerati.

De Conditis in ſapa.

Modus ſapam parandi.

Caput VIII.

OMnis generis uvæ quovis ſolo proveꝝnientes, ſapæ conflandæ non ſunt idoneæ, verum palato duntaxat iucundæ acceptæque, albæ potius quam nigræ, calidiori ſicciorique ſolo ortæ: cæteræ vinum, licet ex arte accuratum, non niſi acerbum auſterumque eructant, adeo ut dentes illius hauſtu ſtupeant hebetenturque. Selectæ eiuſmodi uvæ exquiſitè maturæ ſereno ſole tres quatuorve horas illuſtratæ, exhauſto ſcilicet intempeſtæ noctis humore decerpentur. Quinque ſexve diebus ex cratibus ſoli interdiu exponentur, noctu tecto committentur, ne rori deciduo pateant. Hinc in labro vinario exprimantur, muſtique inde provenientis ſuprema tenuiſſimaque pars aſſumenda, relicta quæ in imo eſt parte craſſiori. Illinc in lebetem, igni perſpicuo fumique experti impoſitum, diligenter ad tertiæ partis conſumptionem bulliat. Tum ab igne auferatur, moxque refrigeranda in labrum vinarium mittatur, antequam in vaſe recondatur. Inter coquendum autem ſpuma accuratè detrahetur, omnique ſorditie purgabitur, remotaque ab igne ex ingentibus ligneis cochlearibus ventilabitur, ſuſque deque in lebete verſando, ut promptior fiat

evaporatio. Locus huic negotio opportunissimus chors aliqua fuerit aëri pervia. Quia cum vini huiusmodi nidor magnopere officiat, in loco concluso gravior multo infensiorque est.

Sapa perfectè refrigerata cadis mundissimis cella vinaria recondendis, includetur, sedula cura adhibita, ne eventilentur diffléturve. Lebes vel cacabus æneus musto excoquendo inservire poterit, modo vinum post ebullitionem in eo non immoretur.

Sapa ex uvis apianis, vulgo moschatis, bene maturis conflata, tantum excellere comperietur, quantum id uvarum genus cuivis præstare notissimum est.

Modus autem sapa ad condita utendi, idem est cum præcedenti, servato, (ut & in omnibus liquoribus condiendo destinatis) ut sapa fructus condiendi meditullium parteſque intimas ad illius conservationem pervadat: quod obtinetur, fructum in primis coctione in aqua clara emolliendo, mox in sapa igne lento ad extremum percoquendo.

Denique in sapa cinnamomum pulverisatum permiscendum esse, omittendum non est: minutè vero concisum, ad fructus nonnullos ad aromatizationem eo configendos.

Modus defrutum parandi.

CAPVT IX.

SApam sequitur defrutum, quod sic paratur.

Accipe uvarum nigrarum generosarum & maturarum quantitatem satis ingentem. Abiectis petiolis manibus premantur, in cacabum vel sartaginem cum succo mittantur, bulliant igne lento usque ad tertiæ partis consumptionem, continuo cochleari vel spathula lignea agitando, quominus in imo torreantur. Postea ex colo æneo vel fictili vitrato, exiguis foraminibus pertuso, transmittantur. Magma ex mantili rariusculo ad residuum succum exprimendum trajiciatur. Succus omnis expressus in cacabum seu sartaginem effundetur, bulliet, despumabitur, subinde cochleari vel spathula agitando, potissimum sub finem cum crassescere incipit, ne (ut dictum est) aduratur, donec guttula cochleari sublata quadræque imposita refrigerataque fixa maneat, nec ullo modo diffluat, ut mox capite sequenti in syrupi conditorum liquidorum cum saccharo præfatione dicetur. Hoc peracto in vasa figlina vitrata immittetur, ritu conditorum apparanda.

Huiusmodi defrutum duos tresve annos citra corruptelam servari potest.

Si accidat ut uvæ sint utcunque acerbæ,

eas edulcandi gratia duæ ſacchari pulverati in ſecunda coctione libræ adjicientur.

De Conditis liquidis cum ſaccharo.

Obſervanda in liquidis Conditis cum ſaccharo.

Caput X.

VArij novique Condita liquidiora cum ſaccharo conficiendi modi in dies emergunt. Hoc tamen laudandum, quod certatim quiſque hoc in negotio excellere nititur.

Ne multoties eadem iterentur, quæ ſequuntur obſervanda ſunt.

In Conditis coquendis ſartagines cacabique ex ære rubro potius quam flavo uſurpabuntur.

Ignis ex carbone ſelecto, fumi expers in fornace accendetur.

Fructuum ſucci ex tela vel panno ſtamineo albo mundoque, vel manibus exprimentur; imo etiam ex prælo ad ſuccum integrè extrahendum ſpathulæ & cochlearia lignea erunt, vel argentea, non ferrea vel ænea.

Saccharum ſi ſit ſincerum, non eſt clarificandum: ſin minus, albuminibus ovorum cum teſtis manu confractis à ſordibus expurgabitur. Videatur agendi modus cap. 1. tract. 1. libelli noſtri, inſcripti *Medici officioſi & domeſtici* titulo.

Syrupi ad condita debent perfectè coqui. Quod facilè intelliges, si syrupi guttula cochleari sublata quadræque ad refrigerandum imposita, neutiquam divellatur, sed compacta maneat. Satius enim est, ut syrupi ad condita candefiant ab ulteriori coctione, quam si à leviori muceſcant: cum ex primo sapor palato non iniucundus resultet, nonnullaque condita, quæ ex superfluo quo turgent humore, qui coctione dissipari penitus non valuit, dilutiora evadunt. Inutile vero insipidumque est quicquid mucidum. Adde quod condita candefacta seu ulteriori coctione indurata, trifariam decandescere seu dilui possunt.

Primum, vasa ordine disponenda, desuperque mantile aqua frigida madefactum leviterque expressum extendendum, ne ulla intro subeat aqua; relinquiturque dum prędicta condita dilutiora evaserint.

Secundò, biduum vel triduum loco frigido, ut cella vinaria, reponenda.

Tertiò, modicum aquæ tepidæ affundendum. Verum licet hoc modo decandescant, intra breve spatium consumenda sunt.

Nota, primo condita inter coquendum esse accuratissimè despumanda, vasaque quibus reconduntur, fictilia mundissima vel vitrea, vel ex alia quavis eleganti materia, ut sunt pyxides alienæ, esse debere.

Nota secundo, ubi condita in vasis repo-

sita fuerint, multusque syrupus ad ea operienda tutandaque affusus, calentia non esse contegenda, verum per 24. horas esse refrigeranda. Conteguntur autem, ne sordes ulla, vel muscæ, vel quidvis in vasa decidat, charta fortiori vel membrana pergamena, temperato loco reconduntur.

Cerasa condiendi modus.

CAPVT XI.

ACcipe sacchari libras duas, aquæ libram unam. Bulliant simul uno alterove fervore, saccharo interim ex cochleari argenteo despumato. Mox cerasorum maturorum selectorumque, petiolis abiectis, libræ tres injiciantur, simulque coquantur, donec syrupus integrè coctus fuerit. Hoc facto, amoveantur ab igne, apparenturque ut in cap. superioris præfatione declaratum est.

Modus condiendi cerasa frambesiata.

CAPVT XII.

ACcipe succi fructus rubi Idæi, vulgò *frambesij* libram semissem, aquæ tantundem. In iis sacchari fini libræ duæ modicè bulliant, dein cerasorum nucleis petiolisque reiectis, libræ tres injiciantur, bulliantque, donec syrupus absolutè coctus fuerit, reliquis, quæ præmissa sunt, observatis.

Syrupus ceraſorum abſque ſaccharo.

Caput XIII.

Accipe ceraſorum maturorum libras duodecim. Nuclei petiolique detrahantur, ſuccus extrahatur, moxque citra calefactionem, ex Hippocratica manica trajiciatur. Colatum ex cacabo ad libram unam coquatur, calenſque in vas fictile perelegans, vel vitreum immittatur, reponaturque conditorum more.

Syrupus iſte ad refrigerandum ſitimque mitigandā maximè confert, cum aqua cocta vel cruda, iuſta doſi, ut cochlearij unius ad uncias tres aquæ, accurateque permixtus.

Frambeſia condita.

Caput XIV.

Accipe ſacchari fini uncias viginti, ſeu libram unam cum quadrante. Bulliat ex cacabo cum aqua communi, dum ſyrupus penè coctus fuerit. Deinde ab igne amoveatur, moxque ſimul tantundem rubi Idæi fructus, vulgo *frambeſij*, acerbioris, & paulo ultra dimidium maturi commiſceatur, macereturque per ſemihoram. Qua elapſa bulliant omnia donec ſyrupus percoctus ſit.

Ceraſa acidiuſcula ſeu agriota condiendi modus.

Caput XV.

ACcipe ceraſorum acidorum ſeu agriotorum maturorum, pediculis nucleiſque detractis, libram unam. Extrahatur ſuccus, in cacabum cum aquæ unciis octo, ſaccharique optimi in fruſta comminuti libris duabus, immittatur, coquaturque integrè. Tum libræ tres agriotorum maturorum ſelectorum, petiolis reiectis, non vero nucleis, ingerantur, percoquanturque, donec ſyrupus coctus fuerit.

Modus alius.

Caput XVI.

ACcipe libras tres ſucci ceraſorum acidulorum, detractis nucleis petioliſque. Mittantur in lebetem cum ſacchari optimi pulverati libris duabus. Bulliant omnia ad ſyrupi perfectionem. Tum in prędictum ſyrupum ceraſorum maturorum, petiolis tantum abiectis, libræ tres conjiciantur, bulliantque ad ſyrupi perfectam coctionem, dein apparentur cuſtodianturque more aliorum.

Quovis tempore & morbo ceraſa concedi poſſunt, tum ob ſaporem palato acceptum, tum ſalubritatem: ventriculi enim æſtum temperant, hepar roborant, febribus bilioſis opitulantur.

Modus

Modus condiendi agrestam.

Caput XVII.

Accipe sacchari optimi libras duas. Mittantur in lebetem cum unciis duodecim aquæ, bulliantq; ad syrupi crassitiẽ. Deinde granorum uvæ acerbæ seu agrestæ libræ duæ conjiciantur, coquantur, cochleari argenteo inter coquendum despumentur, abiectis qui eminebunt acinis. Syrupus ad consistentiam coctus ab igne amovebitur, reponeturque cum aliis.

Modus alius.

Caput XVIII.

Cvltro per medium agrestæ grana dividuntur, detrahunturque acini. Dein saccharum ad syrupi consistentiam cum pauca aqua coquitur, statimque cum agresta permiscetur, simulque coquuntur, ut dictum.

Modus item alius.

Caput XIX.

Accipe granorum agrestæ integrorum, petiolis reiectis, libras duas. Mittantur in lebetem cum aquæ libra una. Coquantur igne claro, leviterque bulliant, dum emollita fuerint. Tum ab igne deponantur, cochlearique argenteo vel ligneo universa

agrestа (relicto tamen in lebete decocto) extrahatur, acinique omnes accuratè auferantur. Duæ interim sacchari optimi libræ in dictum immittantur decoctum. Saccharo liquato, simul dictas pulpas injicies, unaque ad syrupi perfectionem percoques. Febricitantibus prestantissimus erit ex tempore exhibendus, si sacchari medietas solum immittatur, ad duas scilicet agrestæ libras, sacchari libra una: acidior namque erit palatoque acceptior.

Conditum ex agresta morbis omnibus calidis conducit, cum inflammationes temperet, humorum vitiosorum malitiæ obsistat, sitim sedet, cor, ventriculũ, hepar confortet.

Modus condiendi grossula rubra, officinis ribes.

Caput XX.

Accipe succi ex grossulis rubeis extracti libras duas. Cum sacchari optimi libra una cum semisse syrupus perfectè coquatur. Dein grossulorum item mundatorum libra una cum dimidia injiciatur, coquanturque usque dum syrupus rite percoctus fuerit.

Multas dotes fructus hic prestat, tum sanis, tum ægris; refrigerat enim, appetentiam excitat, alvi fluxum immoderatum cohibet, vi cardiaca insignis est, maximè in febribus purpuratis & pestilentibus.

Modus condiendi mora.

Caput XXII.

Accipe succi mororum paulo maturiorum quam ad condiendum, libram unam, sacchari libras duas. Fiat syrupus, in quem mororum non plene maturorum libræ duæ conjicientur. Igne forti coquantur ad legitimam syrupi consistentiam.

Modus condiendi mala Armeniaca.

Caput XXIII.

Accipe sacchari libras duas. Coquantur paulo citra syrupi crassitiem. Interea in discum stanneum satis capacem malorum Armeniacorum nondum plenè maturorum, excorticatorum, per medium sectorum, abiecto nucleo, libræ duæ immittantur, in syrupum adhuc calentem conjiciantur, in eoque per 24. horas loco temperato macerentur. Quibus exactis, omnia in cacabum effundentur, fortiterque bullient, donec syrupus ad debitam redigatur cõsistentiam.

Nota, prẽmisso modo mala Armeniaca constitutione anni sicciore condienda esse. Verum si pluviosa fuerit, modo qui sequitur condienda.

Accipe saccharum tenuissimè in pila marmorea pistillo ligneo pulverisatum. Dein sume discum stanneum ampliſſimum, in quo

primum ſacchari ſtratum impones, dein malorum Armeniacorum excorticatorum, per medium diviſorum, nucleis abiectis, ſtratum ſuperimpone; alteri rurſus ſacchari ſtrato malorum Armeniacorum ſtratum aliud ſuperſtruatu. Sic omnia viciſſim ſacchari malorumq; Armeniac. condiendorum ſtrata digerendo, dictus contegatur diſcus, temperatoque loco per 24. horas aut amplius collocetur. Quibus exactis ſaccharū ex malorum Armeniac. humore liquato diffluens, in cacabum ad ſyrupum conficiendum immittetur. In eo debitè cocto mala Armeniaca diſponentur, fortiterque bullient. Cumque mala aliquot Armen. ſufficienter cocta conſpicientur, extrahentur, blandeque inter cochlearia argentea exprimentur ad eliciendum ſyrupum, vaſiſque idoneis imponentur, ſuperiecto poſtmodum ſyrupo, ſervatiſque quæ præmiſſa ſunt.

Perſica condiendi modus.

CAPVT XXIV.

ACcipe perſicorum penè maturorū libras duas. Bulliant in tribus aquæ libris, donec emolliantur. Deinde extrahantur abiecta aqua, crati, vel tamiſio, vel quadræ diſco obverſæ imponantur, tum ut aqua reſtitans imbibitaque effluat, tum ut refrigerentur. Interea ſacchari optimi tantundem, duæ ſcilicet libræ, cum aquæ libra una & ſemiſſe co-

quentur. In syrupum semicoctum dicta mala Armen. injicies, coqueſque dum syrupus legitimam conſiſtentiam nactus fuerit.

Perſica, pavia Lutetiæ vocata, condiendi modus.

Caput XXV.

Accipe paviorum nonnihil acerborum, excorticatorum, nucleis abiectis, libras duas; (alij integra cum cute & nucleis condiunt.) Bulliant in ingenti aquæ quantitate, exempli gratia in libris quatuor; cum ſacchari libris duabus, quoad syrupus integrè coctus fuerit.

Perſica malaque Armeniaca ventriculo ſunt acceptiſſima, & ſuſque deque concitatum illius motum impetumque cohibent.

Pruna condiendi modus.

Caput XXVI.

Accipe ſacchari optimi libras duas, aquæ libram unam cum ſemiſſe. Bulliant pluſculum ultra mediam syrupi coctionem, dein prunorum utcunque acerborum excorticatorum libræ duæ incoquentur, donec probè ſint condita. Tum ab igne removeantur, ſtentque 24. horas in syrupo; hinc extrahantur in vaſiſque diſponantur. Poſtmodum dictus syrupus igni ad craſſitiem iuſtam coquendus apponatur, conditum contegatur, apparetur ut dictum.

In tanta prunorum quæ passim occurrunt varietate, optima duntaxat, ad condiendum accommoda, seligenda: cuiusmodi sunt pruna damascena, violacea, perdigonia, imperialia &c.

Pruna in genere multa qua redundant humiditate alvum blande laxant, bilis fervorem mitigant, grato sapore ventriculum recreant.

Pyra condiendi modus.

Caput XXVII.

ACcipe sacchari libras duas. Liquefiat, leviterque in aquæ libris duabus bulliat, exspumetur. Injiciantur pyrorum excorticatorum, detractis acinis, per medium divisorum, persicorumque instar apparatorum libræ duæ. Coquantur dum syrupus legitimam crassitiem attigerit.

Pyra autumnalia hybernaque condiendi modus.

Caput XXVIII.

EX autumnalibus hyemalibusque pyris, qualia sunt bonchristiana, Dagobertiana & similia, paratur facili negotio conditum suavissimum, sed non ultra duas tresve septimanas durabile.

Pyra excorticantur, acinis mundantur, per medium vel quadras, pro fructus magnitudine dividuntur, in ollam fictilem vitra-

tam, nullo adiecto liquore, ingeruntur. Contecta dein accurateque obturata olla ex panis syncomisti seu confusanei pasta, ita ut nullo modo perspiret, in clibanum immittitur, tandiuque relinquitur, quandiu panis coquendus. Fructus isthic percoquitur, syrupusque nativus exstillat, cuius copia saporque saccharo & cinnamomo adaugentur: immisso rursus fructu, ubi obturata fuerit olla, in clibanum per 2. horas ab extractione panis, ut inibi stet calidiuscule, saccharumq; cum cinnamomo liquatum fructum penitissime subeat, gratiamque illi inurat.

Pyra ventriculum confortant, postremis sumpta epulis concoctionem iuvant, vapores ex ferculis elatos deprimunt.

Iuglandes virides condiendi modus.

Caput XXIX.

Accipe iuglandium viridium, quantum libuerit. Excorticentur, ligneo mucrone secundum longitudinem transverseque fodicentur, protinusque in aquam conjiciantur, illicque per novem dies macerentur, mutata singulis diebus, ter, quater aqua, ad illarum amaritudinem emendandam. Postea in alia coquantur aqua, donec tenerescant. Deinde linteo mundo exiccentur, configanturque garyophyllis & cinnamomo in longum inciso, immissis in foramina mucrone efficta. Sunt qui cinnamomum dunta-

xat transfigunt. Hoc facto par sacchari & iuglandium copia sumitur, coquiturque in aqua ad syrupi dilutioris consistentiam. In eo deinde iuglandes confixæ ad syrupi consistentiam percoquuntur.

Alius modus inglandes virides intra biduum condiendi.

Caput XXX.

IVglandes virides cultro excorticatæ in longum & extransverso duobus tribusve locis mucrone ligneo vel acu crinali fodicatæ dum præparantur in aquam (ceu præcedentes) conjiciuntur, in eaque biduo vel triduo integro macerantur, quinquies sexiesve quoque die mutata aqua.

Hoc tempore elapso, in aqua limpida duabus tribusve ferveſcunt ebullitionibus. Dein aqua effunditur, totidemque ebullitionibus in nova aqua coquuntur, quinquies sexiesve id iterando, tum ut restibilem deponant amarorem, tum ut tenereſcant. Post ultimam ebullitionem super tamisio reponentur, ut aqua imbibita exstillet. Hoc peracto garyophylis ac cinnamomo configentur, adactis in foramina mucrone formatis. Hinc æqualis sacchari copia sumatur, in cacabo cum pauca aqua liqueſcat, adiectis iuglandibus. Bulliant usque dum syrupus sit integrè coctus.

Modus condiendi iuglandes virides, ita ut albæ continuò perſtent, idque intra unum diem.

Caput XXXI.

Accipe iuglandes virides quantum libuerit. Cultro uſque ad albũ excorticentur. Mucroneligneo fodicentur, pluribus aquis pluries lavẽtur. Quinquies ſexieſve ferveãt, vice quaq; duabus tubuſve ebullitionibus, aqua ſubinde mutata. Dein garyophyllis & cinnamomo configantur, coquanturque cum multo ſaccharo ad ſyrupi perfectionẽ.

Nuces conditæ ventriculi imbecillitati mirum in modum conferunt, illius coctionem promovent, flatus diſſipant.

Modus condiendi cydonia per quadras.

Caput XXXII.

Accipe cydonia prægrandia & matura. In quatuor ſexve portiones dividantur, excorticentur, ſeminibus, membrana, ſeu pellicula interna, omnique ſubſtantia lapilloſa mundentur, duarum librarum pondo ſumantur, ut emolliantur ex cacabo in aquæ ferventis copia conveniente coquantur. Deinde extrahantur, ſuper tamiſio refrigerentur, illicque imbibita extillet aqua, decocto ſeorſum ſervato. Poſtmodum ſacchari confracti libræ duæ in cacabo cum dicto de-

cocto duabus tribusve ebullitionibus coquantur. Hinc cotonea, aqua effluxa, injiciantur, lento igne lenique fervore bulliant, hinc inde versando ut undique rubeum indipiscantur colorem. Syrupo ad integritatem cocto, aliorum conditorum ritu aptabis. Aliqui in gratiam ventriculi imbecillioris, garyophyllos & cinnamomum in nodulo unà cum saccharo incoquunt.

Modus parandi cydoniatum.

Caput XXXIII.

Accipe cydonia utcunque acerba. Excorticentur, bulliant in cacabo cum multa aqua ad usque crepaturam. Dein per cribrum vel telam densiorem transmittantur, ita ut pars duntaxat crassissima supersit, quæ projicienda. Cum libris octo dictæ pulpæ seu medullæ traiectæ, sacchari pulverisati libræ quatuor permiscebuntur. Sunt qui tres sacchari quadrantes, imo libram unam pro quaque pulpæ libra ponant. Omnia cacabo imponantur, ex pruniisque igne exiguo coquantur, spathula lignea latiori probè agitando dum perfecte cocta fuerint, minimeque torrefiant. Perfecta coctio dignoscetur, si cydoniatum vasi vel spathulæ non adhæserit. Si aromata (cuiusmodi sunt cinnamomum, caryophylli, nux moschata, macis) adjicere libeat, id fiat sub coctionis finem spathulaque misceantur. Refrigeratum py-

xidibus abiegnis seu vasis aliis idoneis recondatur.

Modus alius parandi cydoniatum.

CAPVT XXXIV.

CYdonia egregia integra, non excorticata, ex clibano tandiu coquuntur in fictili humiliori, orificio latiori, quandiu panis coquendus. Probè cocta excorticantur, tunduntur, per cribrum vel telam novam mundissimam traiiciuntur: hinc præparatio perficitur cum saccharo pulverato, pro libris quatuor cum semisse traiectæ pulpæ, sacchari pulverati libras tres immiscendo: fitque coctio, prout dictum est. Extractum quamprimum ab igne vasis fictilibus, vitreis vel abiegnis ad usus opportunos reconditur.

Ne autem nativa illa restitans in fructu humiditas (ut fieri potest) cydoniati elegantiam & virtutem imminuat, dicta vasa triduum vel quatriduum aëri exponentur, à sole tamen cavendo. Illa enim exsiccata cydoniatum solidum compactumque, quale expeti potest, servabitur.

Nonnulli cydonia per cribrum non cernunt, verum ex furno quamprimum extracta, cortice & seminibus abiectis conficiunt; sed cydoniatum paulo inde crassius rudiusque evadit.

Modus item alius.

Caput XXXV.

Cydonia excorticata integraque citra sectionem in aqua munda bulliant, donec sponte mollescant in pastamque redigantur. Tum per cribrum traiiciantur. Demum in cacabo vel sartagine cum saccharo pulverato ea proportione & ordine ut supra percoquantur, adiecto sub coctionis finem cinnamomo pulverisato, saporis gratia, tantilloque moschi cum cinnamomo permisto, si odorum halituque fragrans, ob idque iucundius cydoniatum expetis.

Modus etiam alius.

Caput XXXVI.

Accipe cydonia generosa. In quadras citra ullius rei detractionem incidantur, in aqua usque ad crepaturam coquantur, ex tela fortiori trajiciantur, ne aliquid præter liquorem, vel cydoniorum partem tenuiorem excernatur, abiecto post magmate. Cum sacchari æquali mole, ad integram syrupi crassitiem percoquitur, dein refrigeratum pyxidibus ex abiete reconditur.

Concinnatur etiam quoddam cydoniatum, insigniter rubicundum & pellucidum, ex solo videlicet corticis seminisque cydoniorum in aqua decocto, cum æqua vel cir-

citer ſacchari portione, coquiturque ad ſyrupi plenè cocti conſiſtentiam.

Si inter coquendum cacabus contegatur, longè rubicundius, gratiuſque cydoniatum erit. Vnde quamplurimi roſeum huiuſmodi colorem inurere minime gnari, ad ſuccum cydoniorum confugiunt ut talem præſtent, vocitantque cydoniatum dilutum, vel cydoniatum Aurelianenſe, quoniam aſſimile vulgo Aureliæ paratur.

Cydoniatum præſtantiſſimum ad alvi fluorem.

CAPVT XXXVII.

ACcipe cotonea grandiora & minora; ſorba, cornella, ſingulorum parem quantitatem. Coquantur ſeorſum in ſufficienti aquæ copia, per cribrum etiam ſeorſum trajiciantur, pulpæ commiſceantur, cum pari ſacchari quantitate; coquantur ut præmiſſum.

Cydoniatum à cibo ſumptum coctionem iuvat, vapores ab eſcis ſublatos deprimit, halitum ſuave olentem præſtat, venenis adverſatur.

Præſtantiſſimum equidem in alvi fluore, ventriculi ſubverſione, vomitu, appetentia deiecta preſidium eſt. Verum cum ad ventris fluorem uſurpatur, cibis pręmittendum: cum ad vomitum compeſcendum, cibos claudere debet.

Cydoniatum laxativum.

Caput XXXVIII.

Accipe cydonia seminibus mundata. Dividantur in quadras citra cutis detractionem. In aqua accuratè coquantur, ex linteo mundo transmittantur, diligenter exprimantur. Cum saccharo rursus coquantur, addita interim rhabarbari pulverati quantitate convenienti.

Cydoniatum istud purgat ventriculum, hepar corroborando. Pro rhabarbaro adjici poterit sena, agaricus trochiscatus pulverata; vel quodvis aliud purgans medicamentum blandum, quod tutissimum est; sive violentum, quod non adeo tutum: sed neutrum citra Medici consilium.

Cydoniatum Lugdunense.

Caput XXXIX.

Huiusmodi cydoniatum acuitur scammonio, quod est medicamentum purgans vehementissimum, quo nullus inconsulto Medico uti præsumat, multoque minus alio cydoniato à circulatoribus temeratiisque quibusdam empiricis cum antimonio parato, quod violentissimum pernicioſissimumq; est medicamentum, inter venena iure meritissimo recensendum, cum symptomata excitet horrenda, partesque nobiles insigni-

ter lædat, nimium credulos interdum in exitium præcipites agendo. Ideo ex animo valetudinis vitæque ſtudioſos cohortor, ut huiuſmodi medicamentum ceu venenum fugiant, utpote naturæ infenſiſſimum. Tenuioris vero ſortis hominibus, quibus ad ſaccharum emendum facultas deeſt, author ſum, ut ab artificibus conditariis ſyrupos ex fructibus cum quibus condita concinnant, comparent: ſyrupum exempli gratia ex ceraſis, ad condienda ceraſa: ex prunis, ad pruna condienda, ſicque de aliis conditis liquidis. Pro libra enim ſacchari, ſyrupi libras quatuor habituri ſunt.

De Gelatina ex Cydoniis.

Caput XL.

Ad eximiam ex cydoniis gelatinam conficiendam, in primis cydonia egregia integrè matura comparentur, ſeminibus mundentur, in tenuia fragmenta, abſque corticis detractione, dividantur, quia ex cortice fragrantia ſuperadditur. Interim dum mundantur inciduntur que, è veſtigio in peluem aqua plenam conjiciantur: quamprimum enim inciſa, niſi aqua macerentur, nigreſcunt. In ſatis ingenti aquæ quantitate bulliant, dum ad pultamenti conſiſtentiam propè redacta ſint. Hoc facto, ex tela nova craſſiori trajiciantur, fortiſſimeque univerſum decoctum exprimatur. Expreſſo deco-

cto sacchari pulverati quadrantem adjice; bulliatq; ex prunis igne modico, quoad sub finẽ valde exhaustũ agnoscas. Tum coquatur igne exiguo, ne in ambitu torreatur, indeque gelatinæ pravus odor accedat. Legitimè pleneque coctum intelliges, si cochleari præ lentore adhærescat. Tum ab igne deponatur, vasisque reponatur idoneis.

Modus alius.

Caput XLI.

CYdonia in minuta segmenta, citra corticis seminumque detractionem, incisa in prægrandem sartaginem cum ingenti aquæ copia statim à coctione conjiciantur, ne aëre afflata nigredinem contrahant. Cortex autem, ad odorem, utpote cydonij pars coctione longè elaboratissima; semina, ad fructus concretionem accelerandam conferunt, cum præ cæteris partibus facilius promptiusque congelentur. Tandiu igne perspicuo coquantur, quousq; ad pastæ fere consistentiam redigantur. Tum ex tela nova mundiore fortissime colentur, tum ut totæ materia exeat, tum ut ad concretionem aptissima fiat, qualis est non quę sponte primóque impetu exilit, sed quæ non citra vim exprimitur, ob insignem illius visciditatem. Isti decocto pulverati sacchari trientẽm vel paulo minus admiscebis. Hinc igne exiguo perspicuoque ex prunis bulliant, ut undique

ex

ex æquo gelatina coquatur, quam ab omni exeunte ſpuma diligenter purgabis, ut quoad fieri poterit elegantiſſima præſtetur. Ne vero aduratur, continuo lignea ſpathula verſabitur: ſtatumque coctionis identidem explorabis; ut ab igne tempeſtivè extrahatur. Ex marmore aut quadra iſtud deprehendes, ſi guttula in alterutrum effuſa dum refrigeratur concreſcat, manifeſtum integræ coctionis dabit indicium, ſi facile ſuſtollatur, & nullomodo adhæreſcat. Hac arte gelatina conflata, ſolida compactaque erit, colore, inſtar rubini, rubicundo, perſpicua pellucenſque, oculo & guſtui pergrata; diu durabilis: eamque vaſis fictilibus vitratis vel vitreis committes ad uſus opportunos.

Gelatina ex ceraſis acidiuſculis, agriotis, groſſulis rubeis & agreſta.

CAPVT XLII.

QVandoquidem de gelatinis ſermo incidit, gelatina cydoniorum per excellentiam intelligenda venit. Nihilominus tamen ex ceraſis, groſſulis rubeis (officinis *ribes*) agreſta eximiæ concinnantur gelatinæ, tum ſanis, tum ægris ſalutares.

Ceraſa acida, vulgo agriota, ſelecta maturaque, pediculis nucleiſque detractis tunduntur exprimunturque ex linteo mundiſſimo, atque etiam ex torculari. Succus figlino exceptus ſaccharo pulverato confeſtim

permiſcebitur, pro una ſcilicet ſucci libra, ſacchari triens; coquenturque in ſartagine igne exiguo quoad concreſcant, ut præmiſſum.

Accuratè autem inter coquendum deſpumata, ut ſordibus mundetur, igni in ſartaginis ambitu ſemper æquali exiſtente, gelatina prodibit elegantia, ſalubritate, colore rubeo, pelluciditate, ſapore præſtantiſſima.

Eadem arte ex groſſulis rubeis agreſtaque gelatinæ elaborantur, adiecto (ut dictum) ad quamque ſucci libram ſacchari pulveriſati triente: eaſque cum præcedente, (utpote inter omnes gelatinas longe commendatiſſimas) exiguis vaſculis vitreis vel fictilibus ad id concinnatis, includes ad occurrentes uſus, tum ſanis, tum ægrotantibus uſurpandas.

Gelatinæ huiuſmodi ijſdem quæ fructus unde prodeunt, dotibus ſunt eximiæ.

DE CONSERVIS.

Et primum de Conſerva Roſarum.

CAPVT XLIII.

CONſervæ ſunt conditorum ſpecies, de quibus breviter agemus.

Cum opuſculo cui titulus eſt, *Pharmacopœus familiaris & domeſticus cap.* 1. *tract.* 2. *volum.* 1. modum eam parandi tradiderimus, illuc recurratur.

Conſerva Roſarum liquida non ſolum cephalica, cardiaca ſtomachicaque eſt, verùm etiam calorem extraneum temperat fluxioneſque compeſcit.

Conſerva Roſarum pallidarum laxativa.

Caput XLIV.

HAc etiamnum tempeſtate roſarum pallidarum conſerva paratur, eaſdem qua præcedens conſiſtentiâ, parique ſacchari quantitate. Quod ſpectat ad eam quæ minus ſacchari admittit, tantum ſcilicet roſarum, quantum ſacchari; maiori quidem vi purgatrice pollet, ſed minus diu durat, citiuſque multo quam alia flaveſcit.

Conſerva iſthæc forma boli ab iis uſurpatur, quorum ventriculus humorum colluvie ſcatet, ita ut cibos continere non valeat: atque ab iis qui medicamenta purgantia averſantur.

Conſervæ violarum, bugloſſi, nenupharis.

Caput XLV.

COnſervæ violarum, bugloſſi, borraginis, nenupharis eodem modo quo conſerva roſarum liquida conficiuntur. Vnguium vero roſarum loco, pars vireſcens ſeu herbacea, quæ violis, nenuphari, bugloſſo & borragini ineſt, detrahenda.

Conſervæ huiuſmodi refrigerant & humectant, partium nobilium ardorem immodicum contemperant, cordique amiciſſimæ ſunt.

In conſervis iſtis liquidis cum ſaccharo parandis, fucum exquiſitiuſque artificium minime conſectati ſumus, cum primarium inſtitutum ſtudiumque noſtrum fuerit, ut dumtaxat ægrotis prodeſſent: Summis ſinceriſque votis efflagitantes, ut ſupremi Medicinæ conditoris gloriæ cedant, publicæque utilitati deſerviant.

LIBER DE VALETVDINE TVENDA,

Per rectam vivendi normam, usumque legitimum rerum ad bene salubriterque vivendum necessariarum.

Index Capitum huius libri.

I. De Aëre.
II. De Cibo.
III. De Potu.
IV. De Somno & Vigilia.
V. De Motu & Exercitio.
VI. De Quiete.
VII. De Excrementorum evacuatione.
VIII. De actu Venereo.
IX. De Purgatione menstrua muliebri.
X. De excrementorum ventris, urinæ ac sudorum evacuatione.
XI. De Animi Pathematis.
XII. Operis conclusio.

DE TVENDA VALETVDINE.

AD LECTOREM.

EX omnibus Medicinæ partibus ea quæ de valetudine tuenda agit, aliis longè præstare, tum necessitate, tum difficultate videtur, ob ingentem rerum quæ in illa tractantur multitudinem. Vt autem multo facilius incundiusque est moderato aëris salubris, alimentorumque laudabilium quæ passim occurrunt, ab arbitrioque nostro pendent usu valetudinem tueri, quam tot remedijs exoticis impensè calefacientibus, immodicè violenterque purgantibus, reique familiari ob pretium gravibus assuescere, præterquam quod maximo sunt fastidio; tametsi illorum usus in morborum curatione necessarius existat. Hac de causa præ reliquis Medicinæ partibus, ea merito præferenda, quæ verum germanumque eorum edocet usum, quaque benigno facilique regimine valetudinem sartam tectamque tutatur. Quoniam vero ingentis esset laboris omnia quæ ad hoc argumentum spectant in unum congerere, utpote quæ prolixo volumini conflando sufficerent, rem qua potero brevitate perstringam, ac velut in compendium contraham, ut

quibus sua valetudo curæ est, quæ eò conferunt maximam partem hic reperiant, ubi regulæ saltem generales præcipuaque documenta traduntur, quibus optatum illum finem assequi valeant. Si quis vero purgantia remedia suis usibus expetit, non nisi fido peritoque Medico eiusmodi in re confidat, minimè vero Barbitonsoribus, Pharmacopœis, Operatoribus, Empiricis, Circulatoribus, Paracelsistis sufflonibus, Antimonij propinatoribus, arcanorum præconibus aliisque eiusmodi medicamentorum propolis temerariisque architectis, artis quam profitentur prorsus ignaris, qui nimia magistratus licentia de corio humano impunè ludunt. Iustæ exactæque formulæ de ijs quæ ad vitam hominum conservandam necessaria sunt, ab huiusmodi imperitorum hominum ditione longissimè exulant proscribunturque. Hunc igitur, candidissime Lector, libellum grato quæso excipias animo, multis nominibus tibi profuturum, tum ad blandiorem diuturnioremque vitam, tum ad tædia vitanda, animum recreandum, variaque curiosarum utiliumque rerum, quæ ad hoc argumentum attine, supellectile instruendum.

De Aëre.

Caput I.

PArs illa Medicinæ, de qua hoc opusculo agere nobis est propositum, vulgo *Sani-*

tatis Regimen nuncupatur, constatque sex rebus non naturalibus, sic vocatis, ad rerum naturalium septenario numero comprehensarum differentiam: eæque sunt elementa, temperamenta, partes, humores, spiritus, facultates & functiones: utque à rebus præter naturam, morbo scilicet, eius causa & symptomatis distinguantur. Res non naturales vocantur, quæ nec sunt causæ, nec principia nostræ essentiæ, ceu res illæ naturales supra enumeratæ; nec temperamentum nostrum evertunt, sicut res illæ præter naturam: sed medium inter utrasque obtinent, mixto scilicet indifferentique usu. Bene utentibus enim salubres ac beneficæ: malè utentibus insalubres & noxiæ evadunt. Definiri autem convenienter possunt, *Res quæ temperamentum nostrum diathesimque nativam legitimo earum usu tuentur.* Res istæ numero senario continentur; Aër scilicet nos ambiens, cibus & potus, somnus & vigilia, motus & quies, evacuationes & suppressiones excrementorum, animi perturbationes. Aër & aqua, ut sunt corporis nostri partes, ad Physiologiam spectant, censenturque inter res naturales: sed ut extra nos existunt, aëremque ad caloris innati temperiem novorumque spirituum generationem inspiramus; aquam, tum ad humectationem, tum ad alimenti quo in dies utimur vehiculum, potamus; non naturales existimari debent. Vtrumque etiam res præter

naturam dici potest, si aëre scilicet intemperato, vel aqua putrida vtamur quoniam hoc modo nos lædunt, vt causæ morbificæ, quam ob causam ad Pathologiam pertinent.

Operæpretium autem cum sit in iis describendis, ab Aëre auspicabimur, quem continua inspiratione transpirationeque attrahimus. Quippe qui ad vitam adeo sit necessarius, ut ne temporis quidem momento eo carere possimus, cum perennem spirituum dissipationem iugiter restauret, cordisque æstuantis ardorem & incendium moderetur & temperet.

Aër ergo bifariam considerari potest, tum ut alimentum, tum ut medicamentum. Si primo intelligamus modo, sincerus, suaveolens, vel saltem omnis pravi odoris expers sit oportet, minimè putridus ac graveolens, ut docet Galenus 12. *Methodi*, *cap.* 5. His enim præditus dotibus, spiritibus generandis aptam suggerit materiam, qua ratione alimenti naturam subit: alimenti quidem nomine satis impropriè sumpto, cum spiritus, si exquisitè loqui velimus, non nutriantur, sed reficiantur duntaxat reparenturque.

Duabus igitur præcipuè causis cum tanta sit aëris necessitas, ad refrigerium scilicet spirituum, fuliginosique excrementi calori nostro puro æthereoque infensi expulsionem: in eo attendenda substantia & qualitas. Substantia quidem, ut sit salubris, qua-

tuor ornatus esse debet qualitatibus: perspicuus enim, purus, non inquinatus, omnis putredinis expers esse debet.

Aër serenus, purus, perspicuus rectèque temperatus spiritus illustrat, sanguinem attenuat, cor exhilarat, promptèque per corpus universum distribuitur. Nihil igitur est, quod hominem alacriorem vegetioremque efficiat, quam si in aëre perspicuo, tenui, salubrique vento difflato degat. Econtra aër caliginosus crassusque, spiritus obscurat, humores incrassat, corpus gravat, calorem nativum obtundendo alimentorum excrementorumque expulsionem remoratur.

Secunda aëris proprietas ea est, ut sit nitidus, hoc est purus nulloque vapore inquinatus: impurus enim, eius rei qua permistus est qualitate naturaque, cordis partiumque aliarum principum laudabilem temperiem immutat & evertit.

Tertia, ut non sit infectus aut corruptus, vel à corporibus insepultis (ut post cruenta prælia) à paludibus aquisve stagnantibus ac torpentibus, ex quibus vapores adeo pernicioſi efferuntur, ut animantia illac permeantia suffocentur; aut profunda atque opaca quapiam specu tetram exhalante mephitim, ut in aliquibus Italiæ locis; unde fit ut amœnissima illa regio, quæ Paradisi terrestris nomine gloriari utcumque posset, adeo pestilentiæ sit obnoxia.

Quarta conditio ad aëris salubris substantiam necessaria, est, ut omni vacet putredine, qualis à cloacis dimanat, à fimetis, culinis, cœmeteriis, aquisque in quibus linum cannabisve emolliuntur: qui denique nulla animantium, herbarum, leguminum, arborum venenatarum vicinia aut contage conspurcetur.

Aëris qualitas nunc expendenda venit, quæ vel à sole, vel à luna dimanat, vel à regionis situ & temperie. Sed, præter diurnum nocturnumque circuitum, quatuor anni creat tempestates, temperie inter se admodum dissimiles. Vere enim, maximè in medio extremorum, aër est calidus humidus: æstate, calidus siccus: autumno, frigidus siccus: hyeme, frigidus humidus. Eadem fere est ratio singularum diei partium, quæ anni tempestatum. Matutinum enim tempus, cum sit calidum humidum, veri respondet; cumque sanis & valentibus iucundissimum sit, sic male affectis laborantibusque, præcipuè febricitantibus, pariter admodum est propitium. Tempus meridianum æstatem refert: vespertinum, autumnum: nox denique, hyemem.

Luna etiam aërem suis quadrantibus immutat. Primus enim quadrans ab ineunte luna usque ad diem septimum, veri est assimilis. Secundus usque ad plenilunium, æstati respondet. Tertius, decrescentis scilicet lunæ, autumno. Quartus deni-

que , hyemi analogus est.

Aëris conditio ex regionis situ & temperie, quatuor anni tempestatibus aliquatenus alteratur. Nonnullæ enim regiones temperatæ sunt, aliæ æstuosæ, aliæ gelidæ, aliæ humidæ, aliæ siccæ, prout variis ventis sunt obversæ: quibus licet vis insit maxima regionum immutandi temperiem, ne tamen prolixior sim, de illis silebo.

Verum si aër consideretur, quatenus est medicamentum, eligetur interdum calidus, interdum frigidus; modo siccus, modo humidus, ex varia morborum natura. Sin autem qualis expetitur non occurrat, temperies apta illi quoad fieri potest concilianda, ut docet Galenus 10. *Methodi cap.* 8. Caliditas aëris procurabitur, si laborantis cubile meridiei obversetur, editoque loco tur conclavi, accenso ex lignis odoratis igne, cuiusmodi sunt laurus, iuniperus, cupressus, rosmarinus, pinus, abies, terebinthus; suffu- gnigiis aromaticis & suave-olentibus, quorum beneficio aër non modo incalescit, verum etiam expurgatur. Sponte refrigerabitur aër, si Septentrionem cubile spectet, loco minus sublimi, à pauciſque hominibus frequentato. Arte vero frigiditas imprimetur strato refrigerantibus herbis conclavi, quales sunt nenuphar, plantago, lactuca, portulaca, oxalis, solanum; quodque omnibus præstat, aspersо ex aqua gelida, unà cum aceto rosaceo, cubiculi solo. Aër siccus mari-

timis in locis montosisque: humidus vero in decliuibus, profundis & palustribus maxime viget. Cæterum animadvertendum est aëris mutationem quibusdam in morbis plurimum habere momenti, maxime in capitis pectorisque, ac præ cæteris in pulmonis affectibus. Quod quotidiana demonstrat experientia in iis, qui ob aliquod pulmonis vitium aërem solumque mutant, ut tradit Galenus *lib. 5. Meth. medendi*, ubi ait sibi in more fuisse phthisicos pulmonumque ulceribus obnoxios Româ ad Stabianum montem (locum prope Neapolim valde temperatum) ablegare, in quo ægrotantes lacte pariter utentes mirum in modum recreabantur, tum ratione aëris siccissimi qualis illic erat, tum plurium herbarum valde exsiccantium affatim inibi crescentium, unde eiusmodi affectuum curationi lac opportunissimum efficiebatur. Consilium istud ab Hippocrate *lib. 6. Epid.* mutuatus videtur Galenus. Ibi enim in universum ait, in omnibus morbis longis solum mutare conducibile esse.

De Cibo.

Caput II.

Solidioris corporis substantiæ reparandæ, quæ continuo perennique fluore dissi-

patur neceſſitas hominem ad comeſtionem adigit. Eam ob rem alimenta maximè conſentanea eligere debet, in tam numeroſa, qualis in hac rerum univerſitate occurrit, varietate. Vt autem demonſtravimus aërem bifariam conſiderari, ita etiam alimentum. Aliud quippe eſt quod mere alimentum eſt, aliud quod ſimul etiam medicamentum, hoc eſt quod partim nutrit, partim alterat ſpiritus vel humores qualitate quapiam prædominante. De alimento hic non agemus medicamentoſo, verum de ſimplici meroque alimento: quod nullum finem alium habet, quam ſubſtantiæ noſtræ reparationem, viriumque ad actionum integritatem neceſſariarum conſervationem. A duobus autem petitur principiis, nempe ab animantibus, & vegetantibus ſeu plantis.

De alimento à plantis mutuato illud in genere pronunciandum, longè minus nutrire, quam quod ab animantibus deſumitur, pluſque excrementi, quam alimenti ſuggerere, ſi ſiliginem, hordeum aliaque cerealia unde panis conficitur excipias: cum ex Galeno plurimum copioſumque nutricatum ſuppeditent. Quod de pane maximè intelligendum, qui ex optimo ſucculentoq; tritico elaboratur: ſin minus, plus ineſt excrementi ob furfuris copiam, quam alimenti.

Secundo opus eſt ut ſit puriſſimus, pauco admiſto furfure, probè fermentatus, rite ſubactus, caloreque moderato excoctus. De

pane huiusmodi loquuntur Galenus & Alexander Aphrodisiensis *in problematis*, dum ait, præ omnibus eduliis plurimum alere; ob idque Homerum præcipere, famelicis panem præcipuè offerendum, cui nimirum succi nutritij plurimum insit. Ipsemet Aristoteles *problem.* 13. *sect.* 21. sic intellexisse videtur, dum ait homini panem nunquam fastidio esse, quoniam triticum ut peculiare edulium homini concessum est, quod plurimum enutriat. Vt autem triticimu lta sunt genera, sic ingens varietas conflati inde panis exurgit, tam materiæ, quam præparationis ratione. Panis ex siligine, aliis omnibus præstat, multumque alit. Alij non æquè, cuiusmodi sunt furfuraceus, secalinus, miscellaneus, hordeaceus, auenaceus. Ex panibus, quibus Parisini victitant, *panis capitularis* vulgo dictus cæteros antecellit; dein panis quem vocant *à la mode*: panis molliusculus, Gonetianus, civicus seu cibarius. Omnium pessimus est *panis reginæ* vulgo nominatus, multis de causis. Primò, quia panis azymus est insalubris, cum ægrè concoquatur obstructionesque pariat. Panis tantillum salitus, non salito melior, ob saporem & gratiam. Qua in re Lutetiæ multum peccatur, ob salem pani non admistum, cum plurimi inde morbi, quibus multitudo conflictatur, procreentur. Nec abs re una ex primariis causis, cur Parisini præ cæteris orbis nationibus calculis renum ac vesicæ

adeo sint obnoxij, illinc peti potest, quod panem salis expertem esitent, ipsomet astipulante Galeno de vi eiusmodi causæ.

Panis recenter ex furno extractus adhucque calens noxius admodum est, tam ob coctionis difficultatem, quam quia ventriculum inflat, obstructionesque in tota aluina regione ingenerat.

Panis pridem coctus, improbandus etiam si quartum quintumve diem excedat: quia difficulter conficitur, quia aridus saporisque expers, unde facetum illud ex trivio adagium, *Ovum unius horæ, panis unius diei, vinum unius anni, &c.*

Panis medulla melioris est succi, facilioris que coctionis, quam crusta, quæ aridior est: unde laudandi veniunt, qui summam panis crustam cultelli acie excutiunt; tametsi crusta non adeo sit improbanda, ut aliqui autumant, utpote quæ ventriculo calorique valenti, quali robustiores abundant, valde conveniens sit cibarium.

Huc dulciarium omne panificium referri posset, quod in genere pravum est edulium, si biscoctum panem excepperis, cum nulla sit ex huiusmodi cupediis quæ noxa vacet. Inter eas sunt farcimina, placentæ, rhyemata, itria, sexcentaque id genus mellita, saccharata, lactaria, ovata panificia, ventriculo hepatique infensa, cum manifestissimè calefaciant, obstruant, viscera que offendant. Plura de pane attexere nobis

nobis esset perfacile, sed summa illa delibasse capita impræsentiarum sufficiat.

Exacto breuiusculo tractatu, de pane, qui ex aliis atque aliis frugum generibus componitur, quique præstantissimum alimentum est quod à plantis decerpitur, nonnulla de fructibus herbisque perstringenda sunt: duo enim ista institutæ præiactæque divisionis postrema membra sunt; alimento in genere diviso in id quod ab animantibus, & quod à plantis desumitur.

De fructibus hoc in universum affirmari potest, multum scilicet humectare & refrigerare, modicum nutrire, alios tamen plus, alios minus.

Fructus prope omnes qualitate aliqua prava laborant, flatus generant, parumque sunt commodi, præterquam à longo itinere fatigatis & percalefactis. Verum plurimum obsunt affectibus ab obstructione natis, febribusque putridis. Ex fugacibus fructibus, quique facile corrumpuntur, humidiores eligendi, primisque dapibus præmittendi. Eiusmodi sunt pruna, cerasa, mora, persica, uvæ. Solidiores vero qui magis astringunt, necita promptè putrescunt, postrema mensa sumi debent: inter ea sunt cydonia, pyra, amygdalæ, castaneæ, nuces & avellanæ.

Certissima regula est & pro canone stabilienda, omnes arborum fructus qui igne percoqui possunt, pravum fere succum pro-

creare si crudi vorentur. Quod ipsemet Galenus in seipso adhuc iuvene, non citra incommodum, expertum se fuisse profitetur, morbisque continuo fuisse obnoxium, dum fructus esitavit crudos; postquam vero ab iis temperavit, sanum valentemque deinceps deguisse.

Meo quidem calculo, cerasa uvæque apianæ, vulgo moschatæ, bene maturæ primam inter fructus laudem merentur, si modo tempestivè moderateque usurpentur: hinc pruna damascena, grossulæ rubræ, Officinis *ribes*; fraga, poma matura, maximè renetiana, curtipendula, calvillea, mala armeniaca, persica, nuces.

Melones, cucumeres, citrulli aliquo modo biliosis conferunt: plurimum enim refrigerant & humectant. Verùm succum crassum, frigidum coctuque difficilem generant. Ob id ventriculo hepatique fervidioribus biliosisque potius conveniunt, quam aliis contrario temperamento præditis, quibus penitus sunt insalubres. Platina *in Pontificum Romanorum historia*, scribit Paulum II. hora ab occasu Solis secunda, apoplexia correptum protinusque suffocatum, cum solus in conclavi staret, neque die prægresso, de ullo conquereretur incommodo. Eius tam repentini interitus nulla alia deprehendi causa potuit, quam quod vltima cœna duos ingentes melones devorasset. Id anno 1471. contigit. Perillustris Curiæ Parisiensis

Præses Augustus Thuanus, *tomo 2. elegantissimæ Historiæ*, sub Carolo IX. narrat Antonium Goueaum, Poëtam ea ętate non incelebrem, magnum Philosophum, Iurisperitum clarissimum, Taurini obiisse anno 1565. ex immodico melonum usu, calore nativo ab illorum frigiditate humiditateque suffocato. Non paucos Imperatores summosque alios viros idem excessus è medio sustulit. Munsterus *in Chronologia* scribit Albertum Austriacum Germaniæ Imperatorem ab itinere Hungarico defessum, melonem sedandæ sitis gratia comedisse, hinc in dysenteriam incidisse, qua 27. Octobris anni 1439. è vivis ereptus est. Eodem fato duo alij Imperatores occubuerunt, Fridericus III. & Henricus VII.

Cardanus ait huiusmodi fructus tribus de causis esse eliminandos ac proscribendos. Primò, quia immodicè refrigerant. Secundò, quia plus iusto humectant. Tertiò, quia quam facillimè in ventriculo corrumpuntur. Cardano non invitus subscripserim, obiterque hic adnotaverim, melones ventriculo frigido humidoque plurimum adversari, germanumque noxæ ab usu melonum impendentis antidotum, esse vinum dilutum, dummodo hepar non sit impendio calidum, obstructionibusque opportunum. Vinum porro sincerum merumque à fructibus sumptum, quamplurimas cruditates in venas rapit, easque infarcit, unde non pauci

postmodum morbi procreantur. Proinde perperam illi agunt, graviterque in proprium peccant caput, qui ab immodica melonum cucumerumve ingluvie, indemnes se præstare confidunt, si merum largis propinent haustibus, ad concoquendum digerendumque (ut aiunt) ingestos cibos, cum aliàs vinum immoderatè sumptum à ventriculo quicquid incoctum occurrit, abripiat, statimque grauiorem obstructionem ingeneret. Vnusquisque ideo ventriculi temperiem potentiamque explorare debet, illique consentanea dignoscere, non autem præfidenter eius abuti obsequio, illorum pravo exemplo, qui ventriculi roborandi obtentu susque deque, nullo ordine, omnis generis sese ingurgitant cibariis, ab eorum noxa egregie sese vindicare rati, si copiosioribus largioribusque vini generosi poculis, Helvetiorum more, indulgeant, unde hepar, pulmo, cerebrum partesque aliæ exardescunt labefactanturque: hincque hydrops, apoplexia, arthritis, catarrhi sexcentaque alia pernicioſa cooriuntur symptomata, quibus ingruentibus ad Medicos confugere identidem coguntur, ab illorumque auxilio pendere; præcipitique ut plurimum fato abripiuntur, nec illorum ætatem attingunt, qui intra temperantiæ limites se continuere.

Pyra, cydonia, mespila, cornecla, sorba ab hominibus sanis non nisi post epulas esi-

tari debent, modicaque quantitate; ut astrictoria facultate ingestos cibos deprimant, ventriculumque cogendo coctionem iuvent, superhausto demum aquæ cyatho.

Ex fructibus, qui è Prouincia ad nos deferuntur, malum citrium præ cæteris commendaverim, cardiacisque quibusvis præsidiis officinalibus antepoſuerim, cardiacis inquam nomine potius quam re: ideoque pretio immenso væneunt, quod per mare, per terras ad nos convecta sint. Verumenimvero si ingenue liberéque loquendum sit, in omnibus morbis malignis, febribus putridis pestilentibusque certius auxilium ab aliquot malis citriis vel limonibus, quam ex universo Orientis Bezoardico lapide, expectandum est, qui revera aliud non est quam lapis factitius, à Iudeis Constantinopolitanis aliisque impostoribus fabrefactus, morborum curationi prorsus ineptus, indignusque qui in medicamentorum censu annumeretur. Theriacam Mithridatiumque præ malo citrio etiam minimi facio, licet utraque hæc opiata adversus venena passim ab Empiricis Circulatoribusque velut efficacissima super astra extollatur. Tametsi huiusmodi merces vendentium loculis ære implendis, visceribusque credulorum ægrotantium inflammandis duntaxat inserviant.

Quod in dies oppido verissimum elucescit, cum nullus sit (nisi ex iis qui in huius-

modi medicaminum mercimonio quæstuque suas res augere moliuntur) qui affirmare sincerè valeat vllum unquam à Theriaca vel Mithridatio in quopiam epidemico, maligno aliove morbo levamen sensérit: quin potius ingentem æstum, sitim, capitis dolorem aliaque molestissima symptomata à calore immodico alterutrius ex istis confectionibus inducta. Quæ etenim nunc temporis Theriaca elaboratur, non solum Lutetiæ, Lugduni, Mompessuli aliisque Galliæ locis, sed & in Germania Italiaque, imo (audacter dico) in toto orbe Christiano, iis viribus neutiquam pollet, quibus Theriaca à Galeno tantopere decantata: tum ob plurima nobis penitus ignota simplicia quæ Theriacam ingredi debent, aliorumve plurium penuriam: tum ob negligentiam, imperitiam avaritiamque artificum. Reges enim Imperatoresque suis olim sumptibus Theriacæ conficiendæ prouinciam suscipiebant, omni alio negotio curaque postposita: eamque postmodum populo laboranti, prout affectus exigebat, ex Medicorum consilio dispertiendam curabant, ut innuit Galenus. Hic plura non addam, longè prolixius de ea alibi acturus, ubi demonstraturus sum adversus morbos pestilentes huiusmodi compositiones, nedum utiles esse, quin potius noxias. Ad interruptum de malis citriis sermonem redeamus, experimentisque confirmemus (modo probandi certissimo po-

entissimoque, fructum hunc virtute cardiaca strenuiore ornatum esse quovis alio sive indigena, sive peregrino medicamine. Duorum reorum quibus aspidum virus officere nequicquam valuit, ob præmansa mala citria, satis commonstrat, quo loco fructum hunc habere debeamus, præ Theriaca, Mithridatio, Bezoardico lapide, cornu Monocerotis, aliisque Arabicis mercibus, omnis facultatis cardiacæ expertibus, ab iisque tantummodo iactatis, qui res suas ex illis agunt. Historiam autem, quia verissima elegantissimaque est, ex Athenæo *lib. 3. Deipnosophist.* hic exscribam. *Prædonibus igitur paratum theatrum ingressuris caupona quædam mulier, eorum misserata, utrique malum citrium edendum in via tradidit. Hi postea horrendis crudelissimisque animalibus proiecti & ab aspidibus percussi, nihil denique passi sunt. Dubius fuit dudum sanè princeps, atque militem eorum custodem si quid edissent vel bibissent interrogavit. Vt verò citrium illis traditum eodem die fuisse cognovit, huic postero die citrium dari, illi autem nequaquam iussit. Is demum qui citrium prius comederat, nihil rursus passus est, at ille morsus statim interiit.*

Huic & aliam attexam historiam non ignobilem. Theopompus *lib. 38.* ait Clearchum Heracleotam Regem Ponti veneno quamplurimos necasse, plures perempturum, si citrio bonis avibus ceu antidoto non se præmuniissent; supra scriptæ historiæ à fidelissi-

mis graviſſimiſque authoribus depromptæ manifeſtiſſimè docent, citria præſtantiſſima eſſe cardiaca, longe cuivis aliorum farragini præferenda, quæ in cardiacorum album impudens Arabum ſuperſtitio (ne dicam quæſtuoſa negotiatio) referre molitur, virtuteſque occultas ſpecificas arrogat, quæ meræ otioſorum hominum nugæ ſunt figmentaque chimærica, ab iis in Medicinam, in artis ſanctiſſimæ nobiliſſimæque dedecus, publicamque iniuriam, ægrotantiumque perniciem introducta.

Cæterum malum citrium mixtæ eſt temperiei, propter partium heterogeneitatem. Cortex calidus & acer eſt, iuſtam excedens temperiem; ſecundo gradu ſiccus. Semen ſiccum eſt & aridum, ita ut tertio exſiccantium ordine numerari poſſit. Caro ſubſtantiaque craſſior, frigida & humida eſt. Odor quovis tempore ſuaviſſimus eſt, putredinemque ac corruptionem arcet. Qui plura de admirandi huius fructus virtutibus expetit, videat Matthiolum *cap.* 31. *lib.* 1. *Commentar. in Dioſcor.* Dalecampium *lib.* 3. *hiſtoriæ plantarum*, *cap.* 5. Plinium *lib.* 12. *cap.* 3. *hiſtor. natur.* Theophraſtum *lib.* 4. *cap.* 4. *ſub finem hiſtor. plant.*

Mala punica, aurea, limones, ponceria ad mali citrij facultatem proximè accedunt, illiuſque vim cardiacam æmulantur, cum valenter etiam putredini, venenis, peſtilentiæque, partium principum cuilibet

imbecillitati, cardialgiis, obsistant, ut author est Fernelius *libro* 5. *methodi*, *capite* 21.

Cappares & olivæ satis ægre concoquuntur, in hoc laudandæ, quod appetentiam excitent, ventriculum sua aciditate corroborent.

Avellanæ atque amygdalæ temperatæ fere sunt, & inter bellaria non improbandę.

Pineoli & pistacia nonnihil calefaciunt, sed hepar debile utcumque roborant.

Castaneæ sanguinem crassum procreant, flatus generant, alvum constringunt, nec facilè coquuntur.

Omnia legumina quibus passim utimur, non admodum laudanda. Fabæ flatuosæ sunt, sensus perturbant, crassioris sunt succi, difficilis coctionis, pauci nutrimenti.

Pisa ad fabarum accedunt qualitates, aliquanto tamen deteriores. Pisa porro acerbius insectari non libet, cum res notissima sit, primariis mulieribus pisa viridia in deliciis esse, huiusque vrbis Medicis id non esse detrimento.

Cicera paulo copiosius nutriunt, renesque facultate diüretica exonerant: eaque de causa conferre censentur renum calculo obnoxiis. Satius tamen est non nisi parcissimè uti, nec citra Medici consilium; cum ex eorum indiscreto usu non pauca nec levia

exoriri possint symptomata, perinde ut ex quovis alio diüretico medicamento intempestivè sumpto.

Lentes non nisi ægre conficiuntur. Ventriculum, caput, nervos, pulmonesque lædunt, succum crassum & melancholicum generant, alvum cohibent, pauci sunt nutrimenti. Error certè abususque est non ferendus, iampridem à mulierculis agyrtisque in Medicinam intrusus, huius leguminis decocto puerilium exanthematum virus è centro in corporis ambitum expellendi facultatem tribuentibus. Commentum istud ex Arabum prodiit officina, ut sexcenta alia de qualitatibus specificis: quandoquidem quampiam huiusmodi facultatem in quolibet alio medicamento deprehendere non licet, nedũ in aquis quas cardiacas vocant; nec in Bezoardico lapide, nec in Monocerotis cornu; puris putis decipulis ad plebeculã inescandã. Tantum abest, ut eiusmodi vis lentibus insit, qua aperire, corpusque febre ęstuãs putridaque materia infarctum refrigerare ac ventilare valeant, quod in exanthematis necessarium est: quin potius poros meatusque obstruũt, quibus putredinis in corpore contentæ exhalatio dissipatioque fieri posset. Certè si præsidium ullum exanthematum eruptioni, putridæ virulentæque materiæ, unde pernicioſus adeo affectus fovetur, expulsioni opportunum reperiatur, phlebotomia dubio procul est, tempestivè celebrata,

maximè antequam aliquid in cutem erumpat : tametsi persæpe à pustularum eruptione necessaria etiam esse possit. Verum ex prudentis peritique Medici arbitrio decerni debet divinum istud præsidium, ex ægri viribus, symptomatumque conditione toties iterandum, quoties è re esse videbitur, sive ineunte, sive vigente morbo: nequaquam vero ex sententia aut libidine Pharmacopœorum, seu potius pharmacorum pocillatorum, muliercularum, circulatorum, ignarorumque empiricorum, qui omnes salutare istud auxilium increpaturi sunt, ut suam bezoardicam mercem introducant, ex Arabum barbara exortam colluvie, mentitis nixam experimentis, nullo evidenti firmatam eventu, imo exhibentium dedecore, utentiumque detrimento infamem. Qua enim (amabo) vi humoris in exanthematis morbifici excretioni lentes efficaces esse possunt? Responsuros agyrtas præsumo, sudoris provocatione id contingere, pustularumque vnà cum sudore eruptione. Gratis vero id dictum, perinde ut absque ratione celebratum remedium. Primo quidem lentes quoquo modo exhibeantur, sudorem per se ciere nequeunt, cum sint temperamẽti remediis sudorificis penitus cõtrarij: quod tum ratione, tum experientia, veritati consentaneum deprehenditur. Secundo, quod nullo modo ex artis regulis morborũ huiusmodi initio sudorifica propinare liceat, cum

crudi plane sint humores, nullaque salutaris evacuatio tum fieri possit: ineunte quippe morbo nulla unquam crisis laudabilis contingit. Præterea impostores illi, vel ratione, vel experientia probare deberent, medicamenta quæ sudorem extra corpus dispellunt, eodem tempore & impetu coniunctam exanthematum materiam exigere. Quod nequaquam prestabunt, quia ex eodem loco sudor humorque morbificus non prodeunt, cum præsidiorum calidiorum vi ille accelerari valeat, hic vero nunquam nullave arte; quippe cuius excretio à caloris nativi beneficio omnino pendeat, quã ex virium modulo in ægrotantis commodum quoad valet, emolitur. Lentes sunt pravi succi, paucum sanguinem generant, eumque melancholicum, frigido siccoque sunt temperamento, cum astrictione multa; unde falsa Arabum eorumque sequacium opinio manifestissimè arguitur, qui ad faciliorem exanthematum eruptionem lentes conducere existimant. Præterea, primum (ut aiunt) lentium ius alvum laxat, secundum vero constringit. Neutrum autem exanthematis propellendis prodesse valet, cum à corporis ambitu ad centrum primi iusculi virtute attrahantur humores per alvum secessuri: secundo incrassentur, intimisq; in corporis partibus magis impingantur, unde multo ægrius prodeunt, quin potius novo damno ęgros afficiunt, obstructiones augendo, vasaque implent quæ

inanienda forent. Denique si lentes succum crassum ac melancholicum procreent, si sint flatuosæ, qua de causa capitis dolores vertigineſque, convulsiones, epilepsiasque interdum commovent, ut ab Autoribus obſervatum est; quis asserere audeat exanthematum excretioni posse esse commodas, quæ facilius promptiusque Chirurgi scalpello obsequitur, eliciturque, modo opportune id fiat; quam ulla medicamentorum, ab empiricis circulatoribusque administratorũ farragine atque colluvie quæ à distantissimis exportari regionibus deprædicant, ut splendidius venundentur? Valeant procul que hinc abeant huiusmodi technæ, procul lentium perversus superstitiosusque usus.

Oryza hordeumque mundatum præstantissima sunt omnium leguminum, quoniam plus nutriunt, minusque excrementitia sunt. Vtrumque modice astringit stomachum roborando, nec ægre concoquuntur.

Opportunissimus hic locus foret de fungis agendi, si modo id mererentur. Verum cum nulla illis insit laudanda facultas, Lectorem duntaxat monebo, iure meritissimo idem de illis, quod de cucumeribus dici posse, probè coctos, egregie condîtos, bellè versatos, ad aliud commodos non esse, quam ut è fenestra foras non gustati projiciantur; vel quod de caseo dicitur, optimum esse deterrimum, nulliusque utilitatis. Plinius fungos satis luculenter sugillat *lib. 22. cap. 23.*

In earum rerum censu quæ à mensis ablegari prorsus debent, fungos non iniuria reposuerim.

Agrippina Imperatrix fungos infamavit, illis ad Claudium Imperatorẽ coniugem filiumque Neronem eius loco sufficiendum abusa: fungis enim voratis, aliis mox, urgente fato, aditus præclusus est eduliis. Clemens VII. Pontifex Maximus, è Medicæa familia, fungorum tantus erat helluo, ut in singulas cœnas plenum fungis discum voraciter exhauriret. Edicto quippe per universam ditionem sanxerat, ne ullus fungos, præterquam ad eius mensam palatumque, legeret. Breve namque intra temporis spatium fatis concessit, illiusque obitus docuit, quantum prava diæta humanæ vitæ carceres contrahat. Nec solum in fungorum esu Pontifex ille nimius erat, sed & immodicè effrænateque meloni-bus indulgebat. Eam ob rem Curtius cubicularius illius Medicus, eruditissimus licet peritissimusque, ab interitu vindicare eum non valuit, qui anno 1534. contigit.

Non me latet, fungos distingui in venenatos, & non venenatos. Sed isthæc diuisio non valet, quandoquidem optimæ etiam notæ fungi mensæ apponi prorsus non mereantur. Hoc edulij genus Coquorum arte adinventum concinnatumque, herili palato delicatioribus mollioribusque huiusmodi obsoniis patrocinantium. Hac admonitione præmissa caveat qui voluerit.

Tubera, quæ Plinius ait à tonitru gene-

rari, Plutarchus à pluvia; Galeni testimonio sunt succi deterrimi, & à substantia terrena crassi ac melancholici. Ventriculũ oblędunt, apoplexiam & paralysim, ingentes coli cruciatus ob indigestionem inducunt. Tubera porrò porcis potius saginandis, quam hominibus alendis esca commodissima sunt.

Passim in Gallia bulbosa nunc temporis succrescit radix, vulgo *Toupinambous* vocitata à natali solo; quam *Chrysanthemum tuberosum Indicum* indigitare liceat, de qua idem quod de tuberibus sentiendum, utpote quę omnino cum tuberibus quadret. Vertigines quippe, capitis dolores, sitim, cruditates flatusque generat. Itaque author hic sum, ut barbarum istud edulium iis relinquatur, qui eo usque insaniunt, ut non nisi exoticis pascantur. Valeat ergo radix illa peregrina, cum aliæ longè salubriores iucundioresque nobis in promptu sint.

Fructuum tractationem herbæ consequuntur. In genere omnes herbæ parum alunt, facultatibusque alterantibus potius insigniuntur, quàm alimentariis. Calefaciunt enim, refrigerant, humectant, exsiccant; obscure vel manifestè; sive in decoctis, sive in acetariis, sive quovis alio modo. Præcæteris herbis Galenus lactucam extollit, ceu succo alibili admodum refrigerante prædi-tam. Illius calculo aquæ fontanæ frigiditatem humiditatemque æquare videtur. Inde sitim sedat, seminis fluxum cohibet, partes

genitales apprime refrigerando somniis pollutionibusque nocturnis adversatur (ideo venereo percitis œstro commodissima) somno conciliando singularis.

Post lactucam in refrigerantium herbarum serie numerantur oxalis, cichorium, portulaca, spinacia, quæ in usus quotidianos non insalubriter usurpantur.

Inter calefacientes herbas recensentur cinaræ, raphani, asparagi, lupulus, nasturtium, petroselinum, fœniculum, eruca, salvia, hyssopus, thymum, sathreia, pimpinella, costus, allia, cæpæ, porri, quibus non nisi parcissimè utendum.

Antequam huic de herbis sermoni coronidem imponamus, & de carnibus disserere aggrediamur, aliqua de iis quæ condiendis servandisque carnibus inserviunt prælibanda sunt.

Mel calidum est & acre. Saccharum proximè accedit, tantillo minus calidum, & siticulosum, iucundius, ventriculoque familiarius.

Sal calidus est & siccus, perinde ut omnia aromata, maximè zingiber, piper, caryophylli, nux moschata, cinnamomum.

Sinapi calidissimum est & sicciſſimum.

Oleum olivarum temperatum est, hoc est, ex calido frigidoque æquabiliter mixtum.

Acetum ambigui est temperamenti. Quatenus acetum, frigidum est. Quatenus ex corrupto

corrupto confectum vino, gradus aliquos caloris retinet, qui aceti acrimonia detegunturFrigiditas tamen caliditatem superat. Præterea exsiccat admodum, appetentiam promovet, ventriculum roborat, obsoniis acetisque quibus admiscetur saporem conciliat.

Vvarum acerbarum, vulgo agrestæ succus, seu omphacium aceti facultatem utcumque æmulatur; ast nullo modo calefacit, constringit magis. Eapropter perperam illi agunt, qui senam in agrestæ succo seu omphacio macerant: quia cum qualitate sit astringente, senæ vim purgatoriam retundendo imminuit, quæ in aqua pura infusa validior esset. Aqua etenim cum simplex sit liquor, omnisque alienæ qualitatis expers, præ omnibus aliis liquoribus purgantium in ea maceratorum vim melius prolicit. Cæterum condimentis iusculisque omphacium immiscetur, saporis, refrigerationis sitisque sedandæ gratia.

Alimentum quod ab animalibus petitur, ad carnes & ova reducitur.

Caro vel ex piscibus, vel volatilibus, vel gressilibus desumitur.

Ex piscibus saxatiles, qui circa scopulos cautesque degunt, Galeno *lib.* 3. *de aliment. facult. cap.* 28. maximè commendantur.

Marini fluviatilibus præstant, fluviatiles iis qui lacustribus stagnantibusque gaudent aquis, piscium omnium ideo pessimis.

In genere masculi feminis meliores, iuniores (non tamen omnino pusilli) vetustioribus. Vulgare enim adagium non moror; *caro iuvencula, piscis vetulus.*

Pisces omnium optimi sunt, trutta, lucius, solea, rhombus, plica, rubellio, barbuta; hinc quadratulus, alausa, cyprinus, scombrus, perca, raïa, anguilla. Tinca, ostrea, mituli, testudines, gammari, limaces, difficiliotis sunt coctionis, ventriculum gravant, ideo in ultimo bonitatis gradu locantur.

Pisces vel elixi, vel frixi, vel assi manduntur. Elixi minus boni sunt, ob nimiam qua abundant humiditatem (quæ in aliis atque aliis maior minorve est) quæ huiusmodi præparatione adaugetur. Frixi meliores, utpote minus humidi. Assi optimi, quippe siccissimi Inter duos discos percocti, improbi, cum multas procreent cruditates: Imo ferunt venenatos evadere: facile enim in ventriculo corrumpuntur, lentaque colluvie illum oblinunt, sitimque validam inducunt.

Circa volatilium animantiumque gressilium carnes, in iis eligendis multa in universum expendenda sunt. Primum, *ætas*; iuvenilis enim vetulæ præeligenda, non tamen recens natorum: Vetulorum enim animalium carnes modicum nutriunt, nimiaque siccitate non nisi ægrè conficiuntur. Quamprimum autem natorum perexiguum corpori suggerunt alimentum, alvumque lubricant, utpote succo mucoso excrementitio-

que ſcatentes. Secundum *nutricatus* ſeu *pabulatio*. Animalium enim carnes, quæ probè aluntur, præſtantiſſimæ ſunt ac ſuaviſſimæ. Tertium, *locus moduſque educationis*. Animantium quippe in montibus paſcentiũ carnes perfacile coquuntur, ſecus aliæ, ceu paluſtribus in locis altorum. Carnes animalium domeſticorum cicurumque carne ſunt molliori, magiſque humectant: contra ſylveſtrium ferarumque; duriori ſicciorique. Quartum, conſiderandum an caſtrata, vel ſecus. Caſtratorum enim animalium caro iucundior, ſaporiſque minus ingrati, quam non caſtratorum: horum namque caro hircũ olet pravique eſt odoris. In ſpecie vero volatilium caro minus alit, quam quadrupedum, licet facilius conficiatur. Inter eas prima laus perdici montaniſq; avibus debetur: hinc ruſticulæ, merulæ, columbæ, phaſiano, quibus pulli gallinacei caponeſque adiungendi. Pavonum caro ultimo locatur ordine, velut viliſsima.

Animaliũ quadrupedũ carnes multas obtinẽt differentias, varieq; ex neceſsitate uſuq; multiplici eliguntur. Sapore & ſucco nutritio capreoli, agni, veruecis, vituli, præ aliis ſunt eximiæ. Caroſuilla multum potenterq; nutrit, ſed validum deſiderat ventriculum, cum non niſi ægerrimè conficiatur. Suillam carnem valde commendat Galenus, eamque aliis omnibus præfert. Caro bubula paulo craſsior eſt ſuilla, ideoque plus ſucci melan-

cholici ingenerat. Ovilla caro bubulam sequitur, utpote deterior: hanc caprina, omnium deterrima, cum pravum vitiosumque sanguinem procreet.

Præterea, quod attinet ad nutricatum qui ab animalibus nobis sufficitur, non modo animalium delectus habendus, sed certarum in iis partium. Qui enim copiosum sanguinem generare cupiat, partes eligat carnosas: qui corporis molem augere, viscidas. Multiplex etiam est carnium apparatus. Elixantur, assantur, friguntur. Sed sciendum imprimis est, si exsiccandum sit, carnem assam præferendam elixæ: si humectandum, elixam; quæ ad promptam etiam conducit refectionem, ut in extennatis convalescentibusque. Ex carnibus enim elixis iusculum conflatur; quod citra ullum masticationis negotium sorbetur, facile alteratur, promteque per corpus distribuitur, satisque nutrit, cum ex Galeno 3. *de aliment. facult.* elixæ carnis vis omnis in iusculum migret. Vnde Aristoteles affirmat humore alieno carnes elixas humescere, non autem nativo ac substantifico, qui à iusculis elicitur.

Ad cibariorum pręparationem utcunque etiam pertinent, quæ illis condiendis admiscentur. Verum quoniam fere cibi temperamentum immutant, eumque aliquatenus medicamentosum efficiunt, de his agere supersedebo, præterquam de sale, ob saporem cibis omnibus admiscendo. Exacto de pisci-

bus, volatilibus, animalibusque terrestribus tractatu, de ovis aliquid subdendum, quorum optima sunt gallinacea, phasianorum, perdicum; anserum vero pessima. Debent autem esse recentia. Sciendum porro in genere tremula & sorbilia præ cæteris facilius coqui & digeri: dura ægrius. Præterea, si alvum ex ovorum usu laxandi sit propositum, sorbenda esse: à quibus tamen ob nimiam cavendum dulcedinem, Galenus *comment. in* 1. *acut.* monet, ei qui vomitui obnoxius fuerit.

Ovorum pręparandorum ratio multiplex admodum est. Cum testa enim & sine testa coquuntur. Si cum testa, in aqua elixantur, sub cinere coquuntur, aut inter duos discos. Si absque testa, vel in aquam ferventem immerguntur, vel suffocantur coquunturque ex butyro, vel in sartagine friguntur. Ova tremula ferventique aqua excocta omnium præstantissima, à quibus omphacio diluta, continuoque inter coquendum ex cochleari versata non illaudanda. Sub cinere vero percocta frixaque pessima: stomacho enim gravia sunt, ructus cient, non nisi difficulter coquuntur, cibos corrumpunt, sanguinem vitiosum generant, tetros ad palatum ac cerebrum vapores emittunt.

Præter ova, ab animantibus alia etiam mutuantur; lac scilicet, butyrum, caseus, sanguis, betuli, hilla, &c.

Lactis temperamentum, animalis unde

mulgetur varia temperie varium etiam est. Lac in universum tribus constat substantiis; aquosa & liquida, ex qua serum: crassa & terrea, ex qua caseus: pinguis & oleosa, ex qua butyrum componitur, Quæ tres substantiæ peculiariter variant, pro animantium lac suggerentium varia specie. Lac vaccinum plus habet butyri, unde copiosius nutrit, minusque refrigerat. Ovillum plus casei, ideo minus bonum. Asininum omnium serosissimum, qua de causa ad refrigerandum humectandumque convenientissimum est. Caprillum medium locum inter omnia lactis genera, & in omnibus dotibus medium est, coctionis scilicet facilitate succique alibilis probitate.

Butyrum nonnihil calefacit, parum nutrit, sed laxat, mollit & lenit.

Caseus improbi est succi crassioriſque, ideoque facilè obstruentis, difficilis coctionis; maximè infensi iis qui renũ calculo sunt obnoxij. Saluberrimum itaque fuerit à caseo abstinere, vel saltem parcissime, à postremisque epulis uti. Secus sumptus stomachum gravat, coctionem interpellat, flatus, obstructiones aliaque multa parit incommoda, qualia superiora, ut adagium verissimum sit.

Caseus ille bonus, quem dat avara manus.

Sanguis omnis ægre coquitur & parum nutrit. Sanguis quo crassior, eo periculosior, cuiusmodi est bubulus.

Circumforanei Agyrtæ Empiricique miras nonnullarum animantium sanguinibus facultates arrogant, sed utplurimum commentitias frustraneasque. Galenus non inficiatur, aliquot esse certis in Medicina usibus accõmodatos, ceu Dioscorides nonnullique alij ex veteribus ante Galenum scripserant. Apertè tamen profitetur, se proprio deprehendisse experimento, maxima ex parte eorũ quæ de his iactabantur, falsa fictitiaque esse. Vt exempli gratia noctuæ sanguinẽ ebibitũ ad asthma valere: Vespertilionis, puellarum mammas impedire ne excrescant, ut & pilos, ea in parte ubi applicitus illituſve fuerit. Fictitium pariter est, quod de agni venditatur sanguine, epilepsiam scilicet curare: quod de ranarum viridium sanguine, palpebrarum cilia ne renascantur prohibere: turturis & columbæ, cranij fracturis opitulari: galli gallinæve, stillantem è cerebri membranis cruorem sistere: crocodili terrestris, visum exacuere. Sed hæc omnia gerris Siculis vaniora.

Erroneum etiam & plusquam anile commentum, quo Circulatores Empiricique de hirci sanguine iam pridem deblaterant, eum videlicet lapidem in vesica existentem confringere. Sed longè magis miror Iulium Cæsarem Scaligerum, virum alioqui gravissimum, vesanæ huiusmodi opinioni suum calculum porrigere, *Exer-*

cit. 344. *adverſ. Cardan. num.* 8. ubi de leporis ſanguine idem aſſerit. Verum excuſandus vir ille maximus, Philoſophicis in rebus, quam in Medicis longè doctior, in quarum operibus, & ut aiunt praxi, ſæpe hallucinatus eſt : exiſtimoque de illo re vera dici poſſe, quum mirandas præſtitas à ſe curationes deprædicat, quod de quopiam vetere Medico optimus ille ſenex Gordonius dictitabat, *multos ab illo quidem ægros curatos ; eo tamen morbo, de quo tam gloriosè triumphabat extinctos :* cum ipſe (Scaliger inquam) falſiſsimis periculoſiſsimiſque de morborum quorundam curatione opinionibus adhæſerit.

Aiunt nonnulli, cervi & vulpis ſanguinem veſicæ calculum conterendi vi pollere. Hîc autem Lectorem rogatum velim, ne tam turpiter decipi circumveniriique ſe patiatur, neve credat ulla eſſe in toto terrarum ambitu præſidia, quibus huiuſmodi inſit facultas. Ex fruſtratis Empiricorum experimentis opinionis noſtræ fides eluceſcit, quorum notiſsima exempla proferre perfacile foret, ſi modò exſpatiari liceret. Si materia hujuſmodi, qualis eſt prædictorum animalium ſanguis, ea proprietate ornata eſſet, calculoſis male conſultum eſſet operationis Chirurgicæ tormento ſeſe ſubdere

non citra manifestum vitæ periculum, cum isthæc præsidia ita sint parabilia & ubique ad manum; in hac præsertim vrbe eximiis illis non esset opus artificibus, qui mira solertia, ingenio, dexteritate felicitateque operationem istam qua lapis è vesica extrahitur, exercent: quales sunt hîc hodie D. Bonnet, Colo, Giraut, Ruffin, Tevenin, Ianot, aliique, quorum conatus Deum rogo ut in dies bene fortunet, ad immortalē sui nominis gloriam, atque ad reipublicæ utilitatem. In hoc vera certaque consistit doctrina, nullum esse præsidium sumptum admotumve lapidi in vesica frangendo satis validum. A præclarissimis eruditissimisque id didici præceptoribus, maxime verò à duobus, (quos honoris & grati animi causa nominatos volo) Nicolao Pietreo, Facultatis Medicæ Parisiēsis columine, facileque inter primos totius Orbis eruditione præstātes viros numerando, & Renato Moreau, Doctore etiam Medico Professoreque Regio celeberrimo, *in doctissimis commentarijs in Salernit. scholam pag.* 568. ubi validissimas contra huiusmodi impostūras rationes adducit, quendam alium confutando, qui tam inscitè quam impudenter iactabat sese calculos in plerisque ægrotantibus ossiculorum quæ in mespilis reperiuntur beneficio confregisse. Ea pariter Galeni fuit sententia pluribus locis, præcipuè *comment.* 5. *in* 6. *Epid. Hippocr.* his verbis: *Lapis autem vesicæ non ab eta-*

tis permutatione, sed à sola manuali opera sanatur. Hancque secuti sunt opinionem Medici omnes, quotquot post Galenum scripsere, quorum locupletissima testimonia auctoritatesque huc congerere exscribereque operosum perinde ac frustraneum esset. Hoc duntaxat ab æquissimo Lectore enixè postulo, sibi ut persuadeat tanquam exploratissimum, nullum esse in tota naturæ sphæra remedium ad conterendos rerum aut vesicę calculos satis efficax: habendumque pro sycophanta ac impostore, quisquis de huiusmodi præsidio arroganter gloriari præsumpserit. Neque maior Paracelsistis istis habenda fides, quorũ ratiunculæ meræ nugæ sunt ad fucum faciendum, credulosque ægros inescandos compositæ. Exemplum desidero sanationis, non autem mortiferæ curationis, vel potius carnificinæ, quam temeraria eorum exercet medicatio. Pro regula canoneque certissimo, & quasi ex tripode habendum, quod in hanc rem scripsit mirabilis ille magni Hippocratis genius, Mag. Ludovicus Duretus, Parisiensis Medicus longè eruditissimus. *Temeraria est omnis Medicina, pestifera & sæpe mortifera, quæ frangendo vesicæ calculo adhibetur. Cui profuerit vidi adhuc neminem: permultos autem quibus exitio illa fuit.* Idem Duretus *Comment. in Hollerium*, historiam adfert admodum insignem, quæ impostores omnes evidentissimè coarguit, & à sacris

Medicinæ pomœriis cum ſuis recantatis arcanis procul amandare valet. *Abhinc tribus annis cum in ſectione illuſtriſſimi Principis Condæi filij convocatus eſſem cum meis collegis, periclitator quidam interfuit, qui aſſeveranter retulit, ſe curaturum ſine ſectione : ſed quia Illuſtriſſimus Cardinalis à Borbonio noluit fieri periculum in nepote, adductus eſt puerulus calculoſus decennis in quo fieret periculum. Ille periclitator exhibuit remedium; interijt exulcerata veſica & ventriculo. Inuenti ſunt duo lapides craßiuſculi integri, neque vllo modo vi medicamenti, etiam ſiacerrimi detriti.* Ecce hiſtoriam fide digniſſimam, citra vllam calumniæ ſuſpicionem, ad refellendam circulatorum hodiernam temeritatem, qui nobis mira de ſuis medicaminibus pollicentur. Alteram item, non minoris admirationis quam veritatis, relatam ab ipſomet Hippocrate ; viro omni ſæculorum memoria adeo ſingulari præcellentique eruditione ac probitate eximio, ut ab antiquis hoc elogium promeruerit, quod ſcilicet *falli nec fallere potuit*, ait Macrobius. Hiſtoria illa habetur 5. *Epidem. textu* 18. *In Lariſſa Theophorbi filius veſicam ſcabioſam habebat, & viſcoſam urinam mingebat: & dolebat dum & inciperet mingere, & dum deſineret : & confricabat pudendum. Hic quum bibiſſet pharmacum, urinam ciens acre, in veſicam quidem nihil proceßit, verum multum purulentum & bilem evomuit, & deorſum alia huiuſcemodi egerebat, & ventrem*

dolebat, & intrinsecus ardebat. Reliquum vero corpus frigidum erat, & totus resolutus est, & nihil assumere valebat. Huic exulceratus est venter fortiter ab acrimonia medicamẽti: & mortuus est tertio post potionem die. Hinc patet, novum non esse, tot hodie agyrtas circumforaneosque in Medicinam irrumpere, quandoquidem iam ab ipsius incunabulis illius opera attentarint. Porro res commiseratione dignissima est, quod à Magistratibus in nefarios huiusmodi grassatores, ob clades quas ex suis carnificinis passim edunt, animadversio nulla instituatur. Quinetiam stupendum, nonnullos existere viros alioquin honestos, non levi optimarum rerum eruditione præstantes, versatissimosque in publicarum rerum usu, qui tum erga se, tum erga communem utilitatem minùs æquos se exhibent circa rem Medicam, quod probis exercitatissimisque Medicis nonnullos sufflones Chymicos, Empiricos & theatricos agyrtas, quos irata genuit Natura, illiteratos homines, Thessalios asinos, subtestæ fidei, rationis methodique expertes, nulla auctoritate fretos anteponere; qui quo in pollicendo sunt procaciores, eo maiorem virtutis opinionem apud credulos adipiscuntur, facileque reperias, qui ne teruncium quidem planis huiusmodi & sycophantis commodare annuat, suummet vero caput vitamque omni fortuna autoque nobiliorem postmodum illis commis-

surus. Verum intermissam de sanguine orationem prosequamur. Ex hominis sani brachio detractus sanguis urgente necessitate cibive alterius inopia, nutricatus satis laudabilis esse posset, modo in ventriculo non concrescat, cui noxæ sanguis, perinde ut lac, facile est opportunus. Ea de causa (si sanguis in usum forsan veniet) salis, sacchari vel mellis modicum ei injiciendum, protinusque à venæ exitu sorbendus, vel si refrixit coquendus, vel ex axungia aut adipe frigendus, eodem plane modo, quo ex animalium mactatorum sanguine, additis adipe, cæpa & aromatis botelli concinnari solent. Quanquam id genus non vltro, imo nunquam usurpandum, nisi in extrema annonæ penuria: cui alius etiam sanguis substitui potest, modo ex animali temperato, vel quod non longè à temperie abludat; qualis est vervecinus, suillus, & id generis. Velut etiam ad emplastrum contra rupturam, in cuius compositione veteres aliqui artifices sanguinem adhibebant humanum: neoterici vero quemvis alium, modo ex animali domestico bene sano temperatoque, usurpant.

Historiæ aliquot seu potius fabulæ, ex quibus inverecundus & procax ille ac factiosus sycophanta Paracelsus mutuatus est, tradunt, humanum sanguinem è iugulati hominis venis prodeuntem calentemque protinus haustum ad lepram plurimum valere. Nonnulli aquam ex sanguine in eun-

dem usum eliciunt. Verum apage has technas, horrendæ impietatis labe execrandas. Non desunt & alij adeo deliri, ut sibi in animum inducant, prædictum lepræ affectum balneo ex infantulorum sanguine percurari. Sed merum figmentum est, insigni cum crudelitate impietateque coniunctum, prorsusque indignum quod ab hominibus Christianis proferatur. Etsi id quondam factitatum in Regum aliquot Ægyptiorum morbo illo laborantium gratiam, Plinius *cap. 1. lib. 26. histor. natur.* referat, modo illic ut sæpiuscule, non hallucinetur. Superstitiosus ille priscorum Ægyptiorum error, iam pridem sepultus, à Circulatoribus profanæque doctrinæ Paracelsicæ sectatoribus innovatus invulgatusque fuit, qui imperiti ineptique magistri vestigiis inhærentes, ad epilepsiam sanguinem ex hominis capite truncati prodeuntem adhucque calentem commendant. Quodque maximè mirum & prodigiosum, nonnulli fuere adeo credulí, ne dicam hebetes, Medici, qui id præsidiorum genus suis ægrotantibus consuluerint: cum alioquin non intelligant in huiusmodi potibus tantum esse temeritatis, crudelitatis ac superstitionis, ut quisquis virtutis probitatisque studiosus fuerit, abominabilem illorum usum, ab Empiricis Agyrtisque tantopere decantatum abhorrere iure meritissimo debeat. Quam in rem eruditissimi Dureti suffragium textumque, non in Auctore tan-

tum, sed ubique legi dignissimum exscribam. *Superstitio est* (inquit) *vel ostentatio celebrare eiusmodi remedia ebrioſi illius fanaticique athei Paracelsi, quorum iam pridem explosa est commendatio è schola Hippocratis, exulatque apud hypocritas Medicos & veteratores, quos nulla res præter versutam quandam hypocrisin commendare potest, & quorum vanitas ambagibus tantum solertissima esse solet.* Immo Tertullianus ipse edicit, ex sanguine humano apparata pharmaca, exitialia & à cacodæmone ad hominum perniciem inventa. Ego certè tam absurdorum huiusmodi medicaminum usum semper eiuraui: ab illisque efflagito, quibus pietas aliqua humanitasve cordi est, ne ad illorum unquam usum consentiant, quandoquidem Deus opt. max. summus naturæ auctor & conditor, tot certis, salutaribus, genuinisque nos bearit cumularitque remediis, ut his offuciis veteratoriisque pharmacorum formulis opus neutiquam sit. *Cognita iudicio constant, incognita casu.*

Quod ad Tauri sanguinem spectat, Dioscorides, Matthiolus, omnesque Auctores conveniunt, ebibitum venenum esse certissimum, mortemque præsentaneam subita suffocatione inferre, quod de calente adhuc copioséque deglutito intelligendum. Huius pharmaci adeo exitialis usum non nisi à mente captis, energumenis, vel longioris vitæ pertæsis usurpari unquam posse persua-

sum mihi utique est.

Sanguis leporinus ab aliquibus commendatur liguritoribus ad leporariæ viscerationis edulium condimentarium, quorum palato sapit, ob peculiarem genuinumque ferinæ saporem, improbum sit licet alimentum.

Sanguis suillus omnium usitatissimus est, quippe ex illo, cum adipe & intestinis, botuli Lutetiæ & alibi passim concinnantur: ex quibus non nisi vitiosus suggeritur succus ægréque coctilis, unde alui fluores, vomitiones pravaque alia nascuntur symptomata. Hilla non multo laudabiliora existimanda.

In Cibis, in universum, substantia, quantitas, qualitas, utendique modus considerandа veniunt.

Ratione substantiæ, cibus boni vel mali succi, crassi vel tenuis, facilis vel difficilis coctionis esse perhibetur.

Sub quantitate comprehenditur paucitas, copia, vel mediocritas.

Penes qualitatem vel calefacit, vel refrigerat, vel humectat, vel exsiccat, &c.

Vtendi modus varium apparatum, cibationum numerum, tempus opportunum, ordinem sumendorum, consuetudinem denique complectitur. De quibus singulis breviter agemus.

Quoad Cibi substantiam, exploratissimum est, crassiorem iis qui multùm exercitantur conducere, tenuiorem vero quietam & sedentariam

lentariam vitam agentibus accommodam. Quapropter cibum unusquisque eligere debet, qui multum alat, facilè conficiatur, boni succi, habita virium, morbosorum affectuum, aliarumque cautelarum ratione. Ova recentia, vinum, gelatina, iusscula euchyma, (qualia vervecina, vitulina, gallinacea) inter probi succi alimenta primas tenent.

Quantitas vix ac ne vix quidem in genere definiri potest, singulis peculiarem fere exigentibus. Certissimum tamen est, *intemperantiam esse Medicorum nutriculam, pluresque à gula quàm à gladio perimi.* Plato, ex Medicorum in vrbe aliqua multitudine intemperantiam luxuriosorumque hominum numerum æstimabat. Maiores nostri (inquit Galenus) rarius leuiusque ægrotabant, quoniam temperantius frugaliusque vivebant. Hippocratis ætate mulieres & eunuchi podagra non laborabant. Sed vtrique hac tempestate huius affectus non sunt immunes, cum illius causam ingluvie & crapula sibi accersant. Socratis servandum præceptum, *edendum ut vivamus, non vivendum ut edamus.*

Tantum bibendum edendumque, quantum tutandis viribus conservandoque habitui opus est. Mediocris saltem cibus ad fovendum occupandumque calorem nativum sat est. Appetentia non integrè sasianda, nonnihil ad alium pastum reservan-

dum. Nimietas quoad fieri potest vitanda: quia interpellata coctione cruditas necessario exoritur, indeque debilitas & morborum seges.

Ciborum qualitas ex propria illorum natura æstimatur: eaque vel illis connata est, dignoscitur que temperamento & ætate: vel acquisititia, diuturna præsertim consuetudine, de qua deinceps. Verum in prædicta cibi qualitate attendenda est regio, tempestas, temporis constitutio, quæ singula non æquabiliter eodemque modo expendenda, verum peculiari in unoquoque fere individuo indigent distinctione.

In utendi modo multiplex imprimis ciborum apparatus explicandus est. Melancholicis & biliosis carnes elixæ commodiores. Pituitosis contrà, assæ. Sanguineo temperamento præditis omnia conveniunt, modò moderatè utantur. Melancholici vino exhilarantur, aqua diluendo, ut fluxilius fiat, partesque exsiccatas humectet. Biliosis vinum non multum conducit. Si vero illud appetant, illique assueverint, eis duntaxat concesserim, ut vini tantillum in aquam infundant, quæ genuinus biliosorum potus esse debet, ut inde humectentur, refrigerentur, æstuansque eorum calor temperetur: vel quod tutissimum, vino prorsus abstineant. Sanguinei ex laudanda consuetudine saltem ad medias vinum aqua temperabunt, si illius noxas præcavere voluerint. Pitui-

tosi præ cæteris meracius bibant, pauxillumque lymphę injiciant, eo solum ut promptius subeat parteſque remotissimas attingat.

Penes quæstionem, *quoties in die manducandum*, ea in genere decidi non potest, ob numerosissimam temperamentorum varietatem. Legisse me cuiusdam Iurisconsulti librum memini, qui Iurisprudentiam longè Medicinæ esse anteponendam asserebat ratione æque imbecilla ac absurda; *Medicos hactenus convenire non potuisse, pleneque determinare de his quæ ad hanc difficultatem spectant, adeo* (inquiebat ille) *illorum ars inconstantiæ incertitudinisque plena est.* Sed bonus ille Doctor perperam argumentabatur, contrariumque potius inde inferendum erat. Medicinam scilicet eo esse certiorem, quod nihil de hac quæstione decreverit, habita ratione multiplicium circunstantiarum passim occurrentium, in unoquoque individuo prope singularium: germanamque veritatem ex sequentibus intelligere poterit diorismis.

Pituitosis qui ieiunium facilè ferunt, semel in die comedere sat esse potest. Biliosi vero qui ieiunio facilè læduntur, parum & sæpe: ientare, prandere, cœnare, ast sobriè Platonicoque more, cuius cœna non officiebat sequentis diei appetentiæ. Sanguinei in omnibus insignem adhibere debent mediocritatem. Melancholicos ter in die aliquid sumere convenit, ad exuperan-

tem in iis siccitatem humectandam atque temperandam. Verissimum equidem est primævos homines longè nobis in diæta fuisse parciores, ideoque vitam diutius protraxisse, validiores, agiliores, speciosiores, procerioresque fuisse. Non propterea tamen credendum sola glande victitasse, ut Poëtarum fabulæ perhibent ; sed omni fructuum, leguminum & carnium genere. Sacræ enim paginæ docent, primos parentes, postquam è terrestri Paradiso proscripti fuissent, terram excoluisse victimasque mactasse, quarum carnibus visceribusque vesci poterant.

Sed multo difficilius operosiusque est cognitu, quoties in die comederent. Vero enim simile est bis in die comedisse ; cum legamus Abraham *Genes* 18. tres Angelos ut considerent ac domi suæ esitarent, rogasse. *Ponam*, inquit, *buccellam panis, & confortate cor vestrum, postea transibitis.* Quod dubio procul non præstitisset, si in more non fuisset aliquid mane comedendi ad vires fovendas. Et re vera consuetudo inter Iudæos erat prandendi & cœnandi. Legimus enim Tobiam prandium reliquisse, ut mortuum sepeliret, solumque post occasum solis comedisse. Scribit Iosephus Essenos circa meridiem prandere, vespertinisque horis cœnare solitos. Plura ad hoc probandum non afferam testimonia, cum ipsemet Christus apud Diuum Ioannem dicat, *quando pran-*

detis vel cœnatis. Refert Xenophon, Persas primis temporibus semel duntaxat vesci solitos, matutinis scilicet horis, ut in reliquum diem labori incumbere valerent; sed posteris temporibus prandere & cœnare assuetos. Ab Homeri ætate cibos in prandium & cœnam Græci dispertiebantur: memoriæque prodidit Athenæus, quam-plurimis inter Græcos binos in die non suffeciſſe pastus, sed quater esitasse. Prævalente tandem luxu, quintum adieciſſe pastum, qui noctu iniebatur. Qua in re Græcos plenè æmulati sunt Romani, tam in primo, quam in postremo victitandi instituto. Primis quippe temporibus frugali temperantiæ addictos, hinc vtcunque in laxiorem diætam dilapsos, demum ingluvie effusoque luxu immersos corruptosque historiarum monumentis comperimus. Nostrorum etiam temporum homines antiquorum vestigiis ritibusque adhæserunt. Alij enim quater in die pascuntur; alij pluries, alij rarius, alij semel tantum, sed protractis totum in diem epulis. Nihilominus si de eo quod frequẽtiori in usu est loqui velimus, quamplurimi duobus pastibus contenti sunt, prandio scilicet & cœna: alij ientaculum adjiciunt: Mulierculis merenda peculiaris est, ut & pueris, operisque nonnullis laborioſiſſimis.

Verum quæret aliquis, utrum præstet pluries, an semel tantum in die cibum su-

mere? Respondeo, bis quam semel vesci tutius esse, cum ex hoc vltimo cibandi modo plura maioraque consequantur incommoda. Ideo prandium circa decimam anteeridianam, cœna circa sextam vespertinam, somnus circa nonam decimamve horam instituenda atque ineunda. Postero die circa quintam vel sextam matutinam surgendum.

Rursus alia difficultas occurrit, *utro scilicet in pastu plus vel minus edendum? an in prandio, an in cœna?* Hæc quæstio utrinque maximè agitata iam pridem est, eóque progressa contentio est, ut nonnulli inter Italos Medici integros libros ea de re conscripserint. Mea quidem sententia est, quam breviter expono, *parcius cœnare saluberrimum esse*, tum ob rationes quæ stant ab hac parte, tum ob celeberrimorum virorum qui huic adhærent autoritatem, tum denique ob frequentissimam infinitorum prope hominum experientiam, qui levi ex cœna summam utilitatem maximaque commoda persenserunt. Porro ne aliquis mihi vulgatum illud objiciat, *erubescat Iurisperitus sine lege, Medicus sine ratione loqui*, meque omnibus probationum adminiculis, præterquam experientiam, destitutum clamitet, rationes proferam, quæ ad hanc partem tuendam me adigunt. Primò, ex levi cœna minus gravatur ventriculus, indeque somnus facilior, placidior, citra molestiam & laborem ineatur, ca-

lorque innatus minus fatigetur. Secundò, ſtertores, ſopores moleſti, oppreſſiones corporiſque iactationes præcaventur, quæ à copioſiori cœna importunius divexare ſolent. Tertiò, fluxionibus, catarrhis, capitis doloribus, vertigini, alijſque ſymptomatis, quibus obnoxij ſunt qui largius cœnant, materia præciditur. Quartò, ex parciori cœna maior poſtridie ſentitur alacritas, cum nativus calor, ob minorem penes alimentum occupationem, excrementitiorum humorum coctioni incubuerit. Adde, coctionem promptius elaborari atque perfici. Denique, ex ſobria cœna alimenti diſtributio acceleratur promoveturque. Ventriculus enim vltra modum gravatus, exercitationis, quæ noctu ut interdiu non ſuſcipitur privatione, ab importuno immodicoque eſcarum onere citra negotium ſeſe expedire non valet: vnde graves oriuntur obſtructiones ſuccis in viis cunctantibus, ſexcentis affectibus materiam ſuggeſturis. Ariſtotelis in problemat. *ſect.* 3. *problem.* 11. adductæ ſupra rationes confirmantur, auctoritate Actuarii *lib.* 2. *cap.* 10. & Galeni 5. *de ſanit. tuend. cap.* 4. ubi diætam Antiochi Medici, Telephique Grammatici refert, qui ob leviorem toto vitæ curſu cœnam felicem exegerunt ſenectutem, centeſimumque fere annum compleverunt. Itaque qui longioris vitæ voluptate commodiſque frui

voluerit, bonos illos ſenes æmulari curet, parciori frugaliorique cœnæ aſſueſcendo. Non me fugit, nonnullos permultis diſtinctionum tricis in hac quæſtione enucleanda uti, dicentibus alijs conſuetudinis habendam rationem : alijs eos excipientibus, qui morboſo aliquo affectu præpediuntur, velut catarrhis, fluxionibus in oculos, pulmonem &c. Verum huiuſmodi ratiunculæ imbecillæ admodum ſunt ac ſingulares, cum hic concluſione univerſaliſſima opus ſit, quæ ſi non in omnibus uſquequaque, maiori ſaltem ex parte quadret. Nullus enim fere reperitur, qui aliquo peculiari vitio vel incommodo non laboret, quippe cui levando levior parciorque cœna conveniat. Conceſſerim equidem hominem ſanum beneque temperatum nullis ſeverioribus legibus obligandum, æquabiliterque tum in prandio, tum in cœna cibandum. At quoniam pauciſſimi huius eximiæ claſſis exquiſitique temperamenti exiſtunt, iterum inculco, ſatius eſſe largius prandere parciuſque cœnare, moderato inter utramque refectionem interpoſito exercitio.

Penes ciborum ſumendorum ordinem, docet experientia, permultum intereſſe quiſnam præmittatur, cum dentur cibi qui ventrem ſiſtant, ſi prima menſa; eam vero laxent, ſi poſtrema ſumantur: alios nauſeas vomituſque ciere, ſi ut decet, non ingeran-

tur. Quapropter quæ ventrem emolliunt, præmittenda, quæ ſucci non adeo boni, quæ facilè in ventriculum delabuntur, in eoque facilius alterãtur: hinc quæ alvum conſtringere valent, difficilius concoquũtur, tardius è ventriculo ſecedunt, melioriſque ſunt ſucci. Nam ſi is non ſervetur ordo, poſtremaque menſa quæ alvum laxant ſumantur, orificij ſuperioris fibræ relaxabuntur, unde nauſeæ, vomitus aliaque accidentia coctionem interpellantia conſequi poterunt, naturaliſque ſubverti œconomia. Si vero prima fercula difficilioris ſint coctionis, quod deinceps aſſumetur, in ventriculo diutius hærebit & corrumpi periclitabitur, eo vitio reliquis cibariis communicato. Quanquam autem inficiari non poſſimus, omnia quæ comedimus coctionis tempore in ventriculo permiſceri, non tamen credendum, omnem prorſus ordinem immutari; verum coctu faciliora primò ſumpta, prima etiam ſtatim, ac concocta exire, vel quum calor innatus ex iis gravatur, vel alicuius corruptionis periculum imminet.

Huc & altera ſpectat difficultas, *an à potu, vel cibo paſtus inchoandus?* A potu primo inchoandum videtur, cum liquidiora ſint primò ſumenda, utpote quæ citius coquuntur celeriuſque diſtribuuntur. Præterea cibi coctio perinde in ventriculo perficitur, ac cruda caro in olla percoquitur. Vnde Ariſtoteles primam hanc coctionem

elixationi æquiparat. Primum autem in ollam aquam immittimus, deinde carnem. Potus ergo præmittendus, hinc esca solidiorve cibus. Scholæ Salernitanæ auctores suo calculo sententiam hanc confirmant.

Vt vites pœnam, de potibus incipe cœnam.

Quod de rebus liquidis, ut iusculis, intelligendum. Antiqui, referente Plinio, potum cibo præmittebant. Verum multis de causis ritus hic exolevit, ex prudenti Medicorum consilio. Vinum ante cibum sumptum nervosum genus oblædit, arthritidemque excitat: adde quod fluctuationem in ventriculo ciet, unde omnis coctio perturbatur. Ea de causa Galenus *lib.* 7. *Meth.* vult ut cibus potum præcedat. Censeo equidem, iusculum, si præsto est, semper esse præmittendum, hinc nonnihil solidioris cibi sumendum, dein potandum, ut omnia ex æquo in ventriculo permisceantur. Nunquam vero absoluto pastu fructus ullus crudus esitandus, ut passim factitatur; verum coctus vel conditus ad palati gratiam modice assumetur, ne coctio perturbetur gravetur-que stomachus.

Quoad consuetudinem, non imus inficias, sanos valentesque nullis obligari debere legibus: ne si forsan primam abdicare consuetudinem cogantur, in aliquod discrimen vel incommodum incurrant. Consuetudinis enim in vitæ instituto vis maxime elucet, unde in ventriculo alijsque partibus habitus

inducitur: hinc longo tempore assueta, etsi minus commoda, meliora videntur ob consuetudinem, tantam vim in nos obtinet! Id Hippocrates astruxit *Aph.* 50. *sect.* 2. Sed luculentissimè id historiæ nonnullæ confirmant, ut de aliquibus, qui elleborum, citra ullam noxam, ingenti dosi hauserunt, ex Theophrasto *lib.* 9. *histor. plantar. cap.* 18. Galenus etiam *lib.* 3. *simplic. cap.* 18. cuiusdã Atheniensis vetulæ meminit, quæ tractu temporis cicutæ assueta, tandem prægrandi copia absque incommodo devorabat. Mithridates Rex Ponti ita venenis assueverat, ut postea illis ad conscisendam sibi mortem usus, irrita frustraneaque expertus fuerit, coactusque unius ex copiarum suarum ducibus manum eò implorare, ne in Pompeij victoris manus vivens deveniret, illiusque triumphum Romæ exornaret, ut tradunt Appianus Alexandrinus, *in bello Mithridatico*, & Martialis *lib.* 5. *Epigr.*

Profecit poto Mithridates sæpe veneno,
Toxica ne possent sæva nocere sibi.

Avicenna, alijque ex illo, de quadam puella mentionem faciunt, ab incunabulis veneno educata; quæ quosvis ad se proximè accedentes interimebat. Albertus Magnus perhibet puellam à se Coloniæ Agrippinæ visam, quæ araneas avidissime vorabat, nulloque alio cibo victitabat: quod eo magis mirum, quod animalia eiusmodi venenosissima sint, solumque vinum, in quo suffo-

cata forte aranea fuisset, gustatum, vitæ discrimen nonnullis intulerit. Porum Indorum regem serpentum esu adeo delectatum per totum vitæ curriculum ferunt, ut universo corpore venenatus evaserit, soloque halitu ad se accedentes extingueret, perinde ac si ipse serpens anguisve foret. Hominum genus quoddam in Hellesponto est, qui solis pascuntur serpentibus, unde *Ophiogenes* vocitantur, quasi ex serpentibus geniti altique. Psylli Marsique olim in Italia non longe istis absimiles, utpote qui serpentum morsus minimè reformidarent. Quod confirmavit cuiusdam nomine Exagon, ex illa stirpe oriundi, historia, qui nudus imperante Consule Romano in dolium serpentibus oppletum coniectus incluſusque, nullam ne minimam quidem noxam persensit, referente Plinio: quin imo æquè alacer vegetusque inde exiit, ac ingressus fuerat. Memoriæ aliqui commendarunt, quempiam, nomine Lysim, Opij semunciam una dosi identidem citra ullum damnum deglutivisse. Iul. Cæsar Scaliger Turcas asserit Opio (quod *Amsiam* vocant) frequentissime uti, quo in præliis tum Martis, tum Veneris sint animosiores. Renodæus Facultatis Parisiensis Medicus doctissimus, vidisse se Nemorsi feminam memorat, quæ quotidie Opij drachmam semissem, citra offensam ullam, esitabat. Antonius Musa Brassavolus *in simplic. medicam. examine*, de quodam à se viso perhibet, quod scam-

monij drachmas duas impune deglutiebat, ex ijsque quater duntaxat quinquiesve alvo secedebat. Fallopius *tractat. simplic. purgant. cap.* 48. Ferrariæ se noviſſe quendam Germanum ſtudioſum ſcribit, qui ſcammonij unciam integram citra alvi laxationem vorabat. Denique ferunt, in Creta olim Inſula familiam quandam extitiſſe, ex qua oriundi, quotquot conſpicerent, eos faſcinarent, maximè vero pueros, qui modico poſt tempore tabe confecti deperibant. Quã ob cauſam veriſſimum mihi eſſe perſuadeo quod à quamplurimis ſcribitur, eos ſcilicet qui toto vitæ progreſſu veneno paſti ſunt, venenatæ noxę penitus eſſe immunes: quodque Galenus poſt Ariſtotelem de conſuetudine ait, alteram eſſe naturam, vnde accidit, ut res plurimas, quæ primo intuitu difficiles horridæque videntur, familiares temporiſque tractu ac aſſuetudine faciles experiamur. Quod nos certè adigit, ut illi cedamus condonemuſque aliquid, adeo ut toto vitæ curriculo eam ſæpe retineamus, cum ſuas in nos vires exercuit, ſuoque nos ſubdidit imperio. Niſi forſan accidat ut vitioſa damnoſaque ſit. Tumque totis viribus conniti debemus in ea mutanda, non uno impetu, ſed ſenſim ac pedetentim, cum omnis ſubita repentinaque mutatio naturæ ſit inimica. Duo præterea in prava conſuetudine cum profectu immutanda neceſſaria. Quorum primum eſt, mutationem

hanc in constitutione ætateve imbecilla vel infirma non esse aggrediendam, verum in firma valetudine ætateque virili: quoniam sanum robustumque corpus mutationis incommoda facilius perferre potest. Secunda conditio est, ut id fiat in omnimoda negotiorum vacuitate, ut omnia requisita tempore & loco peragantur. Illi enim qui negotiis occupationibusque distringuntur, certis legibus ad vitæ mutationem necessariis irretiri minimè sustinent. Quare cùm hominis vita infinitis casibus qui prævideri nequeunt sit obnoxia, nihil suscipere debet, quod illi offensioni esse possit, si tum omnia non suppetant media ad resistendum idonea. Hoc autem monitum ætatis inclinantis hominibus senibusque utilissimum futurum est, qui facilè induci non debent ad pravam aliquam consuetudinem emendandam, vivendique modum innovandum in ætate adeo imbecilla, ne pro sperato bono, peius illis contingat, ut sæpiuscule videre licuit.

De Potu.

Caput III.

De Potu idem pronunciandum quod de aëre & alimento, bifariam id considerandum esse, vel ut alimentum, seu alibilis est; vel ut medicamentum. Potus qui in statu salubri usurpatur, multiplex admodum est, ex vario bibentium appetitu, tempera-

mento atque usu. Alij puram aquam bibunt; potum quippe frequentissimum passimque obvium, *usus communis aquarum est*, ait Poëta. Quo solo pueri fere omnes contenti sunt, maiorique ex parte mulieres, etiamsi non nutriat. Alij, ut maior virorum numerus, non nisi vino utplurimum diluto utuntur, Platonis innixi doctrina, asserentis nihil melius vino naturam mortalibus concessisse: Galenique testimonio, qui ait, vinum præter calorem ac robur quod corpori ingerit, promptè valideq; præ omnibus nutrire.

Nonnulli populi in vini penuria sicera ex pomis pyrisve confecta utuntur, unde neotericis vinum fructuariũ nuncupatur: isque potus Normanis familiarissimus est. Alij magis Septentrionales, ut Belgæ, Angli, Germani, qui vino non abundant, cerevisia utuntur, quã acrem admodum generosamq; efficiunt, addito melle, saccharo, cinnamomo, caryophyllis, alijsque aromatis. Huiusmodi cerevisia calefacit, & turbat sensus, caput calidis replet vaporibus, æque potenter inebriat ac vinum. Nonnulli rustici tenuioris fortunæ, maximè in aliquibus Picardiæ regionibus, alium usurpant potum, quem vernaculè vocant *du boüillon*, id est iusculum; componuntque ex aqua cum furfure cocta, in dolium cum modico fermẽto immissa; Potum certè parum gratum, minusque salubrem.

Multa porro sunt aquarum genera, quarum optima fontana; hinc fluvialis, dein

putealis. Paluſtris ſeu ſtagnans peſſima, ob nimiam craſſitiem, limum, torporem motuſque privationem.

Nam vitium capiunt, ni moveantur, aquæ.

Aqua ſimplex, non modo non alit, verum etiam facultatis terreſtris craſſioriſque ratione in ventriculo hypochondrijſque diutius moratur, amareſcitque in bilioſis, ex Hippocrate *lib. 3. de ratione vict. in morbis acut.* ubi eam improbat, quod ſitim non ſedet, bileſcat, præ longa in ventre mora putreſcat, in temperamentis calidis æſtuoſa evadat, hepar inflet, alvumque non laxet. Aqua alias laudabilis optimum eſt alimenti vehiculum, in iis quibus illius uſus familiaris eſt, laudabilis inquam, cuiuſmodi eſt pura, ſaporis omnis odoriſque alieni expers.

Huiuſmodi puro, ſimplici, innocuo potui ſi aſſueſcerent, quibus vinum adeo eſſe infenſum luculentiſſime commonſtratur ex tot calamitatib⁹ ſtragibuſque, quæ à crapula vinique effrænato uſu emergunt, melius bibaculorum huiuſmodi publicæque ſaluti conſultum foret. Optandum etiam eſſet, ut vites quibuſdam in regionibus nunquam excultæ fuiſſent, ſolíque fontium, fluminumve patriorum latices quamplurimis hominibus familiares eſſent, quam tot ebriorum lymphatorumque, non à lymphis, Nymphiſve, ſed Bacchi œſtro percitorum paſſim ſpectare catervas, qui præ infami hoc

vitio

vitio Dei hominumque odio atque furori se propinant, suoque propudioso luxu rem familiarem dilapidant, existimationisque tum suæ, tum suorum iacturam turpissime incurrunt.

Potus aquæ ad tot tamque imanania non impellit facinora, nec mentem æque perturbat atque à sua sede dimovet, ceu vinum, quo tot infortunia tragœdiasque excitari quotidie spectamus. Aquæ potus saluberrimus est, homines sobrios, solertes, industrios præstat, corpori robur, laudabilemque temperiem subministrat. Aquæ potum infiniti non excipiunt morbi, qui vini usum consequuntur. Aqua cerebrum non commovet incenditve: tremorem, paralysim, lethargum, apoplexiam, vertiginem non excitat: ophthalmiam, arthritidem, calculum, hydropem, rheumatismum, hæmorrhoïdas, sexcentasque alias morborum carnificinas, quibus singulis penè momentis eiusmodi affectibus correpti immaniter excruciantur. Aqua ventriculum roborat, appetentiam inducit: aquæ enim potores plus comedunt, melius coquunt, olidis vacant ructibus qui à vini immoderatioris haustu exurgunt Ægyptij Israëliticique Reges eorumque sacerdotes non nisi aquam potabant. Aristoteles simplicis aquæ potum nutricibus ac pueris concedit, vinumque, ut rem admodum exitialem, interdicit. Plato literarum studiosis vinum pariter prohibet. Demosthe-

nes, Athenienſium totiuſque Græciæ oratorum facile princeps, vinum abdicavit, quamprimum arti oratoriæ, foro roſtriſque ſe conſecravit. Athenæus quoſdam præſtabiles commendat viros, quibus aquæ potus aſſuetus adeo fuit, ut alij toto vitæ ſpatio ſola aqua uſi fuerint, alij maximam partem à vino abſtinuerint. Perſidis Regum Choaſpis fluvij iuxta urbem Suſam labentis lympha potui delicijſque inſerviebat, eamque ob id Regia à Tibullo vocitata eſt. Secundus Ægypti Rex, cognomine Philadelphus, cum filiam Berenicen Regi Syriæ nuptui tradidiſſet, ingenti ſumptu aquam ex Nilo hauſtam illi identidem ſubmittebat, qua ſola ad potum uteretur. Iulianus Palmarius, Medicus Pariſienſis celeberrimus, pro eximia in arte Medica claritudine alter Galliæ Fernelius cognominatus, poſtquam pluribus annis Fernelij, viri omni laude maioris, diſcipulus fuiſſet, nullum certius præſentiuſque præſidium ad ſiſtendam fluxionem in pectus pulmonemque illabentem expertus eſt, quam omnimodam vini abſtinentiam, continuumque toto reliquo vitæ curſu, qui 30. annos poſtea exceſſit, aquæ potum. Rondeletius, inter Medicos Monſpelienſes eruditione notiſſimus, cum deprehendiſſet ex vino quamvis dilutiſſimo ſibi caput percelli, catarrhis fluxionibuſque tentari, ſeu (ut inquit Laurentius Ioubertus in vita Rondeletij) ut duos graves affectus, à quibus ſibi

metuebat, epilepsiam & arthritidem; sive calculum nephriticosque dolores, ut alij existimant, præcaveret, vinum ab anno ætatis vigesimo quinto abdicavit, toto deinceps vitæ progressu sola aqua ad potum usus. Præclarus illustrisque vir Salmasius, Galliæ nostræ decus insigne, præ grandium rerum notitia inter Europæ Christianæ viros eruditionis eminentia præstabiles citra controversiam computandus, solidissimis comprobavit rationibus, omni exceptione maioribus, libro perlepido anno 1640. in Batavia edito, de calculo, ad Ioannem Beverovicium Medicum Dordrechtanum, calculo obnoxios non nisi pauciſſimo vino uti debere, lymphæque usum ad potum ordinariũ cuivis longe esse præferendũ, cum omni excremento vitioque careat, calculo procreando idoneo: ideoque tutissimè ab iis usurpari posse, qui à natura ad calculum opportuni sunt, vel quibus quoquo modo suspectus metuendusq; est eiusmodi affectus. Vinum vero econtrà maximam vim habere calculum generandi vel accelerandi, tum exsiccante immodicoque calore, tum permisto in vino tartaro, aptissima ad arenulas congerendas materia, ex quibus coagmentatis calculus tandem conformetur. Aquæ potus visum acuit. Alexander Aphrodisiensis *in Problematis* ait aquam, sensus omnes vegetiores efficere, hepar refrigerare, meatus expedire, renes & vesicam detergere.

Eligenda autem est suis ornata dotibus, perspicuitate scilicet, tenuitate, puritate, levitate, nitore, saporisve cuiuslibet expers. Illius bonitas deprehenditur, si citò calefiat, ac ab igne amota citò refrigeretur, si in ventrem facilè permeet, citra ventriculi gravitatem aut molestiam, si denique per alvum promptissime secedat.

Porro aquarum aliæ species non modo in Gallia, sed & in omnibus prope Christiani orbis provinciis existunt, quas Medici minerales vocant, quarum facultates multarum affectionum contumacium fereque deploratarum curationibus adeo sunt insignes, ut cum Propheta Regio exclamare liceat, *Mirabilis in aquis Dominus*. Quanquam autem ex eiusmodi aquis in quibusdam affectibus inveteratis eventus conspiciamus felicissimos, præsertim in frigidis, quales sunt defluxiones quædam & paralysis: illorum tamen opinioni adhærere nequeo, aquas istas minerales (ceu Forgenses in Normania, Pugenses in agro Nivernensi, Spadenses prope Leodium, Vicecomitenses & Sammionenses in Alvernia, & similes) ad tot morbos esse commodas, ad quot passim deprædicantur: tum maximè quia in singulis illis aquis calida acriaque insunt metalla, hepatis probæ temperiei cæterorumque nutritiorum viscerum evertendæ idonea. Forgensibus aquis ex sapore ferrum, argentum, bitumen, nitrum, sulphur, vitriolum inesse

conjicitur: quæ res omnes metallicæ æstuosæ sunt, ex magni Hippocratis auctoritate *libro de aëre, locis & aquis*. Galenus ulterius progreditur. Asserit enim vitriolum medicamentum esse admodum malignum ac venenosum, & quodammodo vitæ nostræ principiis infensum. Pugenses aquæ vitriolum, nitrum, ferrum, sulphur, ex peritissimorum examine, admittunt. Spadenses vitriolum & sulphur. Omnes autem eiusmodi aquæ potentiali, ut vocant, occultóque in eminenti gradu calore insignes sunt, quo nativam viscerum œconomiam eucrasiamque labefactant, caloremque extraneum inurunt, indeque ad hydropem perducunt, ut peculiari in Epidemiis exemplo adnotavit Hippocrates: nosque etiam quotannis ex aquis istis hydropicos non paucos redire conspicimus, quibus in posterum nulla arte, nulloque præsidio succurri potest. Quare iis consulo, qui aquas istas ex aliorum laudibus æstimant, ne plus iis credant quam expediat, neve iis utantur, nisi prehabito prudentiorum peritiorumque Medicorum consilio, qui rite de aquarum istarum delectu earumque viribus, tum de affectibus quibus conferunt dijudicent. Licet enim qui de iis scripserunt mira de earum facultatibus deprædicarint, inter alios Dominus Cusinotus Ludovici XIV. Archiater de Aquis Forgensibus in Normania; DD. Pidulcius, Bernardus du Fouilloux, Raimundus Massacus, Stepha-

nus Flament, & Augustinus Corradius Medicus Regius, & Sᵐᵃᵉ Poloniæ & Sueciæ Reginę Medicus primarius de Pugensibus: Philippus Gherinx & Henr. de Heer, *de fontibus acidis Spadensibus*: Ioannes Landerey Parisinus de Aquis Vicecomitensibus in Alvernia: Ioannes Aubery *de Thermis Borbonianis, tum Lancianis, tum Archimbaldicis*: Petrus Gassen de Plantino, & Petrus de Rignolio *de Aquis Encaussianis in Pyrenæis*: Nicolaus Dortomannus *de Thermis Balerucanis*: Ioannes Baptista de Cabias *de Thermis Aquensibus in Sabaudia*: D. Berthemin *de Thermis Plumberiis in Lotharingia*: S. Richardus & T. de Lantaret *de Thermis Dinensibus in Provincia*: & Ioannes Banc Molinensis Boius *in libello de mirandis Aquarum mineralium virtutibus*, ubi de omnium prope Galliæ aquarum mineralium facultatibus agit: plurimique alij Medici doctissimi variarum Regni Galliæ provinciarum.

Verum speciosis eiusmodi præconiis splendidisque pollicitationibus nemo tam facile credat, ut temere inconsultoque in manifestissimum alterius, deterioris forsan morbi, periculum se præcipitem agat. Faxit Deus, ut officioso hoc nostro consilio plerique facti cautiores, periculosis istis aquis non se temerè committant, quibus non pauci inauspicato usi non impunè tulerunt.

Vino certe vires insunt longè insigniores, à quibus vox ipsa non abludit, ususque luculenter commonstrat cardiacum præsidium

esse eximium, ex ipsomet Galeno, qui etiam in morbis vinum administrabat adversus syncopen & cardiogmon, & in febribus continuis; neutiquam vero ineptam tabellarum, opiatarum, pulverum cordialium, quæ hac tempestate ægris porriguntur, farraginem. Ex quibus vix, diuturno spatio, ingenti sumptu (sæpius frustraneo) id prestatur, quod cito, facileque à vini tantillo prestaretur. Vinum est lac senum, telluris gratiosus succus, hominum genuinum alimentũ, venenorum omnium longè certius antidotũ fictitio lapide Bezoardico seu Monocerotis cornu emẽtito, interque omnes poculentos liquores prestantissimus, si modice riteque usurpetur.

Plerique vinum velut noxium condemnarunt, gravesque illi noxas affinxerunt, hominum infortuniũ, luxuriæ impudicitiæque illicium & fomitem appellitantes. Alij præterea flagitiorũ criminumque quampluriũ, ut illi odium horroremque conciliarent, vinum insimularunt, innumerorum malorum quæ ex intemperantia prodeunt principem veluti causam, hominis cicutam, terræ sanguinem, fel urinamque cacodæmonum contumeliosè nimis vocitantes. Turcis à pseudopropheta Mahomete vinum interdictum, quippe qui suadere illis voluerit, vinum liquorem esse dæmoniacum. Nonnulli non solum verbis, sed etiam verberibus vinum furiose adorti sunt. Hispanus quidam dolium ex quo extractum vinum patrem necaverat,

flagris cecidit. Anglus lagenã qua inebriatus fuerat cõfregit. Verum huiuſmodi vindictæ ſunt admodũ abſonæ, ne dicam inſanæ. Omnes illæ noxæ flagitiaque, quæ ex vini intemperãtia accidũt, bibentium vitio aſcribenda ſunt, non autem liquori per ſe innoxio. Non me fugit, innumeros hinc oriri abuſus, quibus prohibendis neceſſe eſſet, ut apud nos lex vetus Locriorũ (quæ vini potores morte plectebat) in eos renovaretur, qui fœde ſe vino ingurgitant: vel cũ Lycurgo ſentiendũ, potiori ſcilicet ratione vites extirpari excindique poſſe, quã primitus cõſitę fuiſſent. Patriarcha Noachus, qui vitẽ primus conſevit, malè ex illa mulctatus eſt, vinumque largius epotum, illius vi nondum explorata, imprecationis in Chanaan alterũ ex tribus liberis pronunciatæ cauſa fuit, quæ in omnes Chanaan poſteros dimanavit. Itaque novæ non ſunt tragœdię, quas vinum edit, cum ſuomet autori minimè pepercerit, qui proprio filio ſe deridendum propinavit.

Bene conſulti Principes, ut populorum tumultibus factionibuſque occurrerent, de vitibũs extirpandis edicta ſanxerunt, vinique uſum inhibuerunt, præcipuam defectionum rebellionumq; cauſam illud reputantes. Carolus IX. Galliæ Rex, ſi diutius regnaſſet, Rupellenſiũ vites excidi imperaſſet, inde rebellionis contumaciæq; fomitem ſubtrahendũ, animoſq; ſedatiores procliviores q; ad obſequiũ fore ſuſpicatus. Reges Ægyptij perdiu

à vino etiam in sacrificiis abstinuerunt. Aqua Niliaca eorum poculis inserviebat. Ægyptij etiam sacerdotes sacrificulique à vino abhorrebant, ex tradita à maioribus opinione, vinum aliud non esse, quam Typhonum & Gigantum aliorumque Tyrannorum qui bellum diis intulerant, cruorem existimantes, quod terræ admistum, vitem germinasset, ut Plutarchus *in Osiride* refert; credebantque eos, qui ex crapula è potestate mentis exibant, id ex capite, diis inimico sanguine perfuso, accidere, vnde vinum nuncupare solebant, *sanguinem gigantum perduellium que adversus deos*. Nonnulli veteres, non sine convitio, vitæ humanæ pestem venenumque vinum vocitabant, rem ex abusu perperam criminantes, ob frequentissimas cædes, excidia, strages, quæ ex immodica vini compotatione consequuntur. Manichæi hæretici rabie perciti vinum à malo principio inventum derivatumque esse autumantes, cacodæmonis principium illud vocabant. Verum calumniatores illi improbi vinique osores, iis persimiles sunt, qui mel ideo aversantur, quod apum stimulis confixi aliquando fuerint: vel sicarios emulantur, qui postquam ferro hostiliter furioséque sunt abusi, eos omnes devovent, qui ferramentorum armorumque cudendorum inventionem usumque tradiderunt. Vino crimen nequaquam imputandum, ut nec ferro, sed iis qui perperam utroque

utuntur, si vino quispiam ingurgitatus flagitium aliquod admittat, culpanda duntaxat intemperantia est. Vino condonare, lagenam vero (ut vulgo dicitur) suspendere (bibaculum intellige) æquo iurique convenientius est. Perinde de vino statuendum, ac de quavis alia re, cuius, quantumvis optimæ, pernicioſissimus abusus est. Quis enim nescit, *rerum optimarum pessimum esse abusum?*

Verum ad carceres redeamus, vinique genuinum ingenium expendamus. Vinum ut sit optimum, sincerum purumque esse debet, non recens, perspicuum, ex uvis bene maturis expressum, colore, odore, sapore gratum, album vel rubellum nil refert; urinam ciens seu diureticum, capiti non grave, non infensum.

Ex vario vini temperamento, viribus indoleque bibentis, usus eventusque vini varius admodum est. Alios in furias & rabiem agit, alios facit disertos, alios hilares. Alit, calefacit, humectat, purgat, roborat. Narrat Plutarchus, pestem illam immanem, quæ Iulij Cæsaris in Africa exercitum populabatur, nulla alia ope, quam vino generosiſſimo militibus propinato cohiberi potuisse, protinusque, quasi operante numine desijsse. Admiranda prodigiosaque est vini potestas. Mithridatium enim Theriacamque: Venetã licet Monspelienſemve, longe exuperat. Despicabilis certè utraque illa anti-

dotus præ cardiaco illo pereximio.

Vinum denique per se ea propemodum omnia efficit, quæ quævis alia præsidia simul. Quare pueris, mulieribus, iisque qui vino assueti non sunt, author sum, ut vino moderatè utantur, commodum non pœnitendum inde relaturi.

Sicera ex pomis vel pyris conficitur. Illa huic præferenda. Poma vero debent esse bona, matura, tempestivè collecta, citra aquæ admixtionem. Sic confecta sicera instar vini calida est, largiusque epota inebriat, nisi perinde ac vinum, lympha diluatur.

Pyraceum stomachum plus iusto refrigerat, coctionem interpellat, meatusque obstruit, quos pomaceum aperit.

Conjicere nequaquam possum, qua permotus ratione Autor quidam asserere ausus est, siceram elephantiasim inducere, cum in regionibus illis ubi sicera largissimè bibitur, nulli vel quam rarissimi lepra infecti conspiciantur. Secus vero apud Tectosagos & Prouinciales, ubi quam plurimos elephanticos passim reperias, licet sicera ne quidem apud illos nominetur. Valeat ergo hæc erronea opinio, nulla ratione firmata, expetientiaque falsi comperta.

Zythum non adeo frigidum est, ut sibi plebecula persuadet, nec, ut autumat, refrigeratoria facultate pollet. Zytho simplicissimo plus caliditatis quam frigiditatis inest. Zythum Anglicanum seu in Anglia ipsa

paratum vino calidius est, licet non æquè salubre vel gratum. Zythum aliquantum nutrit, sed difficilè coquitur, crassioriſque est succi, quo obstruit & inflat, præter arenulas, dolorem colicum, urinæ ardorem, renum & ventriculi dolorem aliaque symptomata quæ inducere natum est. Dioscorides ipse zythum apertissimè damnat, cum diureticum quidem esse perhibet, sed renes nervosque offendere, maximéque cerebri membranas; pravos generare succos, elephantiasimque creare. Dioscoridi Galenus astipulatur, zythumque pariter improbat. Vnde valde miror aliquos reperiri, qui illud adeo commendent, atque inter alios Autorem quendam, qui zythum vino præferre ausit, cum nulla utique facultate ornatum sit, qua vino nedum æquiparari valeat, quin potius prorsus inferius sit, ut paucis demonstrabo. Sanctus Patriarcha Noachus spiritu Dei afflatus, post eluviem universalem vinum invenit excultaque vite suscitavit, ut hominum vires insigniter imminutæ recrearentur. Contra non nisi ex inopia vel alio malo aliquo genio zythum adinventum est. Christus ipsemet vinum potavit, zythum ne gustavit quidem. Vinum, attestante Scriptura sacra, cor hominis lætificat, zythum contra mœstos morosoſque homines efficit, ex Cardano. Vinum probam hominis valetudinem, firmamque corporis molem tuetur, ait S. Ambrosius. Zythum

atrumque evertit. Vinum ex Platone adversus senectam præsidium est, vnde lac senum lepide appellitatur. Zythum è contra senectutem accelerat. Vinum, ait Aristoteles, facundum eloquentemque: Zythum balbutientem, cæspitantemque hominem efficit. Vinum ingenium exacuit: Zythum hebetat & obtundit. Vinum spiritus attenuat: Zythum crassos torpentesque efficit. Vnde evidentissimè patet, ne minimam quidem bonitatis guttulam gradumve zytho inesse, quo vino conferri possit, vino (inquam) rei inter omnes à natura productas optimę, quo nullum auxilium maius mortalibus concedere potuit, si qua decet, moderatione usurpetur.

Iusculum supra commemoratum parcissimè nutrit, plus tamen aquâ purâ, præsertim assuetos; inassuetis tormina parit, detergente nihilominus facultate ventrem lubricat.

Potus non unius modi est, qui ægrotantibus administratur, ex morborum, appetentiæ, consuetudinis, saporis, temperamentorum varietate. Aqua pura crudaque aliquibus in deliciis est, licet sæpiuscule noxia, ob rationes à Galeno allatas. Alij excoquunt, quod melius, cum hinc tenuior evadat, ventriculo minus gravis, minusque in hypochondriis cunctetur, quod, ex Hippocrate, aquæ bonæ indicium est. Alij aquæ hordeum incoquunt, vnde aqua hor-

dei dicitur. Alij aquæ & hordeo percoctis liquiritiam adjiciunt, plus, minus, ex ægrotantis guſtu: tuncque ptiſana eſt, communiſſimus hac tempeſtate ægrotantium potus, qui tamen plurimum ab antiquorum ptiſana diſcrepat, licet eodem nomine veniat. Vetus enim illa ptiſana hordeo noſtro mundato aſſimilabatur, mandebaturque: noſtra vero ſorbetur, eique viſcera refrigerandi, ſitim ſedandi, urinam modicè ciendi vis ineſt. Radices, herbæ, fructus ad maiorem refrigerationem humectationemque ſuperaddi poſſunt; quamquam inconſulto Medico ordinario liberiùs id faciendum non ſit, ut delectus doſiſque ſingulorum ingredientium, prout æquum erit, inſtituantur.

Complures etiam ſero lactis ad refrigerium utuntur, alij ſimpliciter, citra vllam præparationẽ, alij poſt levem ebullitionem ſerum excolant, modicumque ſacchari indunt. Illud magis refrigerat, ſed minus gratum eſt. Hoc iucundius, ſed minus refrigerat minuſque aperit.

Eſt & alius potus in ægrorum tricliniis uſitatiſſimus, vulgo *limonata*, ſeu *aqua mali citrij ſucco condita*, ex aqua limpidiſſima cum mali citrii ſucco ſaccharoque albo vel candido concinnata, vocaturque per excellentiam *potus divinus*. Is autem viſcera placidè refrigerat, ſtomachum roborat, pergrati ſaporis eſt, putredini obſiſtit, renes veſicamque per urinas expurgat,

Ad hanc seriem referri potest œnomel, hoc est potus ex vino & melle constans, hydromel simplex & vinosum ex melle & aqua, oxymel, apomel, iulepus rosatus, Alexandrinus, aliaque potuum genera, quæ ferè apud ægrotantes nostros exoleverunt, rarissimeque à Medicis, nisi insolita urgente necessitate, præscribuntur, eorumque loco iulepi & apozemata hodierno tempore à quamplurimis substituuntur, sed ea certè profusione, ut multo satius foret ea in totum proscribere, quam exitialem eorum abusum tolerare. Potiones namque eiusmodi maxima ex parte, non aliud sunt ab aqua saccharata, ægrotantiumque loculis exhauriendis, quam pravis viscerum humoribus apparandis educendisque aptiores. Deum sinceris votis obsecro, ut perversa ista gens aliquando resipiscat, artemque suam maiori cum religione probitateque exerceat, atque hinc Medicinæ decus splendidius eluceſcat: vel Vir quispiam nobis exoriatur, qui sua prudẽtia & authoritate omnes profliget exterminetque qui in artem nobilissimam irrepsere abusus. Medicos nonnullos reperias, qui ex nimia seu audacia, seu indulgentia, pro quovis potu ægris vinum, modò dilutissimum, concedunt. Quod in calidis morbis minimè licet, neque etiam in quibusdam frigidis, præsertim ubi capitis dolor adest. Tum enim non nisi maximo cum iudicio vinum, licet lymphatum, indulgen-

dum est, quia caput facillimè à vini vaporibus in omni morbo pulsatur. Quamvis non plane inficior, longioribus morbis, in quibus vires ad diuturnitatem custodiendæ sunt, tantillum vini plurima aqua diluti concedendum esse, maxime Medico ordinario annuente, quo inconsulto nihil tentandum, nihil moliendum, nihil in eius præceptionibus immutandum.

De somno & vigilia.

Caput IV.

Somnum atque vigiliam summa cum prudentia moderari debet, quisquis valetudinem sartam tectamque tueri desiderat, exploratumque habere quomodo, quando, quantum, somno vigiliæque indulgere debeat.

Somnus placidus, profundus, mediocris esse debet. Laudabilis enim non est, si inquies, perturbatus, brevis & interruptus. Qui prolixior vitiosus pariter, cum prohibeat, ne corpus suis tempestivè expurgetur excrementis, quin potius ea retineat eorumque proventum augeat, cerebrum refrigeret humectetque, caput gravet, mentis sensuumque torporem inferat.

Somni duratio ex ingesti alimenti concoctione digestioneque definienda. Quamvis enim non expediat ut omnes tantundem dormiant, cum alij promptissimè coquant,

alij

ar[illegible] tardissimè : in genere tamen ferè constat somnum septem vel octo horarum, vel circiter esse debere. Attamen vt certius determinetur, spectanda sunt temperamentum, ætas, nutricatus, labor, seu vitæ institutum. Biliosis enim, quam pituitosis, senibus quam iuvenibus, copiosiore cibo expletis, laboreque seu animi, seu corporis exercitatis, quam frugaliter sobrieque pastis, otiosis, seu leviter exercitatis somno opus est longiore.

Situs in dormiendo commodior est, si primùm in latus dextrũ decumbatur, ut esca ventriculi fundum citius petat : hinc in latus sinistrum, ut alimenti coctio promoveatur, hepate in ventriculum inclinato & quasi incumbente : absoluta demum coctione, rursus in latus dextrum reclinandum, ut chylus facilius distribuatur deferaturque ad hepar. Adde quod situs alternatim facta permutatio defatigationem non parum sublevat : supinus plane decubitus non est salubris, ut nec integrè pronus, ijs præcipuè, qui oculorum fluxionibus tentantur.

Tempus nocturnum, duabus tribusve à cœna horis, somno opportunissimum est, nocte ad id maximè conferente, ob humiditatem, frigiditatem, silentium, strepitus cessationem. Præterea nox somno aptior est, quia ad coctionem absolvendam satis longa est, cum ad negotiorum executionem minimè opus sit exurgere, & sominus diur-

nus, vt noxius ab omnibus improbatur, quia cerebrum nimia humiditate perfundit, quæ vigiliis potiùs exsiccanda foret. 2. Quia ad ciborum coctionem perficiendam breuior est. 3. Quia somnus diurnus nocturnum impedit. 4. Quia tunc fit violentus contrariusque naturæ motus; quippe lux diurna foras spiritum caloremque euocat: somnus è contra vtrumque intrò compellit. Obseruatione tamen dignissimum est, quod Galenus (Homeri auctoritate nixus, qui scribit, Nestorem post epulas somno tantisper indulsisse) senibus somnum concedat: arbitrorque etiam ego assuetis id condonandum; quod complurium Religiosorum exemplo usuque liquet, qui nocturno somno ad diuinum officium interrupto, citra incommodum per aliquod tempus interdiu obdormiscunt. Sciendum tamen est, vt qui debili sunt capite, statim à pastu somnum non ineant, quia in huiusmodi hominibus, vt ait Galenus, *lib.* 4. *Aph.* 67. copiosis vaporibus oppletum cerebrum perturbatur, obscuraturque, capitis doloribus aliisque symptomatis impetitur.

Porro vt homini necessarium est maximam in somno moderationem adhibere, non minori cura vigilia gubernanda. Nam vt somnus immoderatus cerebrum plus iusto refrigerat & humectat: sic immodicæ vigiliæ cerebri temperiem alterant, sensus debilitant, vires destruunt, coctionem distur-

bant, cruditates plurimas generant: quia in pervigilio calor innatus cum sanguine spiritibusque foras profilit, indeque admodum dissipatur exhauriturque: atque ut interdiu dormire, parum salubre; sic pro valetudine est, vigilare. Ideo interdiu vigilare, noctu somnum capere præcepit Hippocrates: quia nocturno somno natura in coctione cibi occupata eam melius peragit: diurna vero vigilia alimenti distributio excrementorumque expulsio promovetur perficiturque. Adde animalem facultatem ad actiones melius obeundas luce & calore diurno excitari.

De motu & exercitio.

Caput V.

Motus omnis corporeus in naturalem & voluntarium diuiditur. Ventriculus, intestina, venæ aliæque corporis partes alimentum ad se trahunt, cor & arteriæ indesinenter pulsant, idque motu naturali. Voluntarius motus exercitationis genus omne, quod ex electione voluntatisq; arbitrio suscipitur, comprehendit, eiusque differentiæ sunt multiplices, ut currere, saltare, tripudiare, fodere, remigare, onus gestare, venari, equitare, &c. Multis usibus exercitatio commoda est, sed præcipue calori innato augendo, spiritibus excitandis, solidis cor-

poris partibus roborandis. Tempus exercitationi convenientissimum est, quod cibum antecedit, matutinum & serotinum: incommodissimum statim à cibo, nunquam tunc ineundum, vt Hippocrates edixit *6. Epidem.* vbi accuratissimam regulam in labore seu exercitio, cibo & potu, somno, venereis servandam tradit. *Labor*, inquit, *cibus, potus, somnus, Venus, omnia mediocria.* Exercitationes quæ modum excedunt, corpus emaciant & exsiccant. Exercitationis privatio nimiave quies hebes ignavumque corpus reddit. Prudenter itaque mediocriterque in hoc se gerendum, ne invaletudo morbusve aliquis inde exoriatur, unde salus firmitasque expetitur. Exercitationis autem modus esto, dum corpus incalescat, floridus in corpore color eniteat, leuis sudor excitetur, corpusque lassari & turgescere incipiat.

De Quiete.

Caput VI.

Motui opponitur quies, qua spiritus reparantur, novæque vires lassatis fatigatisque ex prægresso labore membris sufficiuntur: partes quippe corporis diu citra quietem persistere nequeunt. Sicut enim post longas vigilias somno, ut rei prorsus necessariæ, incumbendum: ita à labore

exercitationeque quieti viciſſim indulgendum. Sicque motus & quies prodeſſe & obeſſe nobis poſſunt ex varia vtriuſque ratione. Prodeſſe quidem, ut valetudinis ſunt præſidia. Obeſſe, ut cauſæ morbificæ.

De excrementorum evacuatione.

Caput VII.

VNum ex valetudinis tuendæ primariis præceptis eſt, ut corpus excrementis onuſtum exoneretur expurgeturque, ne iis retentis male afficiatur. Excrementorum alia benigniora, quæ ſola quantitate excrementa duntaxat ſunt, ut ſemen & ſanguis menſtruus. Alia minus benigna, ac prorſus inutilia, quæ bifariam rurſus dividuntur in generalia ſcilicet & particularia. Excrementa generalia ſunt, quæ ab una parte ſingulari non prodeunt, ſed ab univerſo corpore; qualia ſunt trium coctionum excrementa, infimi ſcilicet ventris, urina & ſudor. Particularia ſunt, exempli gratia; pituita mucoſa, cerebri; humores viſcoſi, pulmonis; excrementum melancholicum, lienis; biliоſum, veſiculæ fellis; (quæ duo poſtrema per alvum cum deiectionibus quotidianis in corporibus ſanis expurgantur;) hæmorrhoides, & purgationes menſtruæ in mulieribus. Paucis de horum ſingulis ſuo ordine agen-

dum nobis est, ut cautior quisque circa isthæc evadat.

De actu Venereo seu seminis evacuatione.

Caput VIII.

IN seminis excretione summa adhibenda moderatio, ne liberalior profusiorve sit. Huius excrementi quamvis utilis, retentio periculo non vacat; quia retentum putrescit, venenique naturam æmulatur, præsertim in mulieribus, undeiuvenes viduæ hysthericis præfocationibus sunt maximè obnoxiæ, ut Gal. *lib. 6. de loc. affect. cap. 5.* demonstrat. Materia enim isthæc spermatica corrupta eo deteriora inducit symptomata, quo familiarior perfectiorque est. Grauior longè noxa est ab excretione si profusior fiat, quippe quæ vitæ magis incommodet, quam si centupla sanguinis evacuatio fiat. Vnde fit, ut omnia animalia ad Venerem propensiora, brevioris sint vitæ, ut passeres, quialterum non exceduntannum; mareſque quoniam salaciores, feminis citius intereunt. Itaque cui firma valetudo cordi est, præ cæteris ab inordinato immodicoque Veneris appetitu sibi temperet, ea duntaxat lege & modo, ut naturæ huiusmodi excremento oppressæ satisfaciat, non autem ut voluptati indulgeat habenasque laxet: se-

men namque cum benignum sit excrementum, è corpore expelli non debet, nisi sola copia exuperet atque officiat: tunc enim ex opportuna illius vacuatione (ex Galeno) cor exhilaratur, respiratio liberior evadit, mœstitia discutitur, bilis mitigatur, somnus pervigilibus inducitur.

Vt autem iustior, quoad fieri potest, genituræ excretio fiat, temperamentum, ætasque attendenda sunt. Melancholici enim ac pituitosi multo gravius ex impensiore seminis profusione, quam sanguinei & bilioſi offenduntur. Penes ætatem, qui in virili vigenteque sunt ætate officio venereo longè melius minorique noxa perfunguntur, quam senes, frigidi, & extenuati.

Porro ex immodica genituræ evacuatione innumera calamitosaque exoriuntur symptomata, cuiusmodi sunt totius corporis imbecillitas, spirituum viriumque dissipatio, mentis torpor, oblivio, visus debilitas, tarda pravaque ventriculi coctio & cruditas, oris fœtor, convulsio, apoplexia, epilepsia, tremor, paralysis, omne arthritidis genus, chiragra, ischias, gonagra.

Cum superius dictum fuerit, istius excrementi, quamvis utilis retentionem periculo non vacare, iuvenilemque ætatem ad Venerem magis esse habilem: ne illinc iuvenes argumentum arripiant in libidinem sese effundendi, quasi eos ad lasciviam impudicitiamque incitare nobis sit animus. Absit,

vt eos iam sua sponte, mala educatione nimiaque parentum indulgentia ad luxuriam pronos accendere velim, eis ansam occasionemque suggerere lasciviendi, cum religionis offensa discrimen valetudinis omnino evertendæ subeundi, fœdam exitialemque labem forsan contrahendi, qua in calamitosam ærumnosamque vitam se condemnent. Mea enim hæc sententia, proborum Auctorum suffragio nixa, intelligenda venit de mulieribus iuvenibusque viduis, in quarum corpore semen, utpote magis aquosum, minus fœcundum, paucioribus spiritibus refertum, facilius vitiatur corrumpiturque quã virile semen: ex cuius retentione, licet diuturna, pravum ullum exortum symptoma vix est compertũ; licet suo seculo cul issimus eruditissimusq; scriptor *Angelus Politianus Florentinus*, posteris id persuadere voluerit in epitaphio illo, quod *Michaëli Verino*, ingenuo adolescenti *Hispano* hoc districho posuit, quod hic insero, ceu pertritum, vt erroneam viri opinionem palam faciam.

Sola Venus poterat lento succurrere morbo,
Ne se pollueret, maluit ille mori.

Vbi Lectorem moneo, allegatam illam Michaëlis Verini obitus causam, nimiam scilicet feminis copiam, falsam esse ac erroneam, enunciationemque eiusmodi ab homine rerum Medicarum rudi atque ignaro confictam, cum probus eruditusque Medicus, cuius ob oculos Dei reverentia obversetur

(prout quemque bonum decet) nec præscripserit præscripturusve unquã fuerit actum venereum illicitũ quasi præsentaneum unicumque ad lethalis morbi curationem præsidium, ut Poëta ille commentus est.

Cuique valetudinis studioso ratum esse debet, quod Plutarchus tribus protulit verbis de cibis, exercitatione, & Venere: *Vesci citra saturitatem: impigrum esse ad laborem: vitale semen conservare, tria saluberrima.* Hæc tria capita sedulò obseruata quibuscunque alijs longè prævalent, licet regula generalis, quæ omnibus quadret, præscribi non possit. Epicuri opinioni, existimantis venerea nullatenus valetudini tuendæ esse necessaria, adhærere satius foret, quam necessitatis obtentu in turpem infamemque lasciviam corruere ac immergi, cum parum verisimilia videantur (aiebat sæculi anteacti vir quidam philosophus) quæ de commodis ex actu venereo, moderatissimè licet usurpato, antiquis memoriæ prodita sunt. Quis enim nesciat illum nunquam citra agentis debilitationem exerceri? Quis pariter non sentit experiturque in dies sollicitos anxiosque nos esse non debere in materiæ istius seminalis eiectione promovenda, cum natura ipsa sese exonerandi modum perbelle calleat exequaturque, quum illius copia opprimitur, interque dormiendum irritatur: imo aliquibus etiam inter vigilandum sponte effluat. Valeat ergo absona illa pernicioſaque disciplina.

Monitos iterum iuvenes velim, qui totos voluptatibus, præsertim venereis, se dedunt, ex suis libidinibus propudiosisque excessibus his mulctandos præmijs, breviori vita, sexcentorum morborum dolorumque acerbitate & carnificina, uno verbo effrænatam voluptatem calamitate ærumnisque terminandam. Subeat, quæso, illis in mentem Nicolai Leoniceni Medici præstantissimi responsum, qui annum agens 95. interrogatus, quo modo eam attigisset ætatem, tanto vigore firmitateque præditus, liberè respondit, *quod castam iuventutem virili ætati tradidisset.* Nec non etiam salutarem Michaëlis Montani Nobilis Galli, *exercitationibus Gallico idiomate conscriptis*, observationem recolant; lasciviam venereamque libidinem, in quam huius temporis iuvenes effrænatè se præcipites agunt, brevioris nostrorum hominum vitæ causam esse præcipuam: productiorem vero maiorum nostrorum prægressis sæculis vitam eorum continentiæ adscribendam: cuius ratione maximam iuventutis partem à venerea intemperantia liberam immunemque transigebant, huic non nisi virilem ætatem firmiusque robur adepti indulgentes, atque ut plurimum cum moderatione.

Plura de his dicere supersedeo, Theologisque relinquo. Vt huic capiti coronidem imponam, inculcabo duntaxat circa res venereas maximam prudentiam mediocrita-

temque esse adhibendam, rationemque habendam virium præsentium, tempestatis anni, temperamenti, aliarumque cautionum. Paucissimis verbis id ab Hippocrate sedulò commendatum. *Labor, cibus, somnus, Venus, omnia mediocria.* Epicurus ipse veneream voluptatem adeo parvi pendebat, ut, referente Galeno, eam noxiam valetudinique infensam reputarit. Quod verum absolutè non est, modò citra excessum debilitatisque sensum usurpetur, cum, ut iam insinuatum, alacritate maiore liberioreque respiratione excipiatur.

Penes tempus velitationis venereæ committendæ, commodum illud est, quum corpus in omnium circunstantiarum iusta commoderatione existit, hoc est non impensius plenum, vel vacuum, vel incalescens, vel refrigeratum, humoribus onustum, vel extenuatum. Præterea, id à cibo potius fiat, quam ante: non statim tamen à cibo, verum quinque sexve horis post, somnusque desuper ineundus. Convenientissimum opportunissimumque tempus præ cæteris est post quatuor vel quinque horas somno impensas coctioneque peracta, somno iterum postea aliquot horis concessis, ut nova fiat virium restauratio, corpusque prægressa evacuatione fatigatum sublevetur. Adde quod, ob alias causas postremus hic somnus feminæ utilissimus est.

Quod ad temperamentum spectat Veneri

magis idoneum, sanguinei pancraticè ad hoc valent, hoc est naturaliter calidi humidi: illis enim vix venereum exercitium obest, nisi insigniter excedant. Bilioſi minus sunt idonei, utpote ſicciores, cum sanguis hinc incalescat biliſque exacuatur. Pituitoſi sunt iusto humidiores, illiſque admodum nocet, nisi quam moderatiſſimè eo utantur. Melancholicis frigidis & siccis præ cęteris omnibus Venus infensiſſima est, quia ultra modum eos refrigerat exsiccatque.

Victus calidus humidus semini procreando aptiſſimus est, præsertim si vino condiatur, quod ea de causa *lac Veneris & incentivum libidinis* appellatum est.

Inter anni tempestates tempus vernum opportuniſſimum est, propter temperiei æquabilitatem sanguiniſque tum vigentis prædominium. Hinc hyems, tum quia calor innatus tunc vegetior est, tum quia copioſius ingeritur alimentum. Deinde Autumnus. Æstas vero nullo modo idonea est, ob spirituum viriumque à calore externo diſſipationem.

Quoad ætatem, nulla est convenientior iuventute & ætate virili. Adoleſcentia quippe infirmior, humidiorque est, necdum perfectum incrementum adepta. Senectus aridior est, humoreque illo prolifico destituta, qui ad venereum commeatum neceſſarius est.

Turpe ſenex miles, turpe ſenilis amor.

Frequentes oppidò ſenum, qui iuvenes duxerant uxores, mortes ſatis declarant, quantum Venus illis, vitæque principijs ſit inimica. Ad id comprobandum Itali illius ſolo nitar epitaphio, *qui cum*, (referente Paulo Iovio in illuſtrium virorum Elogijs) *plane ſenex, & articulorum dolore diſtortus, ab ætate formaque florentis iuvenis toro dignam duxiſſet uxorem, aliquanto prolis, quam vitæ cupidior, lethalis intemperantiæ pœnas dedit.*

In fovea qui te moriturum dixit Aruſpex,
Non mentitus erat, coniugis illa fuit.

Vel aliud eiuſdem ab alio Poëta conſcriptum.

Hic nunc clare iaces, & quem Podalyrion eſſe
Vidimus, annoſum ſuſtulit ipſa Venus.

Si venerea voluptas cum omnibus requiſitis admittatur, corpore ſuperfluorũ humorum copia liberato, alacrioreque reddito, animæ etiam prodeſt, tædio cogitationibuſque melancholicis diſcuſſis, in ijs maximè, qui Erotomania ſeu amore inſano divexantur, ut inſinuavit Hippocrates *libro de virginalibus.*

De mulierum menſtrua purgatione.

Caput IX.

MVlieres omnes huic ſunt evacuationi obnoxiæ, ſingulis menſibus in ſanis

valentibusque perficiendæ, in puberibus, quinquagesimum annum non supergressis, non gravidis, nec nutricibus. Iure meritissimo ab Hippocrate pronunciatum, morbos omnes muliebres ab uteri cacopragia enasci, *aut in utero, aut ab utero*. Quamprimum enim mulier morbo corripitur, eiusmodi evacuatio, ut causa suspecta utplurimum arguitur, sive profusior sit, sive parcior, sive non statо tempore fluat. Quare sollicitæ admodum mulieres esse debent, ut isthæc evacuatio mense quolibet rite procedat. Si enim exuperet, præter sanguinis largioris profusionem syncope, animi deliquio, convulsione, hydrope, alijsque lethalibus symptomatis mulier obnoxia est. Si vero præter naturam supprimatur, nullum morbi genus est, quod ab huiusmodi causa excitari non possit. Sanguis enim ille vitiosus in partes superiores recurrens uteri præfocationes, icterum, hydropem, inappetentiam, pulmonis inflammationem, pravosque alios affectus inducere potest. Eam ob causam eis author sum, ut tempestiue prudentem peritumque aliquem Medicum consulant, qui morbi causa probè explorata opportuna præscribat remedia, nec mulierculārum agyrtarumve nimium credant pollicitationibus, quibus unicum præsidium suppetit, quo utplurimum inauspicato in ægrorum abeuntur perniciem, uno calopodio (ut dicitur) contenti. Illas etiam monitas

velim, ne ita facilè liberéque (vt hodie fit) sanguinis ex infernis venis detractionem procurent, cum sæpiusculè ad id nil conferat, nisi tempestiuè celebretur: ideóque, nisi experitioris Medici consilio, huiusmodi sectio non administranda.

De alvi excrementorum, urinæ & sudoris evacuatione.

Caput X.

EX tribus publicis coctionibus, ea quæ in ventriculo perficitur, quæque prima est, chylosis vocata, ingentem excrementorum proventum, nostræ valetudini gravem, cumulat, si certo naturæ ordine vel arte deorsum quotidie non elabantur forasque eiiciantur. Quapropter singulis matutinis sellam cacatoriam inire quisque debet, ut naturam ad officium invitet, qua in re, ut in qualibet alia; moderatio adhibenda. Alvus enim si impensius laxetur, corpus admodum debilitatur, simplexque alvi fluor in dysenteriam degenerare potest, graviaque parere symptomata. Contra si astrictior sit, exarefactis corruptisque excrementis tetri malignique vapores in cerebrum efferuntur, unde hemicraniæ, aliique capitis dolores exoriuntur. Quibus præcavendis curandisve ad ptisanam laxativam ex sena,

aut cassia, ad prunorum iusculum, ad iuscula euchyma, lactis serum, suppositoria, clysteres recurrendum.

Vrinæ excretio, quę secundæ coctionis in hepate celebratæ excrementum est, necessaria pariter est, propter periculosa quæ ex urina suppressa superveniunt accidentia, cuiusmodi sunt lethargus, apoplexia, paralysis, hydrops, &c pręter acerbissimos dolores, quos huiusmodi suppressio invehit. Non facile tamen est in universum remedia huic affectui consentanea pręscribere, cum singulis urinæ suppressæ causis peculiare debeatur pręsidiū. Quam ob rem eos monitos velim, qui hoc affectu tentantur, ut quamprimùm Medicum consulant, qui causa perspecta iustum opportunumque auxilium suggeret.

Sudor, tertiæ coctionis excrementum, non tanti est momenti, tum quod ex pauciore materia generatur, quæ ferè per insensibilem transpirationem, citra ullum incommodum, resolvitur: tum quia nonnulli, non sine ratione, existimant, *integrè sanos nunquam sudare*; resoluto scilicet ac exhalante illo excrementi genere seroso vi caloris innati.

Sanitatis etiam pars est singulis matutinis nares emungere, caputque pectere, ut suis sordibus caput cerebrumque expurgentur. Sputi quoque expectoratio ad pulmones exonerandos procuranda.

Quod

Quod ſpectat ad hæmorrhoides, cum hodierno die affectus frequentiſſimus ſit atque acerbiſſimus, operæ pretium foret aliqua de iis earumque curatione perſtringere in plurimorum hoc permoleſto ſymptomate divexatorum gratiam. Verum quoniam hoc ad Medicinæ praxim pertinet, neque locus adeo prolixam patitur tractationem, qualem id argumenti genus poſtularet, aliquot monita duntaxat ſubijciam.

Imprimis vnumquemque in univerſum hortor, ne huic hæmorrhoidũ evacuationi, quoad fieri poterit, & quàm tardiſſimè aſſueſcat, neve quovis modo eas aperiri patiatur, hoc eſt ex ficus foliis, vel alia re aſperiore, nec adacto ſcalpello, nec admotis hirudinibus, quæ nonniſi optimum puriſſimumque eliciunt ſanguinem, vitioſumque in venis relinquunt, ex quo inibi concluſo putreſcenteque ingentes atrociſſimique dolores ſuboriuntur. Hæc quippe ſanguinis per anum evacuatio vi facta planè præter naturam eſt, cùm illac non niſi purus vel ſeroſus ſanguis extrahatur, impuro corruptoque in vaſis relicto, unde graviſſimi moleſtiſſimique ſuſcitantur dolores, qui nullis cedunt remediis, niſi ſanguine pluries detracto, purgationibuſque cauſa mali ſummota, quod non niſi generatim determinari hic poteſt, deciſione peculiari cæteroquin Medico ordinario relicta, omnia affectus ſymptomata circumſtantiaſque accuratiſſi-

me expensuro. Obiter tamen amicéque suggeram, quod millies sum expertus, idoneis fultus vtique rationibus, in hæmorrhoidum affectu ubi dolor urget, absente licet febre, multo magis præsente, præcipue cum calore & plenitudine in vasis, ab utroque potius brachio sanguinem detrahendum, quam ex pedibus, plurieſque & plurimum vitiosumque exilire, cum ex infernis venis non nisi purus paucusque vt plurimum prodeat, quod Galeni auctoritate *Comment. in Aph.* 25. *sect.* 4. confirmatur.

Secundò, hæmorrhoidibus vexatis, iisque obnoxiis consulo, ut cum purgandi sunt, pilulis abstineant aliove medicamento, quod aloen admittat, cum ex eo hæmorrhoides excitentur referenturque cum ingenti acerboque dolore.

Tertiò, ut quamplurimis topicis anodyniſque adminiculis, quæ vulgari sunt in usu, non confidant, cuiusmodi sunt unguentum rosatum, populeum, oleum amygdalarum dulcium, aliaque, quæ cum sint pinguia & oleosa, nedum dolorem temperant, imo adaugent, novo superaddito calore atque inflammatione, unde increscit dolor; quin potius utantur cataplasmatis ex simplicibus emollientibus, cuiusmodi sunt malua, bismalua, violaria, parietaria, mercurialis, aliaque id generis, absque oleo butyrove; vel simplici fotu ex aqua tepida, ablegato opio & quovis alio narcotico, quo maxima Em-

piricorum pars perperam abutitur, cuius vi deleteria gangræna facillimè excitari poteſt, indeque mors, cum acerbo animi morſu & ſtupore, ob præſtitam temerariæ curationi fidem

Poſtremò, ſi me audiunt cauſarij huiuſmodi homines, hæmorrhoidumque doloribus vexari conſueti, laudabilem vitæ normam ſervabunt, vt ab huiuſmodi acerbitate vel liberentur, vel ſubleventur; quæ in hoc maximè conſiſtat, ut frugaliſſimè ſeu maxima cum temperantia degant, à ſalſis atque aromaticis, operibuſque dulciariis abſtineant, tantillo biſcocto ſi allubeſcat, interdum conceſſo: vinum fugiant, vel parciſſimè utantur; equitationem quam rariſſime ineant, ventris lubricitatem procurent, ter, quaterve, imò pluries in anno ſanguinem è brachijs, nunquam vero è pedibus detrahi ſatagant, ne in partem affectam fiat attractio: purgationem præcavendi gratia quinquies ſexieſve quotannis celebrent, ex ſenæ & caſſiæ infuſo, vel ex ſena per ſe in ptiſana infuſa: mœrorem, tædiumque melancholicum, quoad fieri poterit, eliminent: quin potius corpus animumque exhilarent, moderatumque aliquod exercitium ſubeant. Plura impræſentiarum cumulare non vacat, auctariumque Medico ordinario relinquo, qui ex iudicio quæ è re videbuntur ſcitè commonefaciet.

Sunt & aliæ evacuationes, ceu phlebo-

tomia, purgatio, vomitus, narium hæmorrhagia, &c. à quibus hic abstinebo, cum propositum simplicemque vivendi rationem excedant, quarum ratione necessitateque urgente consilium subsidiumque medicum implorandum.

De animi pathematis.

Caput XI.

In postremo rerum non naturalium ordine animæ perturbationes recensentur, quarum principes sunt timor, tristitia, ira, gaudium, pudor. Huiusmodi affectus minimi sunt usus, excepto gaudio, cum ex illo cor lætificetur, calorque nativus exsuscitetur. Tristitia iis conducit, qui effusiori gaudio exultant aut lasciuiunt: ira ingeniis lentis torpentibusque commoda: timor temerariis, pudor perfrictis frontibus convenit.

Ab aliis affectus animi aliter dispertiuntur, ex varia boni vel mali, præsentis vel futuri apprehensione. Ex boni præsentis opinione gaudium, invidia, & malevolentia oriuntur. Ex boni futuri apprehensione spes, amor, atque ira emergunt. Ex mali præsentis opinione mœror, tristitia ac misericordia: ex futuri opinione timor, verecundia ac desperatio exurgunt. Illi autem omnes affectus impetuosi sunt violentique motus animi, extra rationis limites egressi,

quibus nihilominus pro causarum varietate moderatio imperanda, eoque maiori studio & cura, quo corpori anima præstabilior est, huiusque pathemata maximo intervallo momentoque omnibus corporis affectibus, quantumvis gravibus, præponderant. Eorum etiam tanta vis est, ut non solum corporis constitutionem indicent, verum etiam non leves in eo mutationes inducant, ob insignes caloris innati tum foris, tum intus commotiones. Ex animi perturbationibus aliæ corpus vehementer percellunt, aliæ blandè & leniter: inter quas gaudium primas tenet, quod ubi moderatum est, sanis omnibus conducit, vt & ægrotantibus: quia diffuso foras calore, cum sanguine & spiritibus, omnium facultatum vim suscitat, corporis habitum nutrit atque humectat, vividum huic colorem accersit, cor dilatat vt præsenti bono potiatur oblecteturque. Verum si gaudium sit immoderatius, syncopen animique defectũ sępiusculè creat, aliquibus etiam mortem repentinã inferre potest, senibus præcipuè, mulieribus, aliisque delicatioribus & molliusculis, in quibus ex substantia spirituum dissipata maxima facultatis vitalis dissolutio consequitur. Id historiæ attestantur quamplurimæ. Dominus à Langey Gallus Nobilis *lib.* 2. *memorandarum obseruat.* scribit, Leonem decimum Pont. Max. ex Medicæa familia oriundum, gaudio expirasse, audito Gallos ab urbe Medio-

lanensi expulsos anno 1521. Daubignæus (Autor Calvinianus) idem cuidam feminæ Delphinati contigisse asserit, cum reducem ex pugna Moncororiensi sospitemque coniugem cerneret, in qua periisse illum crediderat anno 1569. Liuius etiam autor est, Romanam quandam matronam gaudio sublatam, conspecto filio, quem in Cannensi prælio occubuisse audiverat. Dionysius Senior, Siciliæ Tyrannus, idem fatum expertus est. Propitia quippe semper fortuna, singulariq; modestia usus, cum palmam se in Tragœdia tulisse accepisset, ex tempore præ gaudio exanimatus est. Diagoras Rhodius, Chilo Philosophus, eodem extincti sunt modo, liberos scilicet exosculando, in Olympicis ludis palmæ gloriam adeptos, referente Plinio, *cap.32. li.7. hist. natur.* Idem de Sophocle poëta Cicero *in Tusculanis* narrat. Philemon poëta, conspecto Asino ficus ad prandium apparatas comedente, tanto effusus est risu & cachinno, vt derepente expirarit. Plutarchus, *tractatu de mulieribus illustrib.* egregiam affert historiam de illustri matrona Polycrita nomine, quæ animam eodem modo egit, quæ cum ex vi eloquij formæque decore à Diogene Erythræorum Duce, qui Naxum urbem cinxerat, ut obsidionem solveret impetrasset, ex castris in liberatam urbem se reciperet, ad portasque appelleret, ab universis civibus obviam procedentibus excepta, coronis capiti impositis, illiusque

laudibus decantatis, cuius immodica adeo lætitia, ut corde eam perferre non valente, subito præforibus interierit, ubi honorificus illi extructus tumulus est; adeo ut gaudium illi vitam eripuerit, quæ suorum ciuium sospita fuerat. Historiæ denique tum priscæ, tum recentes istiusmodi scatent exemplis.

Gaudio è diametro tristitia opponitur, quæ vix ulli prodesse potest, nisi forsan obesulis, segnibus, somnolentis nimiaque lætitia diffluentibus; quia ex illa calor sensim intrò colligitur, eáque ratione corpus refrigeratur exsiccaturque, vultus pallescit, pulsus imminuitur ex cordis constrictione caloriſque nativi oppressione, unde nova spirituum generatio inhibetur, interdum hinc etiam febris excitatur à difflatione impedita, quæ putredinem invehit: nonnunquam etiam mors inducitur, calore nativo præfocato, vt Plinius *lib. 7. cap. 36.* de Marco Lepido narrat, qui animi ex angore ob repudiatam uxorem quam deperierat, extinctus est; & de Publio Rutilio, qui derepente ex ingenti dolore interiit, postquam audiit fratrem à Consulatu repulsum fuisse. Historia sacra eandem fidem de Heli summo Iudæorum Pontifice ac Iudice facit, qui tristi nuncio de prospera adversariorum Palæstinorum fortuna audito, qui Arcam invaserant, filios occiderant, Iudæorum aciem everterant, prægrandi repentinoque tædio ac mœrore è sede regia cecidit, cervicem

perfregit, ex tempore mortem cum vita commutavit. Avicenna etiam *cap. 6. de viribus cordis*, ait ex tristitia duo consequi, imbecillitatem scilicet facultatis naturalis, ex caloris extinctione; humorum ac spirituum incrassationem, ex refrigeratione, unde succus procreatur melancholicus, qui mœstos, morosos, cogitabundos, anxios homines efficit.

Timor derepente calorem circa cor attrahit, unde fit ut partes externæ refrigerentur, pallescant, tremant, dentes fremant, vox intercipiatur, vires deficere videantur, alvus laxetur, urina effluat, ex facultatis retentricis imbecillitate, musculorumque resolutione, ex Aristotele *in Problematis*: mens etiam debilitata à sede dimovetur; nonnunquam etiam febres exoriuntur putridæ ex humorum commotione; vel morbi longi, ceu epilepsia; interdum etiam solvuntur, ut febris quartana, quæ non raro ex subito vehementique terrore desiit; mors etiam ipsa subsequi visa est, ex suffocato calore nativo, teste Alexandro Aphrodisæo *in Problematis*.

Ad timorem reducitur pudor, germanum bonæ indolis indicium, quo calor, ob frigus primum intro recurrit, dein virationis foras emicat: unde partes extremæ incalescunt atque rubescunt, ob sanguinis affluxum, qua de causa pallentibus decoloribusque conducit. Aliquando tamen quum ultra

modum præceps repentinusque est, mortem infert, ut Plinius de *Diodoro Dialectico* refert, qui pudore interiit, quod ex tempore facetæ cuipiam quæstioni à Stilpone factæ, spondere non potuisset: & Valerius Maximus de Homero, qui ex pudore & animi angore sublatus est in insula, in qua ænigma à piscatoribus quibusdam propositum, quid nempe egissent piscationis horam præstolando, explicare nequivisset.

Ira brevis est furor, & quidam caloris circa cor fervor; seu potius validus facultatis irascibilis motus, calidis naturis temperamentisque valde adversus, eo quod primò calorem intrò compellit, hinc ocyus foras trudit, pulsum celerat atque auget, sanguinem spirituque accendit, bilem acuit, febres inuehit ephemeras, atque etiam putridas, ubi corpus pravis scatet humoribus, ut docet Galenus *lib. 6. de sanit. tuenda, & 1. de febr. differ.* Nonnunquam tamen ira temperamentis frigidis utilis esse potest, utpote quæ ad partes extimas calorem nativum expandat. Si modum excedat ira, rationem vincit & disiicit, hominem extra se rapit, suique impotem efficit: quanquam ex ira, quantumvis præcipiti atque violenta, neminem unquam derepente exanimatum compertum sit: ast graves equidem periculososque subortos ex ira morbos, præ spirituum impetu & validissima commotione, caloriscque innati dissipatione immodica.

Ex omnibus illis pathematis præcipuisque illorum effectibus, liquidissime arctissima corporis animæque sympathia elucescit, utque alterum bene habere neutiquam valet, male habente altero. Vnde unusquisque erudiri debet, nullam animæ perturbationem violentam rationisque limites excedentem negligendã esse: quin potius intra quandam legitimam mediocritatem, rationisque gyrum coercendam, seu Philosophiæ præceptis atque disciplina, si ex ignorantia, pravaque educatione oriatur, animique imbecillitate; seu Medicinæ subsidio, si ex humorum vitio corporisque impuritate oriatur.

Operis conclusio.

Caput XII.

PAucula hæc dicenda habui de valetudine tuenda sex rerum non naturalium legitimo moderatoque usu. Huic autem sartæ tectæque servandæ, ceu pretiosissimo thesauro, studeamus, ut manantia inde commoda degustemus, vitamque ab infortunio ærumnisque quæ ex afflicta valetudine succrescunt vindicemus. Vivamus ergo, amantissime Lector, *medicè & modicè*, hoc est, ex Medicinæ præceptis atque legibus, cumque honesto moderamine, ut vitæ salubris fines promoueamus. Quicumque

enim, ex *Fernelij*, nunquam satis laudati axiomate, vitæ bonæque valetudinis fundamentum fecerit temperantiam & continentiam, nulla unquam calamitate vel ærumna premetur.

MONITVM INTERPRETIS ad Lectorem.

HVIC CE *de* tuenda Valetudine *Opusculo, elegantis & amænæ lectionis, feliciter & appositè succedet Thesis Medica tersissima & elegantissima, in Scholis Medicorum Parisiensium discussa anno Domini* 1647. *& ab eo tempore (adeo quam multis placuit) iam quater typis mandata, auctore viro eruditissimo & omnigenæ lectionis & literaturæ Magistro Guidone Patin Doctore Medico Parisiensi: qui ante annos viginti prælibatum Tractatum primùm in lucem emisit. Tota quidem illa est* de Sobrietate. *Sed sub hoc titulo universam penè Hygieinem cõtineri facilè comperiet quisquis eam attentè & æquo animo legerit. Lege igitur, Lector, vtere, & fruere novo isto Thesauro, quem tibi candidè offero.*

QVÆSTIO MEDICA,

Cardinalitiis disputationibus mane discutienda in Scholis Medicorum, die Iouis XIV. Martij, M. Guidone Patin, Doctore Medico, & Chirurgiæ Professore, Præside.

Esne longæ ac iucundæ vitæ tuta certáque parens Sobrietas?

VIVERE omnes diu iucundéque volunt, sed ad pervidendum quid eiusmodi vitam efficiat, penè omnes cæcutiunt, adeo nullius rei difficilior, quàm rectè vivendi scientia. Vix ulli quàm bene vivant, quàm diu, cuncti curant, cùm vnicuique integrum sit, vt bene, vt diu, paucis. Sanè huius vitæ isthmus perbrevis est, ac velut umbræ transitus: sed nostrâ sæpius, quàm Naturæ culpâ. Ab aliis quidem hæc pro iure suo citiùs, ab aliis tardiùs debitum exigit: vt Iudex eos primùm plecti iubet, qui minùs flagitij admisere, sic plerosque innocentissimos, sive hac in parte benignior, sive rigidior, antè cogit mori quàm cœperunt

vivere, in ipsóque vitæ apparatu, nihil aliud sinit, quàm lucem prospicere. Aliorum in ipso flore cursum interrumpit, alios adducit ad extremam usque ætatem, quæ quantacumque sit, paucorum annorum circuitus est. Nobis verò tametsi tantum patuit, quantum potuit, rapidè tamen videtur decurrere, quia vel inter errores conteritur: aut nihil, aut aliud, aut malè agentibus elabitur. Pecuniam ægrè quis alteri dividat; tempus, cuius unius honesta avaritia est, & totam propè vitam cuivis ultro impendimus: atque ita dissipatam dum terminum providemus, & quota ex parte nostra fuerit, reputamus, brevem fuisse conquerimur. Satis longa foret, si tota bene collocaretur, si plusquam reliquias sanis consiliis destinaremus. Quid quod plerumque nostræ ipsi salutis proditores sumus, & pessimo victus genere sanitati decoquimus. In vitia, pravi, dociles, alter alterum trudimus: & quæ communis est insania, priores malè iter ingressos, pecudum more, non quà eundum est, sed quà itur sequendo, alienis perimus exemplis. Sic paucis contingit longa vita, sed & pauciori-bus adhuc iucunda. Ab hac longè absunt quibus assiduum est cum morbis negotium, qui miseram trahunt animam tot in dies tormenta trahentem. Nescimus quàm multorum sit personata felicitas, quibus inter ærumnas Cor ipsum exedentes, necesse est agere felices. O si Tyrannorum mentes re-

cluderentur quanti possent laniatus & ictus aspici! ut corpora verberibus, ita sævitia, libidine, ultionis cupiditate, malis consultis animus dilaceretur! Quàm multi ob id unum miserrimi, quod ne aliquando miseri sint, semper timent. De grege illo sunt qui totam spirantes Arabiam, auro argentóque ornati, & adinstar parietum suorum extrinsecus culti, intus sanæ mentis hilum non habent: & quos strenua exercet inertia, ac velut in mari lento tranquillitas iners detinet, velotium negotiosum, beatósne dixerit, quisquis sapit? certè hilaris & optima vivendi ratio corporis animique pace continetur: nec tamen bonis corporis metienda, alioqui pecudis conditio melior quàm hominis Nuda & ratione defecta vita muscarum ac vermium bonum est, hominis verò, rectè valere & sapere: nec enim verè felicitérque vivimus nisi cùm omni corporis molestia vacui, bonæ menti laboramus: æger est qui corpore validus, minùs valet animo: tunc tantùm perfecta sanitas est, cùm partis utriusque veluti iunctorum ad bigas equorum quædam æquabilitas est; neutra incumbit alteri: tanti verò boni cùm tam rara sit, quàm fugax possessio, an abs re vita brevis & ingrata iudicatur?

Fata fugiendo incurrimus, & ut alios ocyùs, alios seriùs comprehendant, neminem tamen prætereunt. His vel inviti colla submittunt qui sibi populos tanto tu-

multu subijciunt, nemo impunè refragatur. Omnes quidem simili ratione nascimur: Verùm vt modo dissimili, sic ætate dispari mortem oppetimus: plures immaturi decedunt, ex Naturæ necessitate pauci. Nullus ultra pensum vivit, nec fixum cuique terminum gratia aut industria ulteriùs unquam promovit. Huic ne momentum quidem adijciat ipse Æsculapius; multò minùs auro suo potabili (putabili) Chymista fumivendulus. Sæpe tamen quem interitus diem victus error accelerat, prudens Medicus consiliis suis retardat. Vt quis longissimum vitæ spatium sanus compleat, is necesse est puro sanguine, & copia nativi caloris, humido primigenio probè temperati circumfluat: neque tamen quisquis utroque abundat, diutissimè vivit: quanquam & id in manu nostra est, modò ne salutarem hunc humorem diripi affatim sinamus, vel obrui. At quia nihil minùs curamus, ferè & ante diem obrepit mors, quæ vbique in insidiis est, iuvenibus in propinquo, senibus in limine; scilicet agunt eius negotium multa quæ nos assiduè circumstant incommoda, quibus ceu turbulentis externarum procellarum fluctibus iactati huc illuc traducimur: nec minùs favet quæ nos ad omnem ictum exponit, innata imbecillitas: nempe frigore, æstu, labore offendimur, ipso rursus situ & otio corrumpimur; non omne cælum ferimus, fames & sitis mortem minantur, nisi remedium adhi-

beas; cùm interim potus & alimenta, quorum modò inopiâ, modò copiâ rumpimur; sapor, odor, vigilia, somnus, & cætera sine quibus moriendum est, non rarò sint mortifera, vt mirum sit tot iniuriis patere hominem, vix unius patientem. Sed ut ex his tuti emergamus, quem blandæ voluptatis illecebræ non aliquando irretiunt? aut quem si moderatrix temperantia sedulò conservavit, casus aliquis non obterit? quosdam incautos momẽto interimit venenatum animal, perit ille alter Italo perfusus aceto : Hos mare, alios fulmen, alios assumit terra, bello permulti cadunt, & hos bello superstites, opprimit domus. delet ignis, usque adeo certæ mortis incertus est dies ac locus, nec ut hanc vitet, unquam homini satis cautum est in horas. Tot ac tam variis brevioris ævi causis accedunt & multò frequentiores morbi, nostro utplurimum vitio nati: hos sequitur languor, & minor annorum numerus, si fortè non sequatur interitus : cuius ubi periculum propiùs admotum est, dum stolidè ad illos concurritur, apud quos sua cuique vænalis vita promittitur, magno plerumque mors emitur : pyxidibus quæ titulo ostentant remedia, intus venena, aut ut ferè fit, nihil planè præter muscerdã recondentibus. Abhis ubi crumena, nõ ægritudo levior facta est, videas ægros Medicorum genua tangentes, suaque omnia, sed serius paratos impendere, ut mortis laqueis expediti vivant,

&

& novis vsque suppetant doloribus: ita nos una catena hîc alligatos tenet, amor vitæ: si tamen aliter quàm nomine vita est, prorsus reipsâ labor, aut lenta mors, tanto plus aloës quàm mellis habet. An verò nihil habet homo quo has possit abstergere molestias? magnam quidem earum partem facilè declinaremus, nec paucorum annorum, imò & dierum accessionem votis turpiter mendicaremus, si tantum in præcavendis morbis, quantum in iis dum nos exercent, profligandis, operæ poneremus. Sed tanta nos valetudinis negligentia tenet; ut quanti facienda haud aliter quàm perdendo cognoscamus: amissam ægrè recuperaveris, etiamsi adhibeas preces argenteas: ut sine impĕdiis præsentem retineas, facilis est & compendiaria via, modò bonis auspiciis ineatur: tota puncto res constat.

Vis te beatum facere? frugi ac sobrius esto: disce quod maximæ artis est, inter epulas esurire: fuge ἀμουσίας, & varios missus qui excitant alliciúntque veluti præstigiis, captam appetentiam. Ad cibum & potum, ut vitæ, sic mortis viaticum, non tanquam ad vas implendum accedito, sed ut sumas parcâ quod satis est, manu, nec tam eorum usu sis, quàm temperantia lætus. Summum bonum est nullo alimento egere, ab hoc proximum, quàm minimum requirere. Saluberrima vitæ forma est secundum naturam vivere: exiguum hæc desiderat, immensum

opinio. Furor est cùm tam exiguum capias, cupere multum: cogita quàm paruum tibi sit corpus: sensus licèt augeatur, non id tamen laxabitur: nos sæpe maiorem habemus famem quàm ventrem: hunc cum sale panis latrantem leniet, vel prima iratum facilè placaverit esca: si benè institutus est, non erit molestus interpellator: parvò dimittetur: si das illi quæ debes, non quæ potes, aut petit omnia: ne malè pareat, ipsi noverca sis oportet; ferè enim in hunc solâ peccatur clementiâ. Hoc unum est & quidem summum Medicorum præceptum, per quod semper careas Medico, nempe os regi patiens, domino pro centum Medicis est. Hac una ratione quasi divina quadam virgula differtur, ac demum floridior contingit votis vel malignis nulli non optata senectus, quam suis χρηπσοχιεσυργήμασι, Panaceâ, Mumiâ, & herbis Hermeticis, incombustis oleis, viuidis laticibus, arcere falsò prædicant æquè mendaces ac creduli, putidique ciniflones Chymistæ. Huius præsidij vim adversus cuncta vitæ incommoda, nec Moly Homericum, nec Plinij Theombrotion, aut Dodecatheos unquam æquaverint: nihil in illum licebit morbis, qui ultra quod suadet Sobrietas, nihil sibi licere putaverit. Non opus est tot glutire catapotia, tot lambere syrupos, tot pharmaca, ac penè tot exhaurire pharmacopolia, ut fœda humorum saburra ingluviei soboles, & morborum parens

exhauriatur coccis Cnidiis, helleboratis, ſcammoniatis, antimonio (diabolico inter remedia monſtro) & aliis infenſis, peregrinis, ac ſæpe adulteratis medicamentis, quæ purgari potiùs debeant, quàm ut tutò noſtra purgare queant corpora. Intemperantium iſta ſunt, qui ceu lintea dum ſapone & nitro detergentur, citiùs pertunduntur, cathartica ſæpius ſorbendo, celeriùs deteruntur. Qui ſobriè degit, niſi fortè ſit ab ortu ἀλλοιοπαθὴς, & quaſdam habeat cauſarias partes, tam vacat omni morbo, quàm humorum cœno; ut proinde nullo egeat medicamento Si qua ex ictu vulnera, indéque ulcera facta ſint, & citò & ſponte coëunt. Peſtis ipſa morborum caput quantumcumque ſæviat, æquè illum habebit eximium, quàm olim Athenis temperantem penéque divinum Socratem: ſcilicet aëris, loci, frigoris, æſtus, externarúmque cauſarum vis omnino elangueſcit, ubi nihil adiuvant inquilini hoſtes, cibus & potus. Quinetiam ſub hoc tranquillo corporis ſtatu quæ ſenſuum iudicio iucunda ſunt, magis oblectant, videntúrque ſuaviora: quippe ut ſerenitas Alcyonibus, ſic ſanitas voluptatibus commodum præbet ortum: neque ſolùm à parciori victu perbellè habet corpus, ſed & optimè habet anima. Subtilis animus molem ventris refugit, & corpore meliuſculè habito ad cognatas illi actiones inclinatur: mens ſicco corpore fulget ut ſtella nitido cælo; quóque

ipsi minus est cum corpore commercij, minus ineſt & vitij: non disrumpitur irâ, non movet iurgia, nõ coquit seditiones placidus & sui compos animus: non æstuat habendi desiderio, quem sustinet cibus nec corpori gravis, nec patrimonio: non illum venus erubescendis adurit ignibus, qui vix libatis epulis, silentium indicit indignanti stomacho: amica castitati fames panem cogitat, non adulteria. Hanc morum innocentiam, innocenti victu tuebantur olim Christiani Anachoretæ (ut in Palæstina Esseni, gens æterna, in qua nemo nascitur) ipso adhuc anno centesimo sani: veniebat in cibum panis aut palma, quæ & vestitum præbebat: nam cocti aut calidi aliquid comesse, inter cupedias erat, in potum hausta è proximo fonte frigida: à vino tam procul aberant, quàm ab urbibus. Eiusdem frugalitatis tenacissimi primi, & à Deo recentes homines nongentos annos vivebant, carnis perinde ac fraudis nescij, sed his quæ Natura sponte tribuebat, contenti: nondum enim cogebatur suum sitientibus fundere sanguinem. Nos tam rigida ac pertinaci abstinentia, quæ priscos illos penè acernos & χαλκαντέρους efficiebat, prætendimus mundi senium, sub quo nostra hæc tractari molliùs ætas imbecilla velit. Adeo nempe nostram amamus intemperantiam, eam ut excusare quàm excutere malimus: sicque plures interimat gula quàm gladius.

In victu qui modum tenere nescit, & morbo tenetur, & vitio. Vt mollis educatio nervos omnes mentis & corporis frangit, sic utriusque alacritatem minuit attentior parsimonia, quâ nonnulli malignè famem extinguendo mugilis vitam agunt, glorianturque se non pasci toto asse. Squallorem appetere, faciles odisse munditias, vesci tetris & horridis cibis, eius est qui Gratiis litavit nunquam: res delicatas prosequi, luxuriæ est; usu receptas, nec magno parabiles fugere, dementiæ: frugalitatem exigimus, non pœnam. Parca sit, sed nitida cœna, cuius præcipuum condimentum sit amicus, cum quo riges diffundásque amicitiam, minùs ventre quàm animo conviva. Cibus tibi sit panis, si non alius, vulgi, & si licet, procerum. Obsonia si lubet, inferantur aliqua, non hominum opinione cara, non per artem voluptatémque corrupta, sed stomacho magis quàm palato amica: sua illis non deerit gratia, modò non desint Spartana aromata, his quæ ab Indis advehuntur, longè salubriora: nihil contemnit esuriens, nec est ambitiosa fames, ipsa tibi cõmendabit quodcumque comprehenderis. Vis mente & corpore acutiùs cernere, vis sapere, omnemque stultitiæ mixturam effugere? bibas aquã, Sapientiæ fomitem: nutrit illa, coctionẽ iuvat, vividos facit sensus, acre iudicium, limpidũ & studiis aptum ingenium, adeoque ut animantibus, imò & viventibus omnibus, sic

cuiuslibet ætatis, sexus & temperamenti hominibus ἀφροδίσιον. Vinum convivij coagulum, lac veneris, hilaritatis seminarium, quo nihil est iucundius, quo nihil melius dedit Natura hominibus, voluptatis, non necessitatis potus est, sed dolosus luctator, hepar captat primùm, mox caput atque pedes: splendet color eius, sed statim mordet ut coluber, & tãquam regulus venenum suum in totum corpus diffundit. Ab eo non solos Reges, sed etiam, si quisque sibi rex esse debet, cæteros homines abstinere satius foret: quamquam conferre creditur aliquibus eximio quidem ingenio, sed dum sicci sunt, minùs audaci, & quasi concreto, qui cùm ad pocula ventum est, tanquam minati loves, thuris in morem à calore correpti exhalant. Merum nulli non noxium, quò potentius, hoc nocentius: mel est ori, fel capiti, sapit in ore, ardet in ventre, fumat in capite, suique amantissimis tandem iugulum petit. Mirum quod cùm vix ferendo sint sanorum robustissimi, nonnulli tamen qui pari insciti & impudentia Medicorum auctoritatem arripiunt, ægris quasi per se non satis officiat, etiam venenato stibio infectũ propinant: ac si qui fati ope evaserint, ceu bina hæc venena inverint (ô mores! ô tempora!) interremedia, si Diis placet, annumerantur. Quæ virgo nymphas deserit amore Bacchi, dat tibi certum brevi perituræ virginitatis indicium: & quæ ætatis florem marito prostituit, quò magis vino de-

dita, hoc minùs pudica: pueris & infantibus ne dilutum quidem dederis. Senes quò ætate provectiores, tantò dilutiùs bibant, tandémque metæ proximi, solam aquam. Adolescentibus & iuvenibus suave toxicum est, quo liberaliùs epoto, eorum medullæ velut admotis facibus inflammatæ, Æthnæo amoris igne æstuant: tunc placet iucundum nefas, oculi institores exactoresque libidinis, ad omnem lasciviam vagi evolant, petulantissimæ manus omnem verecundiæ legem perfringunt, tunc rabie iecur incendente libido, quâ visum est, sese impingit, nec iam furtim, sed palam illa fiunt, quibus abscondendis nulla sit satis alta nox: tam præceps est gradus à Libero patre ad lumbifragam Venerem, solâ vini fugâ, & gulæ castigatione domandam. An verò accuratam hanc victus rationem quam Principum Medicorum lex sanxit, quisquam nunc ad unguem observat? quotusquisque iam in vitæ suæ ratione inquirit? Rara nunc constans & firma sanitas, quia rara Sobrietas, quantúsque nostro seculo in hoc vnum ingenioso succrevit luxus, tanta & morborum incubuit cohors. In tam amabili ferculorum serie si quis iam est, qui non rapiatur extra metas necessitatis, is profectò magnus est. Totus orbis duo Numina colit, Eduliam & Potinam: Iurconesiam passim grassantur innumeri, quorum corpus est in sagina, animus in macie. Asello similes cor habent in ventre, ad omnia fercula ma-

nibus involant: summa curarum est, quid edant, quid bibant, vel eorum insomnia cibi sunt: perinde vorant, ac si lupum in alvo gerant, cum cruditate dissiliunt, ac penè saturitate crepant: quærunt irritamenta, quæ pigritiam nauseantis stomachi erigant, & fessum os, in novos morsus excitent. Tanto alij languore solvuntur, vt per se scire non possint, an esuriant; adspice quàm tangant malè singula dente superbo, quàm difficilis crescat inter molares cibus: his opus est quidquid habet artis, expromat coquus: ut obtusus appetitus famis aliquid sentiat, ut per deceptum guttur trajiciatur alimentum, hac qua intraverat, facilè rediturum, sed non sine bile reguſtandum. Tantum negotij exhibet pessimum corporis vas, cuius causâ maxima pars mortalium vivit, & perit miserè. Heu, prodigia gulæ! feris ad alimoniam solitudo sua, multis elephantis una sylva sufficit: homo terrâ pascitur & mari: imò sibi bene esse non putat, nisi ad delicias totum mundum irretiat. Est ubi provinciarum tributum uni homini una cœna sit, nec satis lauta videtur mensa, supra quã nõ recognoscit omnium gẽtium animalia, è singulis certa tantùm electurus membra, adeo nulla his est nisi ex fastidio pax. Non sapit caro bubula, agnina, ovilla, hœdina, vitulina, nisi exotico iure perfusa: lepus, dama, pygargus, aper, cervus, & quidquid animalium sylvas & agros pertrat, in mensas extrahitur; advolant & om-

nis generis alrilia, Scythicæ volucres, attagen Ionicus, perdices, meleagrides, gallinæ Numidicæ, Africanæ ficedulæ, gallinagines, quibus & comes est, pinguibus ficis pastum iecur anseris albi. Aque ipsa suppeditare iubetur, quos celat pisces, lucium, barbatulũ, mullum, rhombum plusquam Cæsareum, & paucorum hominum Acipenserem, reliquos denique non tam sapore, quàm parandi difficultate pretiosos, sæpe in plenum carnibus ventrem dejiciendos. Etiam ostrea maris tubera, naufragio exquiruntur; nec admodum placent nisi Lucrina: neque dubiis cœnis desunt ancipites fungi, quibus vel pratensibus malè creditur; cum id voluptuarij veneni sævit in præcordiis, ne ferendo quidem sint dura messorum ilia. Ne non omni ex parte Cupediæ parentetur, hasce opiparas mensas claudunt fructus innumeri, crudi, cocti, conditi, multo saccharo adulterati: unde molesta bilis congeries, & novus excrementorum proventus, melimela, artolagana, scitamenta mellita, & aliæ nebulæ, stomacho graves, & coctioni impares. Quòd si tanta in cibo licẽtia, non minor est in potu. Servatur algor æstibus, excogitaturque, ut alienis mensibus cælestis aquæ spuma nix algeat: eò processit vitiorum solertia, ut compertum sit quẽadmodum aqua quoque inebriaret, quanquam maior pars hominũ vini dulcedine capti, non aliud vitæ præmium intelligunt: pauci nunc, & qui ferè rideantur, abstemij, multi popino-

nes & κυλίκων ἐρέται, tanquam ad perdenda vina geniti, pecude deteriores, seipsos ad bibendum stultissimè cogunt: isti hominésne, an potiùs amphoræ, rapere se vitam prædicant, dum falsa inter gaudia, totos sæpe dies ac noctes sedent ad pocula, hesternæ temulentiæ novam adijcientes, sed crapulam crapulâ, vt aiunt, discussuri: Iuvat hilarem insaniam insanire, ac per iocum furere. Ad hæc Bacchi pervigilia sacramento dexterarum fidem suam obligant, ne quis exeat, & signa deserat, standum & pugnandum ad usque guttam ultimam: in hoc Dionysiaco agone certa bibendi lege contenditur: qui possunt vincere, laudem merentur ex crimine: palmam referunt qui inter plures ultimi fiunt ebrij, qui se præbent meri capacissimos, hoc solo tristes quod ab ipsis vincantur doliis. Sed ô barbaram libidinem! ô monstrosum penéque incredibilem ebrietatis amorem! & ipsi populi vitibus vinóque carentes inebriantur, Indi, Persæ, Massagetæ, Tartari, Sinenses, Americani, novis quibusdam potuum generibus excogitatis, ebrietatem inducentibus, etsi vino careant: adeo ut nulla mundi parte videatur cessare ebrietas. Quid quod homo sacra res, & θεὸς ἔμψυχος potitando seipsum iugulat; ac sæpe anginâ vinariâ præfocatus conditur tumulo, antè toties decumanis meri fluctibus obrutus. Planè vino nihil inest boni præter veritatem, cui detegendæ lene tormentum est, scelerum alioqui

malorumque omnium metropolis, & parens quarumlibet ægritudinum, quibus plerumque sola medeatur mors, nisi priùs medeatur abstinentia.

Bono itaque loco sunt res eorum qui ab ingluvie, qua nulla hominum generi capitalior pestis, & à pernicioso gulæ obsequio liberi, non plus indulgent corpori quàm tuendæ valetudini satis est; quippe ut intemperantiæ culpam pœna premit comes, catenata videlicet morborum series, aut tam merita quàm immatura mors: sic pro frugalitate messem opimam metunt, verúmque robur colligunt sobrij, qui corpore animoque præstantes, voluptatem quæ inter cibi potusque delicias capitur, brevem, exitu fœdam dolorique cognatam pensant longa iucundaque sanitate. Prælucet in eorum vultu totóque corporis habitu, color quidam eximius, nitórque virens, & senij nescius, mens ipsa læta & alacris suum vigorem veluti transfundit in corpus, omnibus vitæ muniis optimè comparatum; nullus molestiæ, nullus dolori locus. Tam procul absunt ab omni ægrotandi periculo, ut si qua olim morbi semina à parentibus vel natura invalidis, vel parum cautè viventibus traxerint, contra nitente partium robore, & legitima victus lege vanescant. Hos ne senectus quidem quæ solvit omnia, frangit, in ipso ætatis portu vegetissimi apparent, oculi puro lumine vigent, pedes certa imprimunt vestigia, liquidus est & penetrabilis auditus, dentes candidi & im-

moti, vox sonora, corpus solidum succique plenum, cani cum rubore discrepant, vires cum ætate dissentiunt non memoriæ tenacitatem antiquior senecta dissolvit, non calidi acumen ingenij frigidus sanguis obtundit, non tremula manus errantem incerto tramite stylum ducit; adolescentiam mentiuntur in senectute, à qua solam habent prudẽtiam. Ad bonæ valetudinis conservationem non tam multa requiruntur: Natura paucis contẽta est: homini sapere cupiẽti panis & aqua sufficiunt: quibus si quid exiguũ addideris, poterit ille cũ Iove de felicitate certare. Polyphagia & Polypotia, crede mihi, consuetudinis res est, non Naturæ. Qui pauco vino utitur, eoque dilutissimo, ille vitam suam amat, & infinitis seipsum beat commodis: ex eius abusu, maximorum morborum ilias profluit, calidi innati substantiam minuendo, humidum primigenium dissipando ac exsorbendo. Vinum dubius est amicus, & anceps Proteus, bonum præsens exiguum, malum emergens gravissimum: vitam facit alacriorem ac vegetiorem, sed breviorem: idemque præstat corpori quod calx ad arboris radicẽ conspersa, fructum quidem accelerat, arborem autem perimit, ita vinum suscitato calore, spiritus facultatesque erigit, mortẽ verò maturat, dum infinitos affectus inuehit, nullâ ferè Herculis clavâ debellandos: apoplexiam nullo emeticorum usu curabilem: epilepsiam (quæ propriè non est convulsio) nullâ pœoniâ, nullo amulete superabilem:

paralysin, quæ nullis iuvatur sudorificis: ephialtem, falsò dæmonas mentiẽtem: rheumatismum, qui fit per ναυσίωσιν τῶν πλεύρων, antiquis penè ignotum, cuius ut & synochorum Galeni, summa remedia sunt venæ sectio & frigidæ potus: Anginam, cui non meliùs succurritur, quàm iugularium sectione: pestilentes, purpuratas malignásque febres, quibus nihil auxiliantur bezoüar, idolum fatuorum: Theriaca, compositio luxuriæ; Mithridatium, herbarum deforme chaos, rudis indigestáque moles multorum simplicium, nimio fervore, acrimoniâ vel malignitate, nativo calori adversantium: confectio Alkermes & de Hyacintho, Diamargaritum, & aliæ putidæ Arabum quisquiliæ, quæ non magis prosunt ad eiusmodi affectuum curationem, quàm calx aut cinis, inanisque pulvis, cùm sint meræ nugæ, ab ignaris nebulonibus confictæ, & in sanctissimæ nostræ Medicinæ sacrarium malis artibus & infaustis avibus deportatæ: peripneumonicos affectus, nullis cedentes Arabum syrupis, bechicis frustra nuncupatis: phthisin nullo laste, nequidẽ muliebri, sanabilem: asthma, in quod aquarij nihil possunt aselli; imò plusquam aselli sũt, qui præscribunt: hydropem, ut plurimum à causa calida, nec semper ab hepate, qui nullo hydragogorum usu tollitur, ut nec paracentesi: calculum renum, quem dum caput ureteris tentat, doloresque ciet atrocissimos, nihil promovet diuretico-

rum vis ignea: aut vesicæ, qui nullis imminuitur aut frangitur lithontripticis: dysenteriam, quam irritant rheum tostum & myrobalani, tollit autem venæ sectio: fluxum hæmorrhoidalem, quem aquæ potus imminuit, purgatio tollit: chiragram & podagram, τὰ ἐκγονα τ κακῶς ἐχόντων. Quod si tandem eò venerint, quò vel cunctantibus veniendum, tam placidè è vivis excedunt, ut obdormire, non emori videantur, per beatam & auream frugalitatem, famosæ illius veterum Principum, à tam multis frustra concupitæ, & θανασίας participes facti. Quid multa? non solùm nobis, sed & posteris quoque nostris temperanter vivendo consulimus: nam & spem vegetæ prolis auget hominum bona nutrix Sobrietas, ut si creandis liberis incumbatur, dum validum fœcundumque semen, & tenacem reddit uterum pulchra ac numerosa prole beatos faciat parentes, postquam ipsi sani diutissimè vixerint, suis adhuc in liberis diu victuros. Denique, nulla calamitate vel ærumna premetur unquam, qui vitæ fundamentum iecerit Temperantiam.

Est igitur longæ ac iucundæ vitæ tuta certáque parens Sobrietas.

Proponebat Lutetiæ Parisiorum Ioannes de Montigny, Abrincensis, Anno R.S.H. M. DC. XLVII.

TRACTATVS DE PESTE, EIVSQVE PRÆCAVENDÆ modo.

Cui nonnullorum medicamentorum, ab Empiricis Agyrtisque circumforaneis inuectorum, censura adjuncta est.

QVi de Peste rumor, re ipsa maior, pervagatur, prægrandi stupore terroreque quamplurimos perculit. Cui malo omni cura sollicitudineque vitando avertendoque incumbendum, tum maximè in pestilentibus constitutionibus: quia ex vehementibus animi perturbationibus sanguis commovetur, spirituſque adeo dissipantur, ut vis illa divina, quæ humores regit, violetur, adeo ut ab illius custodia destituti alterentur pravamque qualitatem nanciscantur.

Quoniam vero multitudini inconditæ citra causam pavorem terroresque panicos (ut aiunt) incutere à ratione humanitateque alienum est, ita non adeo temerè fidendum, ne ex nimia confidentia in exitium præceps ruat. Tutissima hic præcautio est, blandaque de periculo admonitio præmittenda, consilia politica præsidiaque salutaria suggerenda, quibus tam horridus funestusque affectus devitetur.

Morbis infestantibus medicam auxiliatricēque porrigere manum, egregium quid certè est. Sed longè præstabilius certiusque sanitatem incolumem tueri à morbisque vindicare. Sicut navarchus, qui à procellis, scopulis cæterisque periculosis offendiculis navem indemnem præstat, maiori dignus est cōmēdatione, quā si ex tabula à pelagi tempestate post naufragium sospes emergat.

Sublimia egregiaque ingenia è Medica Parisiensi Schola, velut ex equo Troiano, prodierunt, hodiernoque etiam tempore inclarescunt, quæ magnis illis priscisque Philosophis Medicisque conferri meritò possint, quorum providentia industriaque natale solum patriaque regio ab exitiali huiusmodi calamitate liberata aliquando fuerunt. Nec dubitandum, si Hippocrates, Empedocles, Acron Agrigentinus, alijque id genus inter vivos degerent, non minimum nacturos negotij in huiusmodi officio exequendo, ex quo sua tempestate tantas laudes præconiaque

coniaque reportarunt. Modis tamen artibusque omnibus præcellentes illi viri, quibus Apollineus ille chorus refulget, incitandi, ut salutaribus eorum adiuti consiliis labem perniciemque communem à civium nostrorum capitibus, divino favente Numine, avertamus atque profligemus. Hunc breviculum Tractatum eò aggressi sumus, ut aliquorum stylum ad idem pensum, ad commune bonum provocaremus.

Causas interim Pestisque signa perpendamus, ut ijs perspectis illius quæ in hac Lutetiæ Parisiorum vrbe grassari occipit ortum essentiamque intelligere possimus, præsidiaque adhibere, quorum beneficio occurrere illi valeamus.

Pestis causam Theologi hominum scelebribus flagitijsque adscribunt, quibus plectendis huiusmodi instrumento supremum Numen uti aiunt, præsertim quum obstinata refractariaque contumacia sacrosanctis legibus præceptisque obniti non desinunt, cum nefario evangelici verbi, illiusque præconum contemptu ac contumelia. Cuius rei non pauca licet in monumentis sacris exempla conspicere. Hoc suppositio, summum præsidium in erratorum nostrorum agnitione atque emendatione, in divinaque iustitiæ placatione consisteret. Cui expiationis modo Christianos, vero illustratos lumine, eò ardentius insistere decet, quo Ethnici, cymmerijs pluſquam tenebris im-

mersi|erga pseudo-numĩna ad huiusmodi remedia in paribus necessitatibus cònfugerunt; non neglectis interim ad mali præcautionem curationemque auxiliis, quo cælesti benignitate huic calamitati maleficioque refragari creduntur, ex eorum consilio, quos huic ministerio præfecit, administrandis.

Quoniam verò à supremo mundi Conditore hæc rerum universitas miro concinnoque ordine digesta est, ut res omnes natura constantes inter sese connectantur ac pendeant, causas aliquas evidentes perscrutari fas est, ijs utique prætermissis quæ occultæ ac supra naturam sunt, secundas duntaxat naturalesque Pestis causas ab artis Medicæ proceribus observatas persequemur.

ANNOTATIO I.

De causis Pestis.

INter omnes calamitates infortuniaque, quibus summus Naturæ author in rebellionis pœnam hominẽ subdere decrevit, nullum insigniu evidentiusque conspicitur, quam tot morborum quibus in dies conflictatur multiplex: in quibus nullum adeo præcipitem perniciosumque cernere liceat, quam Pestem ipsam, tribus præsertim de causis. Primò, ob cacoëthiam sive malignitatem. Secundò, ob sæva horrendaque symptomata. Tertiò, ob summam curationis difficultatem eo gradu præcellentem, ut cuiuslibet

alterius affectus medicationem exuperet. Eamque ob rem Pestis causam maxima pars veterum in suprema corpora retulit, Theologique, ut antè dictum, cœlestem penitus agnoscunt, immediatequè à Deo manare autumant, qui Pestem, tanquam flagellum ad offensionum flagitiorumque humanorum expiationem, adhibeat, ut ex illustribus Scripturæ sacræ testimonijs elucescit, præ cæteris in Exodo, Levitico, Numeris, Deuteronomio, Ieremia, Ezechiële. Amos. *Cuius veritatis conspicuus adeo splendor est, ut Gentiles, citra ullam fidei lucem, eam agnoverint. Inter alios Galenus* proœmio in 1. lib. Epidem. Pestes (*inquit*) appellant morbos pernicioſos, mittuntque sæpius ad deos de eorum curatione consulturi. *Plutarchus* in vita Romuli, *Titus Liuius* lib. 6. *Astrologi etiam Pestis causam pravis constellationibus maligniſque planetarum influxibus, quibus aëris qualitas immutetur atque corrumpatur imputant: adeo vt inspiratione attractus cor innatumque calorem vi deleteria, quæ Pestem constituit, inficiat. Observatæ enim interdum sunt adeo universales lateque patentes constitutiones pestilentes, ut orbem fere omnem populatæ fuerint. Quarum causam astris potius ascribendam aiunt, illorumque configurationibus, quam alicui primùm infecto, à quo propagari non potis sit in innumerabilem hominum immensis intervallis inter se dissitorum seriem eiusmodi contages.* Bocacius, & Guido Cauliacensis *illius quæ anno* 1348. *grassata est*

exemplum adducunt. Neoterici vero eius quæ anno 1524. *sævit, ex Martis Saturnique coniugio exorta. Verum quoniam omnes istæ causæ generaliores remotioresque sunt, nec ulla Medicæ artis ope ac subsidio averti emendarique valent, noster Author hic duntaxat singulares proximioresque Pestis causas attingere voluit.*

Pestis causæ internæ sunt, vel externæ. Internæ sunt putredinalis calor, innato ex natura sua planè infensus, materiaque putrida & maligna, ex qua humorum omnium ingens confusio, corruptioque inducitur, putredoque summa, quæ quamlibet præcellenter exuperet. Causæ externæ sunt aëris corruptio & contages.

Expendendum modo supereſt, quænam sit Pestis, quæ Lutetiæ viget, causa, præsidiaque ad eius præcautionem invenienda.

Morbi eorumque causæ signis, ut vocant, diagnosticis internoscuntur, prognosticisque prævidentur. Pestis quæ ab internis causis, ut & quæ ab externis proficiscitur, signis quæ comitantia nuncupantur, evidenter innotescit, cuiusmodi sunt anthraces buboneſque pone aures, sub axillis inguinibusque prodeuntes. Illam vero quæ à causis exoritur internis prævideri posse non autumo: neque asseri posse hunc vel illum ad huiusmodi affectum ratione contagij aliove modo esse disposítum atque obnoxium: licet in genere pronunciare Medici possint, quædam hominum genera, quasdam ætates, sexus,

temperamenta magis minusque esse ad suscipiendum idonea.

Insignis istiusmodi putredo in corporibus concepta ac genita, meo quidem iudicio, facilè prævideri, prædici, dignoscique nequit, nisi ex eventu.

Inter morbos pestilentes, à causis externis dimanantes, qui à malignis proficiscuntur constellationibus prævideri dignoscive nequeunt, nisi ex eventu, ut eximius quidam huius sæculi Medicus, Scholæ Parisiensis splendidissimum lumen, fidem facit, qui genuino simpliciſque pestis aliam causam non agnoscit, quàm maleficæorum planetarum combinationem. Nihilo minus tamen concedit, arcanæ huius scientiæ notitiam ad prædictionem (Græcis prognosin) præcautionem (seu prophylaxim) curationemque huius morbi maximè conducere.

Pestis, quæ ab aliis externis causis ortum ducit, pestilensque à Medicis habita, coniecturis prævideri potest, antidotisque causæ morbificæ consentaneis præcaveri, ut prævisa olim, prænunciata alioque translata fuerit celebrium sagaciumque virorum tum Philosophorum, tum Medicorum antè nominatorum prudentia atque solertia.

Pestis causam, vndecumque procedat, suis signis proprijsque accidentibus innotescere. Quæ ab aëris proficiscitur corruptela, vel à contagio, nonnullis prævijs signis profert se

prodit: inter quæ Planetarum maleficorum conjunctiones numerantur, sidera retroactis temporibus minimè observata, cometæ, ingentes eclipses, terræmotus, annus bissextilis, pestis vicinas infestans regiones, & aliæ huiusmodi. Quæ signa sigillatim seorsimque sumpta leviſſimas tantum præbent conjecturas. Simul vero conjunctimque, nullam necessitatem inducunt, si modò duo exceperis; maleficam scilicet constellationem, à qua magnam perniciem illatam fuisse observatum aliquoties: & pestem, finitimis in locis sævientem, ex qua dubio procul ingens ex contagio periculum emergere potest.

Omnia porro antecedentia illa signa expendamus, diligenterque discutiamus, utrum ex aëre corrupto Pestis quæ nostros impetit cives, proficiscí queat.

Nonnullæ equidem infensæ siderum conjunctiones à Philosophis observatæ sunt, quas tum Pestis causas, tum signa asseruerunt. Nostri Astrologi nullam eiusmodi in sideribus pravam neque hoc, neque retro elapsis annis configurationem agnoscunt, quæ hanc labem portendat. Et revera illæ Pestes, quas ex malignis illis conjunctionibus consecutas esse creditum est, tantam stragem ediderunt, ut pars hominum maxima è medio sublata fuerit, ut historiæ memorant. Eiusmodi fuerunt, quæ sub Vespasiano & Commodo grassatæ sunt: quæ anno 1348. toto orbe tanta cum inclementia

debacchata est, ut dimidiam hominum partem internecioni dederit, cuius causam fuisse aiunt cuiusdam conjunctionis trium superiorum corporum Saturni, Iovis, & Martis dispositionem; quæ item anno 1345. quæque avorum nostrorum ætate anno 1450. sævijt, quæ in Asia exorta, hinc in Italiam per Illyricum, seu Sclavoniam & Dalmatiam propagara, in Galliam Hispaniamque per Germaniam adeo funesta, ut tertia vix hominum pars illius immanitatem effugere potuerit. Ea vero, quam hac in urbe glisscere aiunt, ne tantulam quidem cum superioribus labem affinem habet, summo Dei opt. max. beneficio, cui obnixissimis votis precibusque supplicandum, quatenus illam à nobis avertat.

Astrologiæ periti in nostro hemisphærio nullum hoc anno, minimè antea observatum sidus agnoscunt, ab illo quod anno 1572. apparuit, quod amplissimam scribendi segetem suggessit, luctuosissimamque pestem prægressum est, quæ primum Tridenti anno 1574. emicuit, annisque sequentibus Venetiis, Patavij, finitimisque locis pervagata est. Exorto primum illo sidere ab illius maleficio quoad pestem Gallia exors fuit. Verum non minus exitioso infortunio perculsam se sensit, furore scilicet populari, quem funestissimæ clades exceperunt.

Paucis ab annis observatus Cometes. Hunc tres consecutæ eclipses, duæ lunares,

solaris altera, quas tamen subsecutæ labis nec causam, nec signum fuisse credimus, quia in nostro hemisphærio maiori impetu ac vehementia irrumperet, superius à nobis memoratarum more.

Terræ motus pestis nonnunquam consequitur, quia ex tetris exhalationibus è terra prodeuntibus gravis in aëre putredo exsuscitatur, ut in urbe Pompei in Regno Neapolitano contigit, ubi sexcentarum ovium à pestiferis vaporibus à terræ motu eructatis grex coinquinatus interijt. Labesque illa progressa ulterius fuisset, suamque vim in homines exercuisset, si dirus ille vapor validior fuisset, nec ab aëris regionis illius salubritate devictus emendatusque. Nulli porro terræ motus præcesserunt, quibus Gallia pervia neutiquam est, summo supremi Numinis beneficio, ut neque Ægyptus, propter prædominans in illa frigus, in hac calorem exuperantem.

Penes illud quod annus bissextilis inter pestis signa recensetur, annus currens 1606. bissextilis non est. Adduci vero non possum ut credam, diem mensi Februario quarto quoque anno superadditum, ut annus hic iusto solari circuitui adæquetur, pestem vel inducere, vel significare possit, quamvis quidam nostræ ætatis Medicus non ignobilis inter signa pestem præcurrentia annum bissextilẽ annumerarit. Huius effati rationem aliquam luculentam desidero. Nec facile

arbitror siniſtrum biſſextilis anni præſagium ex vulgari Gallico adagio incongruo corruptove, his voculis concepto captari, *qu'il y a du biſſexte*; quaſi diceret *aliquid eſſe biſſextile*, ubi malum aliquod omen infortuniumve ſignificare vult. Quod ab antiqua Romanorum ſuperſtitione profectum forſan fuerit, qui biſſextilem diem Romanæ Reipub. infauſtum exiſtimarent. Eaque de cauſa Valentinianus Imperator biſſextili die foras non prodibat, velut ominoſum, diem illum exoſus.

Peſtis qua finitimæ regiones infeſtantur in prodromorum ſeu præcurrentium ſignorum ſerie iure computatur, quoniam ex mutuo commercio facilè contrahi poteſt. Adde, ut neotericorum ſcriptis conſtat, quum primum aër corruptus vitiatuſque eſt, plures ex contage, quam aëris vitio occumbere.

Duo alia ſigna peſtis à vitiato aëre anteſignana ſuperaddi poſſunt: quorum alterum eſt, (ex priſci cuiuſdam teſtimonio) quum lupi magnam ſtragem hominibus inferunt. Inde argui etiam poſſet, multo potiori iure ex pernicie à cane domeſtico animali ad humanumque obſequium nato illata peſtem quidpiamve ſiniſtri portendi poſſe. Nunquam autem ex hominum memoria rabidos tot ſæuijſſe canes ferunt, quot annis his duobus tribuſve proximè elapſis, impetitis hac etiam in urbe illorum morſu noxaque quamplurimis hominibus, magnamque præterea

vicinarum aliquot regionum pecoribus cladem intuliſſe. Quibus reſpondeo, flagranti Caniculæ æſtu canem in rabiem maximè agi, eoſque canes, qui pro rabidis annis proximè exactis habiti ſunt. non tam peſtem, quam dominantis in aëre caloris ſiccitatiſque exuperantiam portendiſſe, quæ qualitas ultima cuilibet putredini validiſſimè obſiſtit. Adde quod deleteria illa labes à nativa illorum intemperie humorumque cacoëthia proficiſcitur: qui humores in canũ corporibus generantur, vel ex nimio rerum ſalſarum uſu, aut ex potus à labore intenſo abſtinentia, aut ex alio ſimili potius exceſſu, quam ab aëris inclementia.

Alterum ſignum ex temporum prava conſtitutione ducitur, nimirum quum genuinam minimè ſortiuntur temperiem. Quinetiam quum præter perverſum illum temporum ſtatũ, dies ſinguli inconſtantes inæqualeſque admodum ſunt, unde morborum inordinatorum, pravis ſymptomatis ſtipatorum recidivorum, quorum eventus ambigui & pernicioſi, periculũ portenditur. Verum temporum huiuſmodi inæqualitates non continuo cauſæ ſignave peſtilentis in aëre corruptionis certa ſunt ac neceſſaria, quia non ſemper habent τὸ θερμὸν πολέμιον, καὶ κτεῖνον σπεδοῦσες, in quo eſt regnum peſtilentiæ, prout Gallicus inquiebat Hippocrates, ſui ſæculi decus, ſplendidiſſimumque Scholæ Pariſienſis ſidus. Plures ſæpiſſimè à peſte

immunes in Gallia cernimus annos, quorum tamen tempora temperieſque immoderata inordinataque valde ſunt, ut ex inconſtantibus inæqualibuſque illorum qualitatibus manifeſtiſſime experimur, fructuumque noxa, qui benigniori calidiorique temporis ſtatu provecti, ſi frigore pruinave poſtmodum corripiantur, perduntur, aduruntur vel præpoſtere matureſcunt. Quorum utique fructuum peſtem vocitare quis poſſet, ſed quæ rariſſimè ad homines dimanat.

Priſci Medicinæ proceres indicia quædam prodiderunt, quibus intelligatur, an ex aëre peſtifero labes exoriatur, cum ſcilicet pars plebis maxima eodē morbi genere propriis comitato ſymptomatis ante expoſitis conflictatur. Communiſſima etenim cauſa cum ſit, effectū communiſſimum eſſe neceſſe eſt. Ab aëre corrupto exorta peſtis in omnes regiones, in quælibet hominum genera, in quaſvis ætates, ſexus, temperamenta indiſcriminatim propagatur : cuiuſmodi præ cæteris fuerunt, de quibus ſupra meminimus, quæ ſub Imperatore Commodo, quæque annis 1348. & 1450. ſævierunt. Apollonius Tyaneus Epheſijs peſtem, qua correpti poſtmodum fuerunt prænunciavit : prædictionemque non in tempeſtatum inordinata conſtitutione ſtabilivit, ſed in eo quod ipſe optimam alioqui ſortitus temperiem, exactiſſimaque vivendi ratione uſus, inſolita nihilominus quateretur invaletudine,

unde aëris inclementiæ mutationem illam adscribendam fore collegit. Anni 1580. moderata utcumque, satisque bene habita fuere tempora, æstas siccissima (qualitas ad putredinem arcendam aptissima :) sævientis tum nihilominus pestis causa ad aëris corruptelam iure meritissimo referri potuit : quia pestis illa immanis fuit, plures longè lateque pervagata regiones, catarrhum epidemium in pectus prolabentem, à quo quam pauciſſimi immunes fuerunt, subsecuta. Cum ferina illa destillatione (vernaculè *coqueluche*) febricula, cephalalgia, cardialgia, inappetentia conjungebantur, omnesque naturæ beneficio sudorem madoremve cientis convalescebant. Popularem illum affectum, alioquin salutarem, ex aëris quapiam constitutione atque alteratione peculiari potius, quam ex corruptione exortum pestifera labes postmodum excepit, quæ signis antè declaratis protinus emicuit, internecioneque prægrandi, qua furente calamitate alij omnes morbi Lutetiæ silebant, & si forsan alius suboriretur, ut febris tertiana simplex, tertiana duplex, mox in pestem degenerabat. Ex eoque signo aëris vitium à Medicis incusabatur. Multiplices alios dispersosque (Græcis sporadicos) morbos hic vigentes conspicamur, omnimoda labe vacuos. Erisypelata, tertianas febres, ephemeras cum bubonibus cernere licuit, quibus laborantes Medici interdum ut suspectos deseruerunt,

qui tamen post 40. vel circiter horas convalescebant.

Si pestiferæ quæ hic serpit noxæ causa ex aëris vitio non pendet, alia utique pervestiganda est.

Causa communissima (ut supra innuimus) morbos parit communissimos. Vero igitur consentaneum est, minus communem effectum à causa minus communi proficisci.

Venena humanis in corporibus generari posse asserimus, cuiusmodi est malignus ille humor, unde epileptica hystericaque exurgunt symptomata. Eadem ratione insignis illa putredo, unde morbi pestilentes minus communes excitantur, quibusdam in corporibus ex peculiari dispositione potius, quam in aliis procreari potest, cuius alia externa causa, aëris improba diathesi minus latè patens, afferri potest.

Prava vitiosaque diæta, tenuis angustæque sortis hominibus familiaris pestilentem morbum excitare potest, ijs præ cęteris communem, qui eandem vivendi rationem tenuerunt: qui affectus glisćente postea contagio in alios diffunditur. Huius rei locupletes Medicos veteres testes habemus. Anno 1590. observatum fuit in hac urbe ab exercitu Henrici IV. undique cincta obsessaque, eos qui pane avenaceo, pulmentis nescio quibus, alijsque infirmis praviśque victitarant edulijs, atrophia cum coxendicum, tibiarum totiusque interdum corporis

inflatione elanguisse. Contagiosus neutiquam erat huiusmodi affectus, ijs tantum communis, qui ad vitiosa illa fercula adacti fuerant. Hippocrates ipse aliquot eiuscemodi incommoda in Æno apud Thraciam ijs contigisse *in Epidemijs* scribit, qui in annonæ penuria leguminibus usi fuerant.

Non modo Historici, sed & Medici (ut Galenus & Avenzoar) fidem faciunt morbos pestilentes ab annonæ angustia sæpius originem duxisse, ex qua misera plebecula vitiosis usa cibarijs pravos succos generantibus in morbos malignos ac pestiferos incurrebat.

A contage etiam labes hæc suscitari potest, quæ postea pullulat, diffunditur, insignemque infert perniciem, nisi diligenter præcaveatur. Mercatoris cuiusdam extranei historia in mentem subit, qui cum anno 1579. in hanc urbem ex loco infecto venisset, pestiferam labē suo diversorio intulit. Mali istius progressus Magistratus politici diligentia utcumque repressus tota hyeme delituit. Verum flante à regionibus inquinatis per totam æstatem consequentem austro, tanta inducta corruptela est, ut Magistratuum operam industriamque pene superarit.

Maxima pars eorum, qui pestifera labe divexati hactenus sunt, ex ærumnosa est plebecula, pauciſſimique ex honestioris commodioriſque sortis hominibus eam persen-

serunt. Anni duo sunt, cum affectus istius, qui hac in urbe tum minus sæviebat, causam inquirerem, præ cæteris rescivi, labem in quadam urbis regione ab unius hominis invaletudine, ex subito terrore vel prava exhalatione ex recluſa terra prodeunte contracta, incepisse. Nullus tum de peste rumor. Verum effectis brevi se prodidit. Extincto illo homine pestifera lues in viciniam quam primum irrepsit. Diffitendum itaque non est à vehementi terrore pestem excitari posse, interdum à tetris telluris exhalationibus, ut de urbe Pompei superius adnotatum: literisque proditum est, volucres Averni lacum in Regno Neapolitano supervolitantes enectas fuisse: pestemque vicinis in locis sæpius ingruisse, ex putredine ab illo teterrimo sinu erumpente. His rationum momentis adductus sum ut crederem, à causa communissima, qualis est aër, nostri infortunij causam non esse petendam, sed à minus communi, cuiusmodi esse possunt iamiam commemoratæ, prava scilicet vitiosaque diæta, rei familiaris penuria, commercij cum infectis communicatio atque frequentatio, aliæque huiusmodi.

Ex quibus intelligere sperareque occœpi malum (divino favente auxilio) ulterius non progressurum; euentusque conceptam spem comprobavit. Ijsdem causis parem (Numine pariter propitio Magistratusque politici ad id deputati sollicitudine vigilan-

tiaque) fortunam auguramur.

His accuratè pensitatis, mea sententia est, in aëre infensum illum calorem internecinamque putredinẽ non consistere, ad eamque pestiferam calamitatem non esse referendam. Minimè tamen velim, ne hinc tanta fiducia captetur, ut præsidia ad præcautionem alioquin necessaria negligantur. Fieri etenim poterit, ut aër, qui exoriẽte Canicula incalescere poterit, in corpora male ex se vel alia ratione, ceu contagio, affecta incurrens huius corruptelæ particeps efficeretur, eoque facilius si minimè perflaretur ventove aliqno salubri non expurgaretur, qualis est Cæcias, vulgo *Nord-est* vocatus, aut Etesiis vento solenni. Metuendum quoque foret, ne infectarum regionum venti nostro aëri suam labem imprimant. Vt si (exempli gratia) Africus (vulgo *Sud-oüest*) diutius forsan spiraret, ab Africa (ubi malum æstuat) hinc ad nos labem ingeminare posset, ut anno 1580. contigit, velut id etiam factum imperante Commodo, atque etiam anno 1348. Historici prodiderunt. Quod mihi memoriam renovat famosæ illius à Thucydide adeo graphicè descriptæ pestilentiæ, quæ in Æthiopia enata Ægyptum, Libyam, Persidem transuecta Athenas usque appulit, ubi mirum, quantum debacchata fuerit.

Nam penitus veniens, Ægypti finibus ortus,
Aëra permensus multum camposque natantes,
Incubuit

Incubuit tandem populo Pandionis.

Quamobrem ad avertendam impendentis perniciei calamitatem, populo hic author sum, ut se quovis ingenio, quavis arte indemnem præstet, ut primum ad Deum (supremum malorum averruncatorem) confugiat, illiusque opem pio sinceroque animo imploret, Magistratus iussis fidelissimè obtemperet, peritiorum consiliis obsequatur: hoc est vitam moresque ex legibus divinis, politicis, medicisque (quoad fieri potest) moderetur, Divi Pauli præceptum exequendo; piè, sobriè iustéque vitam transigat.

Bifariam porro Pestis considerari potest. Primò, ut morbus communis est. Secundò, ut privatus, qui singulos adoriri potest:

Nam tua res agitur, paries cum proximus ardet.

Ad præsidia quod attinet, præcautionem præsertim spectantia, (quam curationi prævalere diximus) partim à Magistratus, qui saluti publicæ præfectus est providentia, partim à singularium quorumvis studio, cum unicuique sua salus curæ esse debeat, dependent.

Percuperem vero, ut omnes intelligant, quantum *debeamus augusto supremoque Senatui, Reipub. præsidi, propugnatori, salutis mentisque publicæ principi,* præ cæteris; illustrissimi illius cœtus sapientissimo supremoque Præsidi, qui tanta cum dignitate integri-

tateque non modo ius dicit, sed publicæ saluti tanta cum sollicitudine incumbit, de signis, causis, præcautione, curatione peritos curiose percontatur & consulit, populoque necessariis instantissime invigilat.

A vobis porro (nobilissimi proceres) quibus ex Senatus decreto ist hæc provincia demandata est, ingenuis precibus efflagito, ut mihi per vestram benignitatem liceat, summa aliquot capita, ad vestram administrationem spectantia, huiusque calamitosæ labis præcautioni, curationi, ingruentis incendij extinctioni conducentia delibare: etsi non me fugiat id generis præceptiones regulasq; non modo iam pridem propositas, verum etiam sancitas, atque ex parte observatas, ex parte neglectas, ob multiplicia, quæ in urbe adeo populosa & in morbis istiusmodi occurrunt, dissidia.

Binæ imprimis, in alio atque alio urbis suburbiis, ædes commodo (Medicis probato) situ ægrotantibus excipiendis adornantor. Periculosum namque fuerit salutique communi valdè noxium, in publicum Nosocomium, iuxta primarium maximeque frequentatum fanū, in urbis meditullio situm, peste infectos compellere, indeque in Trinitatis cœmeterium extinctos longo urbis tractu, transportare. Vrbs hæc nostra, suapte natura salubris, tum quia admodum pervia & perflatilis, tum ex arescente arenosoque solo, amœnissimique Sequanæ fluvij, eam

bifido productoque cursu præterlabentis, sordes illuc devolutas eluentis & abripientis, commoditate: longè maiori salubritate fruetur, si pauperum multitudini pesteque correptis excipiendis, de habitaculo commodo provideatur.

Hæc officio administrationeque vestra (viri sapientissimi) cura dignissima est. Ea utique gratia à Rege nostro Christianissimo, augustissimoque Senatu quam liberalissimè concedetur. Successorum vestroum diligentiam, gloriamque ab illis, eo maiorem ex publica urbis salubritate reportandam, quo amplitudine, opulentia, splendore totius orbis civitates sine controversia præcellit, occupate. Exploratum habeo neque per vestros antecessores, neque per vos stetisse, quominus illa saluberrima institutio executioni mandata fuerit: solumque instrumentum (magnis conatibus cœptisque perficiundis necessarium) defuisse. Verum ab honestiorum virorum, ditiorumque (quorum numerus amplissimus est) munificentia expectandum, tam eximio salutarique operi facultates suppeditatum iri, aliquot huius Regni urbium dignitate, & opibus longè inferiorum, honesta æmulatione. Mihique facilè persuadeo quoddam æris subsidijque genus existere, quod huic negotio, vel Nosocomij necessitatibus legitimè impēdi posset. Egregiis inceptis ad finem perducendis nunquā impedimenta desunt. Difficultates

porro obstaculaque hic occurrentia, ubi de salute publica agitur, animosè superanda. *Salus populi, suprema lex esto.* Sed manum de tabula, ne extra propositos iustosque limites evagari videar.

Quandoquidem Nosocomij mentio incidit, ab illius Rectoribus enixè postulamus, ut consilium nostrum (quod rationi consentaneum communique bono utile arbitramur) approbent. Vt in magno Nosocomio pharmaceutica officina, pharmacis compositionibusque ægrotantium subsidio necessariis ornatissima instruatur, illique Pharmacopœus præficiatur, prout alias obseruatum audiuimus. Singulis mensibus Dominis Administratoribus expensi rationes Pharmacopœus reddere, præscriptiones schedasque à Medico subsignatas exhibere teneatur: qui Medicus, loco vacante, à dictis Administratoribus, citra ambitum & gratiam, huic prouinciæ habilissimus eligatur. Id vero eò profero, quoniam ad id muneris, sordida prensatione, nonnullos irrepere velle subaudio. Pudendum certè, cum vix in animum inducam, in honestissimo Parisiensium Medicorum, qualis hactenus extitit, cœtu, aliquem existere posse, qui illiberali huiusmodi ratione eam prouinciam affectet. Medicum quippe non ultro se ingerere, sed legitimè vocari decet. Qui alio se gerat modo, sui ordinis honori, artisque dignitati non leuem infert iniuriam.

Vt vero nominatus Medicus officio rite perfungatur, ea authoritas à dictis Dominis illi impertienda, ut omnibus Valetudinarij ministris imperet, cum illius officij sit, quæ ad Pharmaciam, Chirurgiam, Diætamque pertinent præscribere. Ingens etiam inde commodum rebus domesticis accessurum est, prout ab annis 35. contigisse memini, probo quodam prudentique Medico hoc munus obeunte. Quoties ægrotantes invisit, janitorem vel alium domus ministrum sibi adjungere debet, eique præcipere, ut mendicantes validos, eosque qui eò tantum se intrudunt, ut languentium ægrotantiumque victũ defraudent abliguriantque, expellat. Rei etiam publicæ aliud inde emolumentũ emerget, si dicto Medico concedatur, ut Medicinæ Baccalaurei, quoties infirmos invisit, comites adesse possint, ut Theoreticæ Medicinæ præcepta ad usum artisque opera deflectere perdiscant: ea tamen conditione, ut soli Medico liceat remedia decernere schedasque subscribere, ceu Senatusconsulto (quod Arestum vocant) sancitum est.

Hospitio, ut dictum, commodo, infirmi languentesque excepti Christiano zelo atque obsequio diligentissime tractentur, omnibusque artis Medicæ officiis præsidijsque accuratissimè subleventur. Ad quod ritè perficiendum multa veniunt expendenda.

Primum, peritissimos Medicos, Chirur-

gosque, ob morbi magnitudinem, (quoad fieri poterit) eligendos, non autem in arte rudes, ut ferè fit, maximè in Chirurgiæ ministeriis, tyrunculis ad id muneris ut plurimum adhibitis. Adducor vero ut credam, illos quibus isthæc provincia demandata est, fidos, honestos, peritosque esse; contra quàm alias factitatum fuit, illò admissis, pestiferis, imo peste ipsa deterioribus hominibus, quibus id tantum studij erat propositum, ut magistralem, ut aiunt, licentiam, citra ullum aliud artis specimen tyrociniumve editum indipiscerentur, quamvis scientia bonisque ut plurimum moribus vacui.

Laudem sanè merentur egregiam Parisienses Chirurgi Barbitonsores, qui ante biennium, in pari necessitate, collata viritim pecunia ad elocandos ex suis aliquos huic operi adimplendo, ut ea ratione ignaris huiusmodi imperitisq; ad Magisterium aditus præcludatur. Eam ab illis pragmatiam institutam audio, ut quatuor recenti magisterio donati ad peste correptos curandos astringantur. Æquitati parum consonum arbitror ad id aliquem adigere. Eligendi potius ex illorum ordine in artis operibus exercitioque insigniores, unà cum binis Medicis apprime etiam exercitatis, splendido ad id honorario provocatis. Medicos olim Romæ peste vexatos invisisse, eorum pulsum exploravisse, omniaque morbo necessaria, citra periculi formidinem ullam, præscripsisse

creditur. Experientia certè constat periculum esse gravissimum, contagisque eam esse truculentiam atque immanitatem, ut Medicis non magis parcat quam aliis.

---in ipsos sæva medentes
Erumpit clades, obsuntque autoribus artes.

Vix hodie reperias, qui Malmediorum (apud Turcas) æmulentur zelum, qui ultrò gratisque huic periculosæ sese objiciant aleæ. Liberali igitur præmio Medici Chirurgique in arte versati ad id incitandi, ut passim alibi fit.

Illi qui infirmos invisunt vel quoquo modo frequentant, veste cilicina (vulgo cameloto,) panno Atrebatensi, serico tenuiori vel undulato, aliisque huiusmodi induantur. Quorum vero curta supellex fuerit, hircino corio, telave nigra crassiore, qualis est Germanica, contegantur.

Quibus opes suppetunt, ut intra proprias ædes curari valeant, de Medicis Chirurgisque peritis, de custodibus, de cibariis aliisque necessariis ita provideant, ut omnes qui eorum obsequio vacaverint, nullo cum vicinis commercio misceantur.

Qui incolumes evaserint, ad salubria quæpiam per tempus aliquod loca amandentur, antequam populum frequentent: vestibusque novis induti, rebus omnibus aëris noxij capacibus, quibusque durante ipso morbo usi fuerint, abdicatis.

A nonnullis huius urbis Medicis scriptis

proditum est, quoniam ex fæcibus ad acetum conficiendum adustis tetri expirant vapores, longius ab urbis pomœriis esse ablegandam huiusmodi confectionem, contra quam in hac urbe factitatur.

Observatum etiam est, gravem ex coriariorum officinis prodire fœtorem qui nihilominus in urbis meditullio habitant. Mansiones illis iuxta amnem assignari possent, ut qui eos in hoc munere antecesserunt, lanienam illic collocarunt, & ab aliquot annis macellum novum instituerunt. Certissimum enim est, cum pestifera lues in materias huiusmodi unctuosas viscosasque incidit, pernicioſissimam maximeque contagiosam evadere. Succurrit mihi memoria, anno 1580. cuiusdam candelarum sebacearum propolæ pestem ædes subiisse, in quibus quāplurimi erant inquilini, eosque pene omnes extinctos.

Providendum etiam foret circa urbis cloacas, quia tetterrima inde dimanat anathymiasis, maximè è Templi & S. Martini regione, borea flante, quo pravi halitus in urbem retorquentur, qui borealis ventus nobis alioquin salutaris foret. Cum deprehendisset Empedocles, pestem quæ in urbe Salemia apud Siciliam sæviebat, à fluvij cuiusdam spurcissimi fœtore enasci, promptissimo opitulatus est præsidio. Propriis enim expensis ex aliis vicinis amnibus aquas limpidas variis fluentis in fœdum fluvij illius

alveum corrivavit, atque ita aquarum illarum commixtione, quæ prius torpida putidaque, nitida, pellucida, fluida evasit, pristino fœtore sordibusque ex aquarum affatim confluentium exuberantia expurgatis; hunc-que in modum pestis desijt.

Sanciendum pariter, ut lutis vicorum eluendis præfecti, illa undique diligentius frequentiusque everri auferrique curent, aurigis arctè iniungendo, ne plaustra adeo cumulent atque oppleant, ut diffluant qua transeunt. Athenas à peste tutas Toxares Medicus præstitit, sordibus omnibus ab urbe eliminatis, singulisque urbis semitis viculisque vino conspersis. Agamemnon, cum castra pestis invasisset, exercitum nihilo secius lustrabat, omnia perpurgari sordesque in mare projici satagens.

Singuli cives summo mane præ foribus aquas effundi curent, ut quicquid sordidum cœnosumve fuerit in rivorum alveos deturbetur: qui ideò, ubi vicorum strata reficientur, maxime declives efficiantur.

Qui equos in stabulis habent, ea sæpius curiosiusque mundari simumque exportari curent, ne diutina mora putrescat.

Si prohiberi posset, ne in urbem ab infectis regionibus aliquid adferretur, ad præcautionem maximi momenti foret. Verum fieri vix ac ne vix quidem id in hac urbe potest, quæ est velut communis parens, totiusque Galliæ, ne dicam orbis appulsus atque emporium.

Inchoatum à D. Franciſco Myrone urbis Prætore & Præfecto aquæ-ductuum opus abſolvendum, quorum ope aquis fontanis in urbem deductis infima inopſque plebecula pravas devitet aquas, quarum uſus quantam exercitibus etiam noxam intulerit, ſatis eſt exploratum.

Balneæ (vulgò ſtufæ) tempore peſtilenti interdicendæ. Non ignobilis quidam Medicus Canonicuſque Pariſienſis, qui anno 1457. tertio Ianuarij die obijt, ſcriptum reliquit ſe balneatorum odium ex ſuggeſto huiuſmodi conſilio incurriſſe.

Mendicantes ablegandi, & aliquò compellendi, ſuppeditanduſque victus, ne hinc inde divagentur. Si malum ingraveſceret (quod avertat Deus) ad aëris corruptelam emendandam, ignis, ut ſingulare præſidium, commendatur. Hippocratem ignis ope Aticam peſtem cohibuiſſe ferunt, atque etiam Empedoclem & Acronem Agrigentinum. Hiſtorici produnt, milites Tornaci à peſte immunes evaſiſſe, bombardis bellicis, noctu & ſub crepuſculum matutinum ſolo tormentario fartis pulvere, abſque globis, exploſis. Nullum fugit, ignem quovis tempore ſalubertimum eſſe, lepidumque poëtam Martialem inter cæteras beatæ vitæ dotes *focum perennem* recenſuiſſe. Verum cum penes ignis uſum plurima diſtinguenda occurrant, præſidium iſtud Medicis inconſultis minimè uſurpandum. Generales regulæ

si indistinctè accipiantur, sunt ut plurimum periculosæ.

Peste extinctorum corpora altè, lociſque à populi commercio remotis, defodienda. Pestem olim Carthagine exacerbatam ferunt tum à cadaverum inhumatorum fœtore, cum ea præ contagij metu tangere omnes refugerent, tum à paludis urbis vicinæ putore. Venetiis pestiferam etiam labem mirum in modum recruduisse memorant, quia peste exanimatorum corpora per urbem & in ædibus insepulta vespillonum penuria iacebant, & quia in antiquo valetudinario cadavera cremabantur, ex quibus diffusus in urbem fumus aërem conspurcabat.

Ædium infectarum instrumentariæ supellectilis venditio prohibenda; cavendumque ne furripiatur, ut ante biennium in quadam domo contigit. Si vero mali sævitia invaleſceret, inventaria, instrumentorumque subhastationes prorsus interdicenda forent, cum non levia labis fomenta in illis deliteſcant, supraque innuerimus plus contagium, quàm corruptum aërem obesse.

Ab huius urbis seniore mihique consanguineo audivi, fabros quosdam murarios, qui ædium prope ponticellum restaurationi operam navabant, omnes peste occubuisse, ob extractas à rimis infectas stupas, quæ illuc à septennio & ultrà coagitatæ fuerant, cum citeriori tempore pestis Lutetiæ non incubuisset.

Sacrificulus ex veteri lege omnem veſtem laneam, lineam, pelliceam cremare tenebatur ſi lepram pungentem animadverteret. Eo exemplo ſupellex omnis, quæ peſte correptis uſui fuit concremanda, etiam lignea, præſertim perforata vel carioſa. Senatus Veneti decreto numeroſa ſupellex variaque inſtrumenta ad uſus domeſticos inſervientia à ſarcinariis compoſitoribus veſpillonibuſque ſæviente peſte collecta combuſta ſunt, ut novæ contagionis fomes tolleretur, unde omnimoda ſecuritas conſecuta eſt.

Quod ſpectat ad domorum infectarum parietes, frigidi licet ſolidique ſint, optimum tamen eſt eos exaſciare & de novo oblinere, maximè ſi vetuſti ſint, caduci vel rimis dehiſcentes. Eam ob cauſam ſacrificulo apud Iudæos præcipiebatur, ut domus lepra infectæ parietes de novo illinerentur.

Penes privatorum munia unuſquiſque munditiæ ſtudeat, laxiorique, quoad per facultates licebit, habitatione fruatur. Pericles, ab Athenienſibus peſtis qua infeſtabantur cauſam in illũ conjiciẽtibus, inſimulatus fuit, quod ingentem inconditorum ruſticorũ catervam in urbem accerſiviſſet eiſque manſiones conſtituiſſet. Creditum etiam eſt numeroſam populi multitudinem ſtrictius ac confertim Romæ habitantem peſtiferã luem L. Æbutio & P. Servilio Conſulibus commouiſſe. Ratum etenim eſt, urbes minus celebres minuſque frequetatas non ita peſti

esse obnoxias, quæ à contagio, vel oritur, vel fovetur.

Si qua labes in aëre existit, suo contrario est emendanda. Si ab Austro manet, fenestræ huic perviæ occludendæ: quæ Septentrioné spectant, recludendæ. Si tempestas sit humidior, luculentus ignis excitandus. Dum pestis illa immanis (quam supra attigimus) Romæ inardesceret, Commodus Imperator, consulentibus Medicis, Laurentum secessit (ubi lucus erat lauris consitus) tum ob loci amœnitatem, tum ob laurorum fragrantiam, quas corruptioni avertendæ accommodas salutaresque esse aiunt.

Peste correptorum eisque quoquo modo assistentium societas, rerumque infectarum contrectatio prorsus declinanda.

Ad pestis antidotum commendant nonnulli graveolentiam seu virosos pravosque odores, quales ex hirco eiusque urina exhalant. Contra quos disputare eorumque opinionem refellere, propter antiquorum qui id scriptis mandarunt, & eruditorum aliquot neotericorum illis subscribentium reverentiam, detrecto. Verum eos rogatos velim, ut æqui bonique consulant, si hac in re ab illorum opinione discedam, existimemque suaves odores ad aëris noxij susceptionem impediendam magis esse opportunos, eo quod facultatem animalem vitalemque confortent, ob eamque causam cuilibet corruptioni facilius obsistant.

Poma quædam exigua odorata, imperante iam aliquoties memorato Commodo, adversus pestem (cuius sæpius etiam memini) manu gestabantur. Antiquitus ad vestes conservandas putredinemque ab illis arcendam cortices citri ciſtis includebātur. Munditiei & nitori quoad potest, studendum, vesteſque parandæ ex materia aëri noxio excipiendo minime habili, (ut antè scriptum) cuiusque instituto & facultatibus conveniente.

Exercitationes sint moderatæ. Immodica calefactio vitanda, ne copioſi aëris attrahendi adsit necessitas.

Omnes animi affectus violentæque perturbationes fugiendæ, atque imprimis ira, triſtitia, pavor, ut supra iam insinuatum. Sicut enim vinum, vigente Canicula, soli expoſitum facile in vappam faceſſit, vel aceſcit, quia fæx ab ingenti calore attracta vino commiſcetur: eodem plane modo in mœrore, terrore, melancholica perturbatione sanguinis fæx è sua exiliens sede, sinceriſque permiſta succis, eos perturbat, alterat, atque deleteriæ corruptioni excipiendæ idoneos efficit. Cura, sollicitudo, anxietas in pestilenti constitutione eliminanda. Obſervatum aliquoties, nonnullos Chirurgos, qui animo hilari & vacuo infirmos peſte correptos visitabant curabantque, à periculo immunes evaſiſſe: eoſdem vero poſtea uxorum, liberorum, rerum domeſticarum solli-

citudine curaque confectos, inter primas sæpiuscule curationes morbo correptos interijsse. Græcos milites cantilenis pestem ex castris profligasse aiunt, Thaletamque Cretensem musicis cantibus Lacedæmonios ab illa servasse. Hinc intelligimus, placidè hilariterque vitam esse transigendam. Animaetenim corporeque exhilaratis obfirmatisque mali insultui alacrius validiusque obsistetur.

De venereis voluptatibus id unum Lectorem monebo, ut memoriæ infigat, quod olim responsum est sciscitanti, quando veneri indulgendum esset, *quoties*, inquit, *debilior fieri voles*. Venerei enim actus finis is esse debet, virium incolumitas atque conservatio.

Accuratam vivendi normam unusquisque servare debet, probis uti alimentis facilisque coctionis, omnem exuperantiam tum in copia, tum in qualitate, maximeque fructus recentes devitare, ex quibus pravi generantur succi, eosque qui brevi vitiantur & marcescunt, quos horarios & fugaces appellant. Cerasa excipio, quorum moderatus usus saluberrimus est.

Vt pars sanitatis est cultum elegantiamque in vestibus supellectileque domestica consectari, sic etiam corporis qua foris, qua intus munditiei puritatique incumbendum. Quapropter ij, qui certis invaletudinibus vitiosisque succis cumulandis obnoxij sunt,

ventris laxitatem procurent, lenibus interdum medicamentis purgantibus, ex Medici ordinarij consilio, usurpatis.

Verum enim vero, quoniam præsidia prophylactica, in pauperum gratiam (qui humaniter ac benignè ab huius urbis Medicis, quoties illos adituri sunt, excipiendos sciant) à nobis hic postulari video: quædam medicamenta paratu facilia minimique sumptus, quibus ad præcautionem uti poterunt, describam.

Expedit igitur, ut quisque corpus mundum, nitidum & perspirabile sibi præstet. Edaces, comedones, multum sanguinis generantes, hepate calidi, sanguinis novem vel decem uncias sibi detrahi curabunt. Bis terve singulis mensibus blandè purgabuntur, pluvioso exempli gratia cælo (quale hactenus viguit) pilulis utentur sequentibus.

℞. *Pilularum Ruffi* ʒ. ß. *Malaxa cum syrupo conservationis citri. Fac pilulas tres. Da mane paulo ante iusculum.*

Calidiori vero sicciorique constitutione, sequens medicamentum robustioribus exhibeatur.

℞. *Foliorum sennæ mundat.* ʒ. ß. *Infunde & coque in decocto pectorali. In colatura dissolve Catholici duplicati & syrupi rosar. pallid. laxativi veteris, an.* ʒ. j. *Fac dosim. Da tribus horis ante iusculum.*

Prædictorum medicamentorum loco, maiorique

majorique facilitate & commodo, accipiatur uncia dimidia sennæ, infundatur bullatque tantisper in carnium vel prunorum iusculo, dein ex linteolo mundo traijciatur. Duabus tribusve ante prandium horis propinetur. Ditiores pulpæ cassiæ uncia una, vel mannæ uncijs duabus una ante cibum hora uti poterunt.

Cardiacorum præsidiorum usum non equidem improbo. Verum in eorum usu delusa sæpius specioſa cardiacorum nomenclatura plebecula; præcautionis primaria negligit remedia, quæ in expellendo humore, à quo insignis memorata putredo, pestis causa continens, generari potest, consistunt. Ab ijs igitur auspicandum præsidiis, quæ vitiosos exhauriunt succos; dein ad ea progrediendum, quæ pravam temperiem alterant atque immutant: partesque nobiles adversus eiusmodi putredinem roborandæ.

ANNOTATIO II.

De præsidijs Cardiacis eorumque abusu.

INsigni adeò probitate animique candore noster Author præcelluit, ut ab huiusmodi medicamentis laudandis abstinuerit (de quorum facultatibus in morbis epidemicis malignisque plerique tantopere confidunt) priusquam populum de immani eorum abusu prudenter

benignéque commonefecerit. Verum enim profiteri si liceat, mera commenta sunt, quæ de Cardiacorum iactantur facultatibus, ab Empiricis aliisque id genus excogitata, qui solo lucri stimulo perciti speciosis his mercibus, res miras, quæque vim omnem naturalem superant miseris ægrotantibus, vel periclitantibus, vel morbum expavescentibus pollicentur, ut eorum loculis (velut pisces hamo trahuntur) æs callidè eliciant. Isthæc remedia ab Hippocratis Galenique scriptis longè exulant, ab illis in morborum curatione nunquam adhibentur, atque etiam hodierno tempore eruditis probisque Medicis ut fallacissima odio sunt: à solis vero sufflonibus Empiricisque in reipubl. credulorumque infirmorum exitium in usum vocantur. Vitiosis tam intra quam extra venas corpus scatens humoribus, imprimis sanguinis missione, mox purgatione opus habet, utroque præsidio sæpius interdum iterato, prout Medicus ordinarius expedire censuerit, ad imminentis contagionis periculum arcendum; non neglecta vitæ ratione consentanea, temporis anni, ætatis, temperamenti, regionis aliarumque circumstantiarum (quarum is unus arbiter est) ratione habita. Hæc tria scitè prudenterque administrata quibuslibet prævalebunt præsidijs, nec locus erit damnosis illis prophylacticis, ab impostoribus plebeculæ passim venditatis. Vivendi ratio legitimè instituta opiatas auro illitas, tabellas, cardiacosque pulveres in officinis adeo ventilatos antecellit. Cui phle-

botomiam blandamque purgationem ex Autoris consilio adiungant, qui à vaporibus contagij malignis reformidant.

Præsidia cardiaca vocata, sunt vel interna, vel externa. Quod ad interna spectat, tenuis fortunæ homines vero Mithridatio uti possunt, tum ob antiquitatem valde commendato, Principisque illius authoritatem, à quo & inventum, & sæpius usurpatum ferunt, tum ob facilem præparationis modum, paucitatem vilitatemque simplicium, maximamque efficaciam. Devicto Mithridate compositionis scheda ipsius manu exarata, in scriniolo inter res curiosissimas à Cneo Pompeio deprehensa est. Misturam istam à Pompeio minimi æstimatam aliqui memorant, quod pauciſſimis passimque obvijs simplicibus constaret.

Antidotus verò multis Mithridatica fertur
Consociata modis, sed magnus scrinia Regis
Cum raperet victor, vilem deprendit in illis
Synthesin, & vulgata satis medicamina risit:
Bis denum rutæ folium, salis & breue granum,
Iuglandesque duas, totidem cum corpore ficus:
Hæc oriente die parco consperſa Lyæo
Sumebat metuens, dederat quæ pocula tutor.

Vt suprascriptis versibus liquet, duabus iuglandibus aridis, totidem ficubus, viginti rutę foliolis, cum salis grano probè contusis compositio illa conflabatur, in lemmate vi illi adscripta, ut qui ieiunus illa uteretur, à veneno totis 24. horis tutus esset. Ea con-

fectionis quantitas in tres quatuorve dofes matutinas exhiberi poteſt.

ANNOTATIO III.

De Mithridatio illiuſque compoſitione.

CVm Autori propoſitum foret complures abuſus qui in Medicinam irrepſerunt emendare, utilitatis publicæ ſtudio permotus, edocet hic, ut quiſque verum Mithridatium ex paucis obviiſque ingredientibus, aridis ſcilicet ficubus, rutæ foliis, ſaliſque pauxillo parare valeat. Quæ ſimplicia ſimul iuncta inſignem adverſus putredinem, primariam peſtis cauſam, vim obtinent. Apud omnes fere Autores extat eiuſdem nominis compoſitio, longe numeroſioribus calidioribuſque conſarcinata medicamentis, quorum aliquot incognita ſunt, plurima inventu difficilia, pleraque depravata adulteratæque. Variorum adeo ſimplicium coagitata mixtio ſupervacanea inutiliſque videtur congeries, quæ utentium ſpem non ſolum fruſtratur, ſed ut plurimum viſceribus calorem imprimit, nulla fere alia prærogativa inſignis. Eam non ſolum intelligo, quam ex publicis theatris triviſque Agyrtæ plebeculæ venditant, ſed illam etiam, quæ in Pharmaceutarum officinis proſtat, cui nulla alia vis energiaque ineſt, quam apprimè calefactoria. Speratæ autem cardiacæ vires certius promptiuſ-

que à sexcentis perviisque simplicibus obtineri poterunt. Imo vinum ipsum tempestivè exhibitum ipsi Damocratis Mithridatio longè præferendum, saporis, caloris tenuitatisque partium ratione. Vnde liquet, oleum & operam perdere, qui merces eiusmodi exoticas coëmunt, sumptuosas alioquin & caras, incertas, ementitas, neglectis vernaculis & indigenis, vilioris pretij & securioribus. Quæ securitas etenim à Mithridatio exspectari potest, quod plurima venenata simplicia subeunt, quorum non iusta dosis gravia symptomata, atque etiam interitum inducere potest? Papaveris nigri lacryma, quæ vulgo pro Opio habetur, huius fidem facit certissimam, quippe quod perperam exhibitum præsentaneam mortem inferat. Laudata vero ab Autore Antidotus indubias utentibus conciliat utilitates, cum nuces, ficus, ruta & sal nedum ullam ex se pravam qualitatem, sed exsiccantem tantummodo corroborantemque habeant facultatem. Adeo ut magnus ille Rex Ponti Mithridates, nullum aliud adversus venena, quibus illius, dum iunior esset, vita tentata est, præstantius alexipharmacum adinvenerit, cui nomen indidit, ob insignem virtutem in eo compertam. Eius elogium Martialis etiam attigit:

Profecit poto Mithridates sæpe veneno,
Toxica ne possent sæva nocere sibi.

Si cuipiam antidotus illa Mithridatica simplex non arrideat, quotidie mane antequam foras prodeat, sequenti utatur Opiata.

℔. Conſervarum buglossi, borraginis, nenupharis & roſarum, an. ℥ ij. conſervæ calenduleæ ʒ. x. Malaxa cum ſyrupo de limonibus, & fac Opiatam. De qua utatur mane ad quantitatem nucis avellanæ, ſuperbibendo parum vini albi.

Huiuſmodi Opiata temperatiſſima eſt, nullum calorem noxamve, ſed certum fructum levamenque allatura, levi cæteroquin pretio comparanda.

Penes externa cardiaca, nonnullorum Medicorum (quorum nihilominus eruditionem veneror) opinioni favere non poſſum, qui ſupra cordis regionem ſacculum Arſenico plenum geſtandum præcipiunt, hac nixi ratione, quod Arſenicum humiditatem putrefacientem vi exſiccante abſorbeat: ad experientiamque provocantes, Alexandri VI. Pontificis maximi exemplum afferunt, qui ad Peſtis cautelam huiuſmodi præſidio utebatur. Ad quæ perfacilis reſponſio eſt, Arſenicum ſcilicet calore immodico funeſtoque deſiccare. Prudentem vero Medicum ex uno atque altero experimento ſubſecutam ſecuritatem nequaquam inferre debere, quæ aliunde etiam dimanare potuerit. A noſtris autem partibus militat totus Medicorum Pariſienſium Collegarum meorum chorus, à quibus ſuccedentibus identidem temporibus multiplices exitialis iſtius medicaminis effectus animadverſi ſunt, inductæ in quibuſdam aſſi-

duæ palpitationis, in alijs præcipitis interitus, in nonnullis cor vietum, aridum exsuccumque inventum. Præ cæteris Nobilem quendam referunt, qui supra cor venenatum illud antidotum appenderat pestis præcavendæ gratia, pila palmaria ludentem è vestigio exanimem corruisse, cujus aperto cadavere, siccum, nigricans ulceratumque cor comparuit. Minime enim dubium est ab excalefacto corde veneni noxam attractam fuisse, cum ex omnium Medicorum calculo Arsenicum ad summum caliditatis gradum pertingat, causticumque sit, eaque de causa venenum putetur, cordi prorsus infensum. Suspicari non possum, undenam error iste manare potuerit, nisi ab Arabum scriptis, in quibus, ex idiomatis Arabici ignorantia, pro *Arseni* vocabulo Cinnamomum Arabicè significante, vox Latina illi affinis, *Arsenicum* scilicet, accepta fuerit, indeque concinnari pulvis ex Arsenico potuerit, pro pulvere ex *Arseni*, hoc est Cinnamomo, in sacculo recondi, instarque periapti, pectori è cordis regione apprimi. In eum porro lapsum nonnulli Medici impegerunt, plausibilemque isthunc usum astruxerunt, ut omnia fere nunc temporis Medicinæ dogmata velut problematica habentur! Sed bona illorum venia huic erroneæ periculosæque opinioni adhærere non possum, quin potius ad tam pernicioſum abusum convellendum Medicáque è praxi eliminandum multis de

causis totis viribus connitendum existimo.

ANNOTATIO IV.

De Arsenico ex collo suspenso ad pestis prophylaxim.

NOn possum quin Autorem debitis laudibus exornem, qui adeo ingeniosè detexit, unde Arsenici ex collo suspendendi abusus manarit in peste præcavenda; immanis certè atque exitialis, quemque Medicos, quotquot sunt, ex re nata refellere ac oppugnare deceret, cum ab illo tot etiamnum homines circumveniri conspiciamus. Absurdissimum enim videtur, cor, primarium vitæ principium, fortissimamque caloris innati arcem, cum Arsenico quolibetve alio veneno familiaritatem gratiamve ullam inire posse. Duo enim corpora ex diametro opposita planeque inimica sunt, Cor & Venenum. Res certe est exempli eventusque perniciosissimi. Siculus quidam Medicus eruditione clarus, refert iuvenem pila palmaria ludentem derepente in spharisterio extinctum, cui ex collo sacculus Arsenico plenus dependebat. Patavinus Medicus, doctrina pariter spectabilis, scripto prodidit, Iurisperitum qui huiusmodi sacculum gestabat, cum incaluisset, in febrem malignam ardentem incidisse, quæ ad extrema fere perductus est ex pravis symptomatis à venenato illo sacculo in-

ductis. In quibusdam observatum Aulicis, qui huiusmodi venenum cordis regioni applicuerant, toto pectore erupisse pustulas ex vi Arsenici caustica atque maligna. Visi sunt alij animi deliquijs passim corripi, ex gestato inibi deleterio illo amuleto, qui eo ablato, protinus convaluere.

Ex omnibus rationibus, quæ ad intoxicati huiusmodi sacculi usum defendendum afferuntur, ne una quidem mihi arridet. Alij dicunt, cor hac ratione venenis assuefieri. Verum alterius difficultatem, alteriusque impossibilitatem non attendunt. Accedit, ob id pestis periculum non devitari. Alij tausantur, Arsenicum venenum esse siccissimum, quod sua siccitate pravos humores pestem facile inducturos absorbeat. Quibus respondeo, si ob siccitatem id tantum contingat, pumicem mixtumve aliud siccissimum non venenatum potius accipiendum, eiusque usum quam Arsenici longe fore tutiorem. Alij ad experientiam provocant, aiuntque Adrianum VI. Pont. Max. à peste, quæ Romæ anno 1522. sævit, istiusmodi sacculi beneficio servatum. Argumentum hoc ineptissimum est. Arsenicum ex collo suspensum gestavit, ergo à peste immunis fuit. Vtrumque credo: sed non ut alterum ex altero, ceu alterum causam alterius fuisse. Quamplurimi etiam alij ex illa pestilentia evaserunt, qui eiusmodi periapto carebant. Alij denique ignarorum Agyrtarum Empiricorumve more, ad qualitatem occultam confugiunt, quanis alia ra-

tione valida destituti. Quibus ex Galeno satisfactum volo, hoc iis familiare esse, quibus, vt aiunt, hæret aqua, insolitis inusitatisque uti vocabulis, vel qualitates huiusmodi obtendere occultas: quæ meræ nugæ sunt, ab ignaris excogitatæ, ut suam insciitiam specioso tegant velo, plebeculamque his præstigiis circumveniant.

Ex Hydrargyri usu, ob qualitatem illius infensam, noxam inferri etiam posse autumo, minorem tamen quam ex Arsenico, populareſque inter errores illius administrationem quoquo modo, ad pestis pręservationem, accenseo.

Superioribus dictum paginis, graves pravosque odores ineptum à nobis adversùs pestilentiam antidotum reputari. Spiritus enim suavibus cum reparentur odoribus, vero admodum simile est, illos ab olidis virosisque halitibus offendi. Præsidium huiusmodi ab aromaticis petitum irritum minime fore arbitror, si modo anathymiasis adeo blanda sit, ut caput non gravet, impleat aut calefaciat, quin potius cerebrum roboret ac recreet, spirituſque animales & vitales amica suavitate foveat. Eóque sertum ex hyacinthis concinnatum, malum aureum vel citrium manu continuo gestari poterit.

Si quispiam erga huiusmodi præsidij speciem magnopere afficiatur, sacculum vel scutum cordi regioni imponendum, pulvere sequenti, modico pretio parabili, fartum,

fabricari curabit.

℞. Rosarum rubrarum siccarum, florum violarum, bugloss meliss. an. ʒ. ß. santali citrini ʒ. ij. myrrhæ, thuris, ligni aloès, & ligni Rhodij, an. ʒ. ß. corticis citri ʒ. ij. Omnia contundantur, pulverisentur, & includantur inter duas sindones interbastatas ad formam scuti pro regione cordis.

Inter laxantia & cardiaca auxilia Rhabarbari, syrupi de cichor. cum Rhabarb. moschi, ambræ, perlarum, auri, coralij, cornu Monocerotis, lapidis Bezoardici, Mithridatij, Theriacæ, confect. alkermes, de hyacintho, aquarum theriacalium, imperialium, marcipanum, manuschristi perlatarum, pastarum regiarum, conditorum cordialium, sexcentorumque aliorum, tam simplicium quam compositorum mentionem non feci, cum ea solum ad divitum usus & cupedias, ob pretij excessum impendi debeant. In usum tamen inconsultis Medicis minimè vocanda, qui ex morbi idea, temporis constitutione, temperamento, ætate, sexu, regione plurimisque aliis circumstantiis ea appositè præscripturi sunt.

ANNOTATIO V.

De Perlis, Auro, cornu Monocerotis, Bezoardico lapide, Mithridatio, Theriaca, confectione Alkermes, de Hyacintho, &c.

ÆQuitatis lege me devinctum sentio Lectorem monendi, ut seriò superioris paginæ lectioni incumbat, in qua cardiacorum medicamentorum sumptuosiorum splendidiorumque maxima pars enumeratur, quibus ad pestem præcavendam plerique utuntur. Autoris equidem mens ea non erat de ijs prolixiorem sermonem habere, cum argumentum id non promereatur, ideoque ab illorum refutatione, in quorum manus illius scriptio pervenire poterat, intelligeretur. Satis illi fuit nullam id genus remediorum formulam præscribere, lectoremque ab illorum usu deterrere, quippe quæ inutilia sunt, potiusque ad quæstum, quam ad salubritatem inventa. Audacter id pronuncio, omnes illas mixturas ab Arabibus in Medicinam introductas, nullum verum legitimumque usum habere, sumptuosum, luculentumque in illis luxum superstitionemque inesse, ad plebeculam decipiendam utentiumque loculos emungendos, sub specioso subsidij ostentatione, cum immodicum quo vaneunt pretium, alium morbum, priore peiorem, illis qui temere istis

confidunt, accersant. *Eo usque vero progreditur, qui penes eorum administrationem admittitur abusus, ut quos aliorum fraudes prævenire avertereque æquum artisque dignitati consentaneum foret, ipsimet in illum turpiter impingant. Exploratissimum mihi est, eiusmodi medicamenta ab Autore nunquam probata fuisse, & tot annorum, qui 40. ut minimum fuerunt, spatio quibus Medicinam in illustrioribus huius urbis familijs exercuit, ne semel quidem ex ijs ullum præscripsisse. Porro quia illa interdicendi nullam rationem protulit, ut omnes intelligant, me omni affectu vacuum, soloque publici commodi studio instinctum de ijs mentionem facere, primarias hic edisseram causas, quibus odio mihi sunt Arabum illæ præstigiæ, Agyrtarumque fraudulentæ merces. Neque Rhabarbarum, neque syrupum de cichorio compositum hic insimulare animus est, cum egregijquique Medici utrumque in usum quotidie advocent: sed duntaxat Moschum, Ambram, Perlas, Aurum, Cornu Monocerotis, Bezoardicum lapidem, Theriacam, Mithridatium, Confect. Alkermes & de Hyacintho, Aquas theriacales, imperiales, manus-Christi-perlatas, aliasque id genus quisquilias exagitare, de quarum singulis paucula, ut pro mea virili aliquid conferam ad abusus, qui in dies in Medicinam irrumpunt, proscribendos, perstringemus.*

De Moscho.

Nullus unquam vim aliquam alexiteriam

ad pestem præcavendam in Moscho deprehendit. Nullus inter nominatos Autores facultatem illi putredini obsistendi ascripsit, utpote calidiori atque sicciori. Quamobrem cavillantur & ineptiunt, qui eò Moschum adhibent. Sertum ex rosis concinnatum longè ad id præstantius, tum maximè si generosa, quæ morbi causam profligant, præsidia non negligantur.

De Ambra.

Idem censeo de Ambra, ob affinitatem qualitatum, cæteroquin inertium ad ingens Pestis incendium extinguendum, insignemque putredinem illius fomitem oppugnandam, cum & ipsa calore longe Moschum superet.

De Perlis.

Hæc una est ex antiquissimis absurdissimisque technis, quas Arabum fraudulenta cohors in Medicinam invexit, quum cardiacam virtutem perlis arrogavit. Non nisi ex duobus cor potest roborari, sanguine scilicet vel spiritu. Perlæ neutrum præstant, cum non alant, neque in alimentorum censu (quibus solis id concessum est) ullo modo reponantur. Insaniunt igitur, qui impostoris eiusmodi Arabicis deludi se sinunt, à vera Philosophia penitus abhorrentibus. Vnius lucri illicijs splendida hæc medicatio in ægrorum triclinia irrepsit. Succulentarum carnium iusculum, bene apparata gela-

tina, vel vini dilutissimi haustus longe validius agrotantis corculum fulcire recreareve possunt, quam perlarum sumptuosissima 50. seu 60. aureorum dosis, eorum cum immani ludibrio, qui portentosa huiusmodi tolerant latrocinia.

De Auro in Medicos usus non adhibendo.

Ratio articulo superiore in Perlarum censura allata, nihil cordi roboris afflare posse, quod vim alimentariam non habeat, eadem contra aurum etiam militat, quod in Medicos usus nequaquam venire, neque remedij, (si propriè loquendum sit) nuncupatione donari fas est. Cum remedium omne pati debeat, ad actumque deduci à calore innato, aurum eiusmodi esse nequit, calore in illud non agente, cum immutato colore, eodemque quo voratum est pondere, minime ob soliditatem densitatemque diminuto, excernatur. Id sapiuscule ex eorum exemplis patet, qui aureos numos ceu pilulas deglutiunt, quos postmodum citra ullum ponderis detrimentum deijciunt, nulla ne minima quidem portione in corporis alendi nutricatum abeunte. Iudæorum quorundam id quoque historia confirmatur, quorum recluſis intestinis devoratum aurum integrum repertum est. Adde, metallis omnibus sulphureum quendam maximeque fœtidum halitum, vitæ nostræ inimicum, inesse, Chymistarum etiam calculo, asse-

rentium, sulphur & hydrargyrum metallorum gemina principia, venenata esse. Remedium omne vel corroborans est, vel alterans, vel purgans. Aurum non corroborat, quia non nutrit, ex Aristotelico in Meteoris effato; & Galeni Comment. in lib. 1. Hippocr. de ratione vict. in acut. *Corroborans igitur præsidium reputari non potest. Nec alterans, tum quia nativus calor qui blandus est, in auri solidam compactamque substantiam agere non potest: tum quia nec calefacit, nec refrigerat, nec exsiccat, nec humectat. In alterantium igitur classe non numerandum. Purgatoriam vim auro inesse nullus hactenus pronunciavit, ne somniavit quidem. Nec valet, quod vis nutritia ab aliquibus auro attribuitur, quandoquidem id falsissimum est rationibus ante adductis, eaque quam ex Iul. Cæs. Scaligero* exercit. 272. in Cardan. *mutuabor. Inter illud quod alit & corpus quod alitur similitudo aliqua intercedat necesse est. Atqui inter aurum & corpus humanum nulla est, cum ab humana natura auri essentia maximè discrepet. Aurum igitur alere neutiquam valet, ac proinde vires deperditas recreare, atque restaurare prorsus inhabile est. Si quibuspiam ægrotantibus aurum opitulari valeat, melancholicis certè, non ut Arabs ait Avicenna, ex pulvere seu potione exhibitum, sed gravi mole porrectum, hoc est si afflictas eorum res opulenta aliqua fortuna sublevet, vel si deploratis rebus suspendio vicini, ut cuidam olim contigisse*

tigisse narratur, ad arboris radices, quam ad suspendium elegerant, flavi illius metalli ingentem deprehendant molem, unde exhilarentur melancholicoque mœrore & tædio vindicentur. Longior hic non ero, iis quæ dicenda de auro supersunt, ad caput singulare in meo Errorum popularium libro prope diem (cum Deo) edendo reservatis.

De Monocerote.

Vt portentosus extitit, qui ex commentitio Monocerotis cornu manavit abusus, sic plurimorum Medicorum laudanda consilia, qui identidem suo quisque tempore, solidissimis rationum momentis illud expugnarunt, omnique experimentorum genere proscribere aggressi sunt: dubioque procul amandatum prorsus fuisset exolevissetque, si male cautum vulgus, cuius facile luditur ingenium, fraudem non adiuvisset promovissetque, maiori fide Empiricis Agyrtisque commodata, quam Medicis, qui eiusmodi ludionum inventum profligare serio moliti sunt. Verum (Dei benignitate) irritus non fuit illorum conatus. Nam si usquequaque sublatus abusus non est, valde certè attritus peneque extinctus est, veteratorum opprobrio, quibus technas fraudesque prorogare volupe est. Quamobrem hic de eo multis non agam, aliquot duntaxat adductis rationibus, quæ curiosis satisfacere poterunt, ut ultimam huic monstro mactando manum adhibeam.

Primo maxima discrepantia dissensioque est inter scriptores penes Monocerotis essentiam. Secundo in eiusmodi cornibus non sapor, non odor, aliave qualitas existit, quæ luculentum ullum salubritatis effectum prodere valeat. Tertio, cum cornuum materia siccissima sit, male affectum corpus minimè nutrire, nisi forsan exsiccando, valent; quod longè commodius ex boum arietumve cornibus passim obvijs efficeretur, quàm ex id genus supposititio, ex mari (ut aiunt) rubro transvecto, ut splendidius væneat, & auro contra pendatur. Quartò, neque Hippocrates, neque Galenus aliusve Medicinæ alicuius nominis autor, ullam unquam virtutem cornu Monocerotis ascripsit. Si quid vero ab aliquibus de eo scriptum, id ex auditis aliorumque relatu hæsitanter affirmatum. In re autem tanti momenti, Agyrtis, ex mendacio fraudibusque lucrum captantibus, neque peregrè advenientibus temerè credendum est. Quapropter unumquemque candidè hortor, ne ab huiusmodi captiosa merce ludificari se patiatur, cum longè efficacioribus, præ hoc mentito, cornu Cervinum, viribus antestet. Eruditissimorum Medicorum autoritate nostra sententia fulcitur, maximè DD. Capellani, Dureti, Petræi, Altini, Scholæ quondam Parisiensis Doctorum; Mercurialis, Baccij, Sylvatici Italorum; Thomæ Erasti, Germani; sexcentorumque aliorum, quorum rationum momenta diffusius aliàs sumus enucleaturi. Quod si qui adhuc sint, qui fucum sibi fieri aveant, ma-

lintque vesanis improbisque nebulonibus, quæstum inde aucupantibus; quam consultissimis candidissimisque hominibus, ex animi sententia rerumque peritia de eo monentibus credere: eis saltem autor fuerim, ut periculum faciant: tumque suo comperient damno, quæcunque de eiusmodi cornu mirabilibus memorantur, meras esse nugas: tumque respondere poterunt, quod Apollonius Damidi sciscitanti, num crederet mirandis virtutibus, quæ vasculo ex cornu Monocerotis conflato tribuebantur, festiviter respondit: Credam, *inquit,* ubi rescivero ditionis illius Regem esse immortalem. *Sed hæc satis de Monocerotis supposititio cornu. Qui plura velit, Paræum* lib. 21. Chirurgiæ *legat, ubi strenuissimis rationibus experimentisque anilia de illo ludicro amuleto deliramenta perdoctè refutantur.*

De Bezoardico lapide.

Si Gallicus Democritus iure merito laudandus veniat, quòd molam cæteris omnibus anteponat lapidibus, ob illius usum generi humano adeo necessarium: vice versa potiorique ratione Bezoardicum lapidem insectari mihi liceat, cum eo velut instrumento Empirici sordidique Pharmaceutæ tot hominum myriadas misere circumvenerint, ex quo lapis iste offensionis adinventus est. Lapis, inquam, offensionis, in quem iampridem legitima abdicata medendi methodo viaq; regia ab Hippocrate & Galeno cõmonstrata, turpiter adeo impactum est. Falsis infandisque

experimentis fide temerè habita. Infandus lapis, à quo tot fere offensi sunt, quot à strenuissimis remedijs adiuti. Facile planumque mihi foret, solidis celeberrimorum Autorum autoritatibus, velut validissimis machinis, extructum dudum ex isto fabuloso chimericoque lapide ædificium diruere. Sed quia inveteratus iste abusus, lucrionum sordibus & dolis introductus, exolescere incipit, egregio Medicorum, tam infami mangonio infensorum, studio & opera, tum quia proprium illi in Erroribus nostris popularibus caput est assignatum, non ita hic multus ero, adde quod Medici officiosi & familiaris Autor nonnihil de huiusmodi versutia prælibavit. Hic porro duntaxat demonstrabo, Bezoardicum lapidem merum esse figmentum, nihilque de eo ab Autoribus antiquis memoriæ proditum, solumque à 50. vel circiter annis in Medicinam introductum, eorum præstigijs, qui continuo satagunt, ut apud vulgus plus æquo credulum nova medicamenta intrudant, ut immeritorum periculo quæstum inde expiscentur. Vafrities equidem ingeniosissima, egregium Agyrtarum inventum omni ratione destitutum, nullo experimento firmatum, mulierc ularum fabulis innixum, vel profligatæ audaciæ hominum, quos contra animi conscientiam id asserere, quod nunquam animadverterunt, minime pudet! Fallaci duntaxat fraudulentóque veteratorum Alchymistarum testimonio suffultum, qui pro fictitij lapidis granis aliquot, purum putumve aurum ex æro-

rum loculis eliciunt : quibus maiori longè est quæstui, quam famosus ille lapis Philosophicus Alchymistis. O improbum hominum genus! Num tandem ad meliorem frugem redibitis? Num aliquando vanis fictisque remedijs populo illudere, eiusque loculos sanationis specie emungere desinetis? Enixè sinceroque animo Deum precor, ut saniora vobis suggerat consilia, ad ingenuè palamque profitendum adigat, nullum vos unquam laudabilem ex chimerici illius lapidis usu effectum conspexisse, speratoque vos semper fraudatos fructu: vestrisque solum sordibus atque auri sacra fame inter egregia Medicinæ præsidia intrusum fuisse. Cedite tempori, cedite rationi, qua edocemur, nulli omnino lapidi ne tantillam quidem vim cardiacam inesse, longè minus fictitio adulteratoque. Quin etiam, si nativus revera foret, prout Agyrtæ & Sycophantæ in India extare, contra rei veritatem, astruunt; non maioris esset virtutis, quam creta nostra, vel gypsum Montis-Martyrum. Humano in corpore nec sanguinem, nec spiritus generare valet. Nullius ergo ad alendum confortandumque momenti est. Quod si ab illo sumpto sudor forsan aliquis prodijt, ab ullo lapide non posse id præstari pro re compertissima habendum, effectumque id esse vel febris, vel naturæ imbecillis, vel potus cuiuspiam calidi sudoremque movere potentis, cuiusmodi est aqua cardui benedicti, vel ulmariæ, quo cum propinatus est, quamvis id perraro contingat. Si

objiciatur, sumptis aliquot pulveris Bezoardici granis puerorum variolas morbillosve erupisse: absit ut effectum illum lapidi vestro, sed calori innato tribuatis, ex prægresso quopiam legitimo præsidio incitatum, quale fuerit, vel enema, vel phlebotomia tempestivè instituta. Vester ille lapis, ô boni! materia crassa terrestrique constat, quæ ultra ventriculum progredi non potest, & quacumque permearit, non nisi noxam creare potest: tantum abest ut laudabilem aliquam noxij corruptique humoris intra venas contenti, prout revera est in fœdo huiusmodi affectu, evacuationem moliri ac promovere valeat. Observate, Medicos, qui etiamnum hodie illum exhibent (qui pauciſsimi sunt) in mentis conscientia agnoscere, supervacaneum isthunc esse lapidem, eò tamen illum præscribere, ut ægrotantium affinibus gratificentur, quibus de illius viribus mirabilia depradicastis. Vt suspicionem calumniamve à se amoliantur, eorum interitus, qui illo usi fuerint, licet sumentibus noxam semper aliquam, nullum vero unquam commodum derivatum exploratiſsimum sit. Rationis cedite potentiæ, tot eximiorum Europæ Medicorum à Domino Guiberto in prædicto Medici officiosi & domestici libello curiosè citatorum. Illis cedite, quos hic succenturiabo, ut intelligatis, unam esse æquabilemque toto orbe de eo sententiam. Nicolaus Boccangelinus Hiſpanus eruditiſsimus, Imperatorius Medicus, in tractatu febrium malignarum & pestilent. *cap.* 17. *eius usum his*

verbis condemnat. Cardiacis nonnulli pulveribus ex lapide Bezoardico, unionibus, coraliis, terra sigillata conflatis utuntur: ast turpiter errant, quia omnia huiusmodi medicamina obstructiones, unde febris creatur, adaugent. Adde, pulveres istos, cum ex materia crassa terrenaque constent, in fundo ventriculi inhærescere, venas obstruere mesaraicas, ac prohibere, ne tetri pestilentesque febris vapores ab his partibus exhalent. *Hieronymus Rubeus Ravennas Clementis VIII. Medicus nominatissimus* comment. in caput 7. lib. 3. Celsi, *huius lapidis fallaciam his exprimit verbis.* Non diffiteor in febribus malignis, magnatibus virisque illustribus quamplurimis lapidem Bezoardicum me sæpiusculè præscripsisse ad 8. 10. 16. grana: verum nihil unquam laudabile exinde subsecutum, observatum est, neque sudorem, neque vomitum, neque alvi fluorem, nullumve subsidium aut emolumentum: etsi splendidè lapides isti coëmpti fuissent, pro veris nativisque haberentur, ab opulentis & eminentibus viris comparati. Præterea operæ pretium facturum arbitror, si moneam lapides illos fictitios esse & adulteratos, quod nobis innotuit in Clementis VIII. Pont. Max. felicis memoriæ, morbo, in quo ex lapidibus istis supra quadraginta ad nos allatis, ne granum quidem legitimum optimæque notæ deprehendere licuit. *Martianus Medicus Romanus* Commentariis in Hippocrat.

qui, nihil præter nomen atque opinionem ex lapide Bezoardico nobis supereſſe, *ait*, citra ullum ſucceſſum; quod veriſſimũ ex notis ab autoribus illi aſſignatis experientiaque comprobatur. *Rodericus à Fonſeca, Profeſſor Patavinus celeberrimus*, tractatu de febribus malignis, *ingenuè fatetur* nullum unquam memorabilem ex lapide Bezoardico, ſæpe ſæpius in febribus malignis à ſe exhibito, effectum conſpexiſſe. Pręterea, lapides omnes Bezoardicos hodierno die adulterari, ita ut nulli genuini reperiantur. *Ioannes Colla Bellunenſis, Italus eruditione clariſſimus, Duciſque Vrbinatis Medicus cubicularius, libro cui nomen* Coſmitor Medicæus, *longiuſculo de lapide Bezoardico tractatu, illos ſugillat, qui illius uſum citra rationem deprædicant, quique paſſim omnibus in morbis eo promiſcue utuntur, propter lucrum inde dimanans. Theodorus Angelutius* lib. 3. de febr. malign. curat. *eum ſic improbat.* Omnibus Medicis conſulo, ne eiuſmodi credant lapidi, neve ullo modo in uſum vocent, cum certiſſimè conſtet, nullum extare qui adulteratus non ſit: multique viri egregij fideq; digniſſimi profitentur, atque etiã egomet audacter affirmo, ex illius uſu nulli unquam ægroto optatum fructum ſucceſſiſſe. *Hinc colligi evidentiſsimè poteſt, quam tutum ſit rem adeo incertam & ludicram agro febre maligna periculosè divexato pro remẽdio certo probatoque præſcribere. Thomas Minadous, Medicus Italus*

etiam clarissimus, his astipulatur libro de febrib. malignis cap. 15. Nec admitto *(ait)* nec in Bezoardico lapide vim ullam occultam deprehendo, qua febribus opitulari possit malignis: meaque sententia est, commenta esse anilesque fabulas, quicquid ab Arabibus de eo scriptum, & à recentioribus etiamnum ventilatum est. Pluries enim variisque in ægrotantibus illum præscripsi, sed frustraneo semper eventu. *Aloisius Mondella* in medicam. simplicium examine; *Medicum quendam ait sibi notum, qui lapidem ex hydrargyro & auro fabricaret, quem Bezoardicum nominabat, ex cuius usu plurimi interibant. Item unius Hispani, septemque Italorum Medicorum celeberrimorum de egregio illo lapide assertiones: ex quibus inferendum, nullam ei fidem adhibendam, quippe qui spurius suppositituisque sit ac usus periculosi, quique nihil eorum præstet, quæ ambitiosè fallaciterque ab Empiricis illi affinguntur. In his solidissimis conquiescere possem authoritatibus, nisi ut fraudes luculentius innotescant, quæ huius lapidis abusu perpetrantur quam locupletissime demonstrare vellem, Medicos non tantum exoticos, Italos, Hispanosque, verum etiam Gallos eidem veritati suffragari; lapidem scilicet Bezoardicum, qualiscumque sit, puram putamque esse fallaciam, sive ex Oriente, sive ex Occidente allatum; optimumque nullius prorsus esse momenti. Paræum* lib. 21. cap. 44. *assertorem advoco, omnesque Bezoardicos Pa-*

ranymphos & Chymicos ad unum provoco, ut adductis inibi rationibus satisfaciant, Chirurgus licet duntaxat ille fuerit; hinc D. Ludovicum Guyonum Dolensem variar. lection. tom. 1. cap. 10. lib. 1. *Riolanum patrem, Parisiensem Medicum eruditissimum* Comment. in Fernel. cap. 17. lib. 2. *Andream Laurentium Henrici IV. Gallorum Regis Archiatrum* Consil. cap. 1. & 14. *Quod ad me attinet, de lapide Bezoardico nequaquam bene ominari possum, si ab illo meliora, quam triginta retroactis annis, intueri non detur: seu, si mercatores in Indys negotiantes nobis hic vivum spiransque animal ex quo extrahitur, non sistant. Gnarus quippe sum, omnes huius lapidis propolas planos esse vafrosque impostores, speciosaque illa acroamata, quæ de illius virtutibus palam iactantur, meras esse nugas, ad sordes & quæstum, vulgique, nimis utique creduli, dispendium concinnatas.*

De Theriaca & Mithridatio.

Iustum de ijs quæ contra ambas hasce compositiones, ab Agyrtis ignarisque Empiricis tantopere celebratas, objci possent, volumen compingere perfacile esset, tot tantaque absurditates, discrepantiæ, contradictionesque in Opiatis istis examinandis pullularunt, ut nuspiam gentium extare apparariique satius esset, propter frequentissimos abusus atque infortunia, utentibus sæpe sæpius inde emergentia.

Integrum mihi esset utramque minutim, singulis simplicibus excussis, refellere, nisi utrique caput proprium in Erroribus meis popularibus brevi (si Deus volet) emittendis non destinarem. Vbi planos faciam multiplices prægrandesque abusus, qui in augustissimam artem (Medicinam intelligo) irrepserunt, quibusque populus ludificatus est, blanda sanationis spe prolectatus. Illicque luculentissime demonstrabo, hodiernam Theriacam unicum priscæ illius famosæque confectionis nomen retinuisse, eique penitus esse dissimilem. Hic interim rationum molem summatim congeram, quas sigillatim illic (Deo dante) enucleaturum me spondeo, quibus ad medicamen istud exagitandum adducor, quantolibet apud improbos atque ignaros nomine pretioque cluat: succincteque id (quoad potero) exequar, ad compensandam superioris articuli prolixitatem, in refutandis technis & fraudibus, quæ in dies in lapidis illius fictitij mercimonio admittuntur, impensam.

Duo sunt duntaxat, quæ eiusmodi præsidiorum usum suadere possint, authoritas scilicet & ratio. Sub authoritate experientia continetur, quæ nihil aliud est, quam probatio seu periculum à gravibus aliquot viris fide dignis ex illis factum. Princeps maiorisque ponderis autoritas, qua Theriacam legitimam esse probari possit, hæc est (quam nulli Empirici medicaminis istius præcones omittunt): à Galeno Theriacam adeo

commendatam esse, ut de ea geminos conscripserit libros, ad Pisonem, & ad Pamphilianum. *Respondeo, autoritatem hanc nihili esse, cum uterque ille liber Galenicus non sit, licet illius nomine signatus. Quod apertissimè elucescit, tum ex stylo & ratiocinatione, qua ab ordine methodoque Galenica penitus abludunt, tum propter insolita inusitataque vocabula, qualia in alijs Galeni operibus minimè reperiuntur. Praterea opiniones maximè erroneas, absurdas, atque à germana Galeni doctrina abhorrentes inibi legere est. Exempli gratia, ubi de absinthio, &c. verba facit; ut verisimile omnino non sit, Galeno unquam in mentem eos conscribendi venisse.* In eo plurima verba à Galeno nusquam usurpata, fabulosa aliqua, & stylus totus pene diversus reperiuntur, *ait doctissimus Mercurialis.*

Etsi vero constaret librum illum Galenicum esse, enixè contenderim, hodiernam Theriacam frustraneam esse, non in Peste modo, verum & in alio quovis morbo, cum ab illic descripta penitus discrepet. Nullamque aliam rationem velim ad Theriacam, qua nunc temporis varijs in locis conficitur, refellendam, quam conditiones ab eiusmodi libri Autore ad legitimam Theriaca confectionem requisitas. Nullum admittit succedaneum. E contra nullibi in Gallia parari potest, quin duodecim ut minimum succedanea substituantur. Pra cateris imperat, ut optimum habeatur Cinnamomum, in quo (ait) quamplurimi aromatarij hallucinati sunt:

hodie vero nusquam reperitur, cum Canella (ut vulgo vocatur quæ exquisitum Cinnamomum non est) etiam optima non sit inventu facilis, insignis adeo vesanaque est extraneorum mercatorum avarities & improbitas! Idem Autor addit; in rectè conficienda Theriaca nullum erratum, ne quidem in simplicium minimo admitti debere: vitium enim unius medicamenti totam compositionem evertit. Peritiorum huius urbis Pharmacopœorum iudicium appello, num revera in simplicium electione supra viginti errata insignia committantur, quoniam alia nobis prorsus incognita sunt, alia desunt, nec unquam huc adferuntur. Vnde adducor ut credam, non leve in illius usu subesse periculum. Nullus fere est, qui abusum ignoret, qui in viperarum delectu subest, quingentisque plusquam retro annis in usum minimè venisse, imo nec cognitas fuisse, quarum vice serpentes virosissimi substituebantur. Porro si in re tam pervia adeo turpiter periculoséque peccatum est, quæ securitas in vero balsamo & malabathro longè pretiosissimis, à remotissimisque regionibus convehendis? Hodierno tempore nativo opobalsamo Ægyptij maiorem fidem quam ulli remedio adhibent, quod tamen nec occurrit, nec uspiam adinveniri potest; de eiusque præstantia postquam probi Autores mira decantarunt, demum concludunt, sed nusquam reperitur. Myrrha etiam nostra, odore excepto, in nullo convenit cum myrrha à Dioscoride descripta. Caremus opobalsamo, costo vero, schœ-

nantho, dictamno cretico genuino, amomo; chalcitide, terra lemnia, carpobalsamo, vino falerno. Hodiernum opium neque etiam purum est, legitimumque, attestante Matthiolo; penitusque discrepat ab opio à Dioscoride descripto, licet absolutè necessarium sit, cum basis sit Theriacæ. Abstineo à classicis Autoribus citandis, in quorum monumentis improbatur, res enim fieret infiniti laboris. Plinius ipse Theriacam, ceu pravum medicamentum, insectatur. Theriaca vocatur (*inquit*) excogitata compositio luxuriæ: fit ex rebus externis, cum tot remedia dederit natura, quæ singula sufficerent. *Recentiores eam damnant, ut inconditam numerosorum simplicium absque ordine & methodo farraginem, quorum maxima pars incognita est, alia frustranea sunt, pestique sanandæ penitus inertia: Unum duntaxat dicam; hodiernam Theriacam perniciosum esse remedium, perperam apparatum, præcalidum, febrem in paratis corporibus facilè accensurum, quodque deterius, inimica æstuosaque facultate exitiale incendium visceribus promptè impressurum. Indignum prorsus, quod inter Antidota reponatur, nulla quippe virtute præditum, qua pestilitatis præservationi curationive opitulari valeat, à quo abhorreat (amabo) quisquis ab illius noxa indemnem præstare se voluerit.*

De Mithridatio.

Mithridatium, quod hodierno die in offi-

cinis prostat, cum ad Theriacam maximè accedat, iisdemque vitiis laboret, iisdem etiam rationibus oppugnari debet: quamplurimis enim similibus constat simplicibus, illiusque perinde exitialis est usus. Et si à Mithridatio, fervidum mordacemque calorem excipias, quo impensissimè obesse potest, nulla alia supereſt qualitas, qua adversus pestem malignosque alios affectus commendandum veniat. Quamobrem cuique amicè consulo, ut ab eo caveat, fidemque omnem vanis Empiricorum encomijs Mithridatium impudenter iactantibus deroget.

De Confectionibus Alkermes, & de Hyacintho.

Confectio Alkermes compositio in primis est ab Arabibus perverso admodum ordine descripta, fraudibus superstitionibusque referta, quales sexcentæ aliæ in artem Medicam ab ijs invectæ sunt, nonnihil à recentioribus, Arabicæ disciplinæ sequacibus, emendata & interpolata. Nihilque aliud est, quam confusa inordinataque plurium medicamentorum externorum congeries, in qua nullam vim cardiacam (ut quotidiana constat experientia) dispicias, quicquid venalitij præcones de ea garriãt. Nulla arguiratione potest, aliquod ex simplicibus quibus conflatur, ulla vi præcellenti ornatum esse, qua putridarum febrium malignarumque causis

ac ſymptomatis adverſari valeat, ſi ſaporem odoremque, quem à pomorum fragrantium ſucco, ab aqua roſacea, moſcho, ambra, ac ſaccharo habet, illi ademeris. Cum enim omnia hæc calida ſint, febricitantibus infenſiſſima ſunt. Imo florum ſuaveolentium faſciculus cor cerebrumque vi gratiore ſalubrioreque perfundit, quam confectionis alkermes libra integra, à qua ſi quinque proximè enumerata ſimplicia detraxeris, vix unum ſupererit, quod medicos in uſus venire mereatur. Nec me ab iſta opinione divelli unquam patiar, donec egregium aliquod ac conſpicuum ſpecimen exhibeant ſerici crudi abunde immiſti, lapidis lazuli venenoſi, corroſivi, vomitivi, purgantis, hodieque adeo rari, aromatariorum totius Europæ primipilis etiam aſſerentibus nuſpiam illum reperiri, cuius loco marcaſſiteum ſubſtituunt, marmore albo conſperſum, proinde nocentiſſimum. Quod ad lignum aloës, mercatorum fidem atteſtor, qui ſæpe ſæpius in rebus minoris momenti nobis imponunt. Perlæ atque aurum nulla vi pollent cardiaca, ut ſupra demonſtratum, ſolumque ad ſplendidiorem fucum lenociniumque adjiciuntur.

Quibus permotus Rondeletius, Medicus Monſpelienſis eruditiſsimus, quanquam peregrinis ſimplicibus aliàs addictiſsimus, confectionis huius parum tutum uſum eſſe admonuit. Quod alterius Monſpelienſis Medici calculo comprobat: aitque quendam virum non ignobilem ſibi notum, ab illa in gravem fœdamque

que dysenteriam incidisse. Quod minimè miror, expensa acriusculorum simplicium ex quibus constat virtute. Simplici plebeculæ, iisque qui varietate delectantur, persuadetur, eximium quid huiusmodi confectionem esse ob admistum aurum. Verum ludibrium merum est. Aurum quippe ore sumptum nullius est usus & efficaciæ: subdolumque inventum est hominum, Arabum more viventium, ne dicam prædantium, ut miserabilium ægrorum illis plus æquo confidentium è loculis numos callidius eliciant. Augerius Ferrerius, Tolosanus Medicus eruditus in Methodo, confectionem Alkermes ex compositione improbat, Medicosque citra ingentem necessitatem, alioquè sine quam quo instituta est ea utentes, incusat. Aromatarij etiam Auxitaniæ, ubi ut plurimum cuditur, indeque ad nos adfertur, illius ligurito-res naso suspendunt. Autor collationis utriusque Pharmaciæ id amplissime patefacit, sigillatim adamussimque excussis peccatis omnibus, quæ in hac compositione admittuntur, à quorum ventilatione ne tædio sim, supersedeo.

Confectio de Hyacintho in multis cum superiori colludit, in eo præsertim, quod non minus vitiosa sit, nullaque facultate cardiaca prædita. Empirici nostri recentiores de illa pariter mira deblaterant, ob fragmentorum pretiosorum auriquè bracteolas aliquot quæ eam ingrediuntur, quorum simplicium vano inertique fulgore, non tam oculos quam mentem ægrotorum obsequentium sub specie medelæ per-

ſtringunt & ludificant; hic neceſſitas me adigit, ut exclamem, ô nugæ! ô fallaciæ! ô caligo! Tenuia quippe eiuſmodi fragmenta, omni colore fulgoreque vacant, ſpirituſque noſtri ea ratione quam idiotis ſuadere nituntur, minimè opus habent. In illis fragmentis ne tantilla quidem vis alexiteria reſidet, quin potius fervida noxiaque, ideo ex finibus uſibuſque Medicis eliminanda, cum nihil eorum penitus exequatur, quæ de illa iactantur. Ac ſtylum ea de cauſa abrumpam, multipliceſque illius compoſitionis abuſus intactos relinquam.

De Aquis Theriacalibus, Imperialibus, Marcipanibus, Manus-Chriſti-perlatis, Paſtis-regijs, &c.

De omnibus id generis medicamentis idem pronunciandum, quod de vitioſis libris exiſtimo,

Pergula pictorum, veri nihil, omnia falſa, *quandoquidem fruſtranea omnia ſunt, meraque figmenta ab Arabibus eorumque aſſeclis ad crumenam ægrotantium exhauriendam, viſcerumque intemperiē adaugendam inventa. Si ingredientia, ex quibus conflantur flocci nihilíque ſint, ex ijs compoſita quo loco (quæſo) pretiove habenda in peſtiferæ labis eiuſque cauſarum expugnatione? Miſturæ iſtæ omnes calidiuſculæ ſunt, ſplendide væneunt, perperam ſuſque deque permiſtæ, nullo locuplete teſtimonio autoritateve ſuffultæ. Solis enim in Agyr-*

tarum buccis percrepant, citra ullum evidens experimentum, nulluſque inde in peſtis, tum præſervatione, tum curatione felix ſucceſſus unquam eſt animadverſus. Quapropter Autoris veſtigijs inhærendo, unicuique conſilium ſuggero, ut fidem omnem iſtis quiſquilijs deroget, quin potius ad Deum opt. max. confugiat, ſummum ægritudinum omnium Medicum, qui peſte nos corripi ad ſcelerum noſtrorum, expiationem patitur: dein ad Medicos phyſicos, qui ex artis regulis conſentanea indicabunt remedia, cuiuſmodi ſunt magna illa & generoſa phlebotomiæ & purgationis, cum legitima vivendi norma, ex quibus vera peſtis pendet præcautio, à qua Deus ſua benignitate & gratia tueri nos velit.

Quantum ad curationem ſpectat, eam attingere nolui, quia periculoſiſſimum eſt ex ſolis univerſalibus regulis curationem inſtituere, idemque calopodium ſingulis quibuſque adaptare. Iuriſperitorum effatum eſt, Theorias generales non informare animum practicum, qui conſiſtit in ſingularibus. Si hæc propoſitio in Iure vera exiſtit, potiorem locum in Medicina habere debet, in affectu præſertim adeo anomalo atque inſolenti, cuius, ut Protei, nunquam facies eadem eſt. Nulla enim peſtis alteri, niſi in uno, ſimilis eſt, quod ſcilicet ea correpti maximam partem intereant. Conſtans opinio eſt, tot fere ſpecies morborum peſtilentium eſſe, quot annorum, quibus in vulgus graſ-

santur. Varianda proinde curatio ex affectus, causarum, symptomatumque varietate: ratioque habenda temporis, regionis, sexus, ætatis, temperamenti, peculiarisque cuiusque naturæ (quam Græci idiosyncrasiam vocant) pluriumque aliarum conditionum à Medico expendendarum. Insignis igitur abusus foret in peste curanda eadem uti methodo. Quamobrem iterum inculco, prudentes peritosq; Medicos ac Chirurgos in eiusmodi negotio esse adhibendos. Non deerũt illis libri ab antiquis & recentioribus in hanc rem conscripti, in quibus si aliquid vel in præceptis canonibusque generalibus, aut circa mali tum grassantis medelam specialem deficiat, abunde compensari poterit extemporanea cuiuspiam ex eruditis facultatis nostræ Medici scriptione, qui quam libentissime laborem hunc bono salutique publicæ impertiturus est.

Plurium medicamentorum inconditorum congerie has onerare paginas non fuit animus. Verum simplicissima, paucissima vilissimaque si pretium spectes, selegi; utilissima vero si virtutem, ad pestem præcavendam, ad subsidium solatiumque pauperum, in quorum præcipuè gratiam hunc Tractatum conscripsi, insertis nonnullis universalibus Antidotis, quæ in cuiusvis generis affectibus pestilentibus continuò inservire possint, quia universalem pestis essentiam undelibet illa excitetur, oppugnant. Eæ sunt regulæ,

tum à Politico Magistratu, tum à privatis ferè obseruandæ, quibus pro re nata aliæ consentaneæ adijci quoque poterunt. Exempli gratia duæ sequentes Antidoti, quarum usus quavis in peste ad præcautionem securissimus est, earumque descriptio huic sermoni velut corollarium superaddetur.

Prima est potio vini, quod sua tenuitate facilè permeat, substantia viget cardiaca, promptè spiritus reficit, cor aliasque partes principes confortat. Hoc ab antiquissimis eruditissimisque scholę nostræ Medicis (quorum memoriam posterosque veneror) summi cardiacique præsidij loco habeo. *Cardiacum* quippe *Cardiacorum* ab ipsis per excellentiam nuncupabatur: illudque ipsemet expertus sum, plus mihi (non sine Dei munere) etiam in lotione profuisse, quam ulla alia, qualitatibus (ut vocant) occultis tantopere commendata. Moderatè tam intus, quam foris ad manuum vultusque lotionem usurpatum commodissimum est, eo præcipuè uti assuetis, aliisque etiam, quibus peculiari aliqua de causa interdictum non est.

Altera, electuarium est *de tribus adverbijs* indigitatum; *citò*, *longè*, *tardè*: hoc est, citò à loco affecto discedendum, longè recedendum, tardè redeundum, de quibus hoc distichum compositum est.

Hæc tria tabificam pellunt adverbia pestem;
Mox, longè, tardè; cede, recede, redi.

Ex summi Medicinæ dictatoris primariique

artificis officina compositio isthæc prodiit, quippe qui ab aëris pravi diathesi creatis morbis saluberrimã esse aëris lociq; mutationem pronunciarit. Latinus Interpres aliquot ad pestis præcautionẽ traditis præceptis, peregrinationem imperavit. Antiqui Æsculapij templum extra urbes exædificabant, ut indicarent campestrem aërem urbico semper esse salubriorem.

Anno 1580. Parisiensis civitas à maxima parte personarũ illustrium & ditiorum quæ rus secesserant, ob sævientem tum pestiferam luem fere derelicta est. Peculiari Dei favore nullum signum eluceſcit, quod adeo sinistrum eventum, qualis antè expositus est, portendere possit. Quod si contingeret (quod Deus avertat) summum ad cautelam præsidium foret, quamprimum, quibus id commodè liceret, in locum quempiam salubrem commigrare, indeque duntaxat reverti, ubi Aquilo, orbis abstersor, aëris inquinamenta expurgarit. Vel quibus in civitate commorandi necessitas incubuerit, regulas superius expositas, remediaque à Medicis ordinariis præscribenda observare curent. Præ cæteris autem locos infectos fugiant, eosque homines, qui quocunque modo infirmos peste laborantes frequentant, cuiusmodi sunt qui Medicinæ ministerium aliquod exequuntur, tum curando, tum assistendo. Hic fas non est strenuitatem generositatemque præ se ferre, primisque insul-

tibus se exponere. Verum sanum consilium est in postrema acie & inter triarios & impedimenta stare, procul ab ictibus, & pro insignibus illud Comici militis gestare, *Hic ero post principia.*

Hac postrema carcerum meta Deum opt. max. enixissime oro atque obsecro, ut à nostris omniumque civium nostrorum capitibus tam funestam calamitatem avertere velit, salutemque publicam sartam tectamque præstare. Hoc breviculum monitum (Lector humanissime) æqui bonique consulas rogo, & *Candidus imperti meliora, vel utere nostris.*

GALENI DE RATIONE CVRANDI PER SANGVINIS MISSIONEM LIBER.

Ex Græco in Latinum versus.

Cum prefatiuncula in modum Epistolæ nuncupatoriæ ad inclytos Parisienses Medicos, de causis, ob quas non adeo frequenter liberaliterque aliis in locis regionibusve sanguis detrahitur, atque Parisiis: & quibus etiam rationibus nonnulli Medici in huiusmodi sanguinis mittendi usum invecti sint.

INCLYTIS VENERANDISQVE
FACVLTATIS MEDICÆ
PARISIENSIS DOCTORIBVS.

Eruditißimi Domini,

Paucis retroactis diebus cum cuipiam natalibus illuſtri viro aßiderem, cui unus ex veſtro ordine Medicus phlebotomiam iteratò in iſchiadico dolore præſcripſerat, iſque ad eam non niſi ægrè acquieſceret, ob præconceptam de largiùs profuſiuſque à Medicis Pariſienſibus celebrata ſanguinis miſſione opinionem; ille vir illuſtris à me ſciſcitatus eſt, à me inquam, veſtræ Scholæ & dogmatum alumno, cur tam liberaliter Lutetiæ Pariſiorum ſanguis detraheretur, cum alijs in locis longè rarior ſit phlebotomiæ uſus. Illi reſponſum à me eſt, mirandum potius eſſe, quamobrem alij Medici in ſanguine mittendo ſint adeo parci & timidi, quandoquidem Medici Pariſienſes in eo exhauriendo ſunt liberaliores: cum Lutetia Pariſiorũ ſit Academiarum (quas vulgo

Vniversitates vocant) matrix & antesigna, celeberrimorum clarissimorumque totius Europæ ingeniorum sedes, in qua Medicinæ studia accuratius maiorique tum professorum, tum studiosorum sedulitate assiduitateque vigent, exquisitiori methodo doctrina Medica instituitur, gradus maiori diuturniorique disquisitione, probatione, rigore conceduntur, experientia commodiori facilitate acquiritur, praxis frequentioribus casibus & consilijs confirmatur, totius Regni illustrissima capita curantur, in qua denique innumerabilium morborum exempla subinde pronascuntur. Adeo ut potentissima ratio quæ afferri posset ad novum aliquem morem alicubi inducendum (si quid iudico) foret, si id Lutetiæ in usu esse dicatur. Responsum istud (eruditissimi Domini) apud illustrem virum multum equidem ponderis habuit. Sed quia generalior erat hæc ratio, magisque specificas ac proprias efflagitabat, à phlebotomiæ causis desumptas; subjeci, esse in Medicina remedia à primis Autoribus magnorum nomine donata, ob immensum morborum, præsertim magnorum quibus opitulantur numerum: interque illa sanguinis missioni eum esse locum, ut antiquissimi maximique Medici eam cæteris omnibus

præsidijs antepoſuerint. Verum enimvero magna iſthæc remedia, velut promptam certamque exhibent opem, cum à perito Medico administrantur: ita præsens ut plurimum exitium afferunt, si præpostere perperamque adhibeantur, morbo videlicet qui ea exigat non bene perspecto. Nullus porro in temporum notitia adeo rudis est, quem lateat, cum Imperij Romani ruina bonarum artium studia ita elanguisse, tantamque subsequentibus seculis ignaviam & barbariem regnasse, ut quarumlibet disciplinarum authores cultoresque vix ulli reperirentur, qui supra temporum illorum ruditatem se erigerent. Vnde factum est, ut Hippocrates & Galenus, in quorum monumentis totius Medicinæ splendor sublimitasque versatur, in scholis legi desierint, indeque acciderit, ut illarum ætatum Medici, quippe salutari eiusmodi doctrina non imbuti magnorum remediorum usum abdicarint, ob cautelarum in iis adhibendarum ignorationem, quæ non nisi ex divinorum illorum authorum lectione intelliguntur. Quod in causa fuit, ut à phlebotomia, inter insignia primaque remedia præstantissimo, abstinuerint, vel adeo exigua quantitate sanguinem detraxerint, ut morbo ple-

nitudinique minimè analoga esset, redacta evacuatione à Galeno sæpissimè ad sex libras celebrata, ad sex unciarum modulum. Sed à centenis vel plusculum annis cum se ingenia excitassent, litteræque primum Lutetiæ Parisiorum sub Rege Francisco I. disciplinarum parente & restauratore, emersissent, ob accersitos maximam illam in urbem præstantissimos totius Europæ, omnibusque scientiis illustrissimos viros, Hippocrate & Galeno hoc pacto in Scholam Parisiensem admissis, illius ætatis Medici horum doctrina instructi, magnorum præsidiorum iacentem usum sensim invexerunt, quem sæculorum Gothicorum negligentia & caligo proscripserant. Phlebotomia verò maximè omnium frequentata est, cum in se cõditiones omnes in summo perfectoque remedio expetitas contineat, tutò scilicet, citò & iucundè curando. Nam sola inter valida præsidia cum paucioribus opitulatur accidentibus, conceditque Medico eam ad libitum sistendi vel ampliandi, prout expedire iudicaverit. Quod ad operationis illius benignitatem attinet, nullum medicamentum est, quod minori cum dolore agat. Effectuum qui phlebotomiam excipiunt celeritas eiusmodi est, ut levamen quod Galenus per illam olim præ-

stabat, humana curatio non videretur, sed potius incantatio: ipseque non vt Medicus, sed fascinator & dæmon haberetur, adeo præsens erat subsidium in ægros inde dimanans. Ea (inquam) ratione (vir illustrissime) methodus Medicorum Parisiensium liberalius sanguinem mittentium mira videri non debet, quin protinus Galenica doctrina admirationem commoveat, quæ Lutetiæ religiosius audaciusque observatur. Quæ aliàs si ad amussim in hac materia non teneatur, in hoc certè, quod non ea quantitate qua à Galeno, sanguis auferatur. Adduci enim nequeo ut credam, ab ullo unquam Medicorum Paris. ad 22. sanguinis pelviculas una vice institutam esse phlebotomiam, ut de Galeno legitur; atque in eo, quod pueris ante 14. annum sanguis detrahatur, quod Galenus suo adhuc tempore ausus non fuerat. Verum non apud solos Medicos Parisienses, sed & apud omnes Europæ nominatos Medicos hæc methodus invaluit, ut tum ex aliorum monumentis, tum ex aliorum praxi in propatulo est. Calumniarum quæ in phlebotomiam procuduntur causa, à duobus hominum generibus. Medicorum etiam titulo sese venditantibus, proficiscitur. Quorum alij Em-

pirici nuncupantur, qui phlebotomiam damnant, quia universam Galeni doctrinam insectantur. Alij sunt Medici rationales, sed qui extra Lutetiam quavis alia disciplina potius quam Galenica imbuti sunt, ita ut de barbara praxi plurimum retinentes, quæ non nisi in levium futiliumque medicaminum farragine sita est, mirum alienumque Græcorum magnum istud præsidium reputent: vel ubi Medicos Parisienses eruditissimos, exemplo Galeni in omnibus fere morborum generibus sanguinem minuere viderint, eosque imitari studuerint, non exploratis alioquin, Galenicæ methodi ductu, horum generum peculiaribus speciebus quæ phlebotomiam exigunt, sperata ope frustrati sunt. Quod Medicis Romanis olim etiam contigit, qui cum Galenum Hydropicis, Epilepticis, Paralyticis, Apoplecticis, Arthriticis, Melancholicis, Rheumaticis sanguinem affatim detrahere animadvertissent, ipsi quoque sanguinem, sed improsperè, in quibusvis horum morborum speciebus mittebant. Illustris ille vir, eruditissimi Domini, in stuporem raptus est, cum audijt praxim illam antiquam esse, atque à Galeni doctrina desumptam. Antea enim crediderat, inventum esse nuperum,

aliquot Medicorum magni nominis Parisiensium commento inductum, qui huic præsidio famam conciliassent. Imo res nostro colloquio eò devenit, ut mihi suggesserit, operæ pretium me commissurum, reique publicæ consulturum, si palam aliquo scripto facerem, eum sanguinis detrahendi morem ab antiquis mutuatum, prorsusque eius doctrinæ conformem, cuius authoritati omnes boni Medici, velut Dei, summa fide adhærent. Quod melius commodiusque fieri non posse ratus sum, quam si publici iuris facerem libellum, quem de hoc argumento ipsemet Galenus suis operibus inseruit, quod sub vestri clarissimi nominis tutela & auspicijs aggredi audacia mihi incessit. Illud autem consilium eo alacrius susceptum à nobis est, cum in mentem subijt, iuvenem quempiam Galeni tempestate, cui ipse eiusque doctrina maxime cordi erant, tantum ad promovendam Romæ sanguinis missionem profecisse, quamplurimis exemplaribus scilicet libri à Galeno contra Erasistratios de sanguinis missione conscripti, illic sparsis, vbi solenniter de eruditis rebus disceptationes agitabantur, ut exinde Romani Medici, qui viuæ vocis Galenicæ oraculo suaderi nequiverant, illius scriptio-

nis beneficio luculentissimè instructi fuerint. Pari ratione hodierni Medici, si qui in sanguine mittendo hactenus ignavi & inertes fuerint, ob non delibatas aut non probè in scholis intellectas rationes, quæ hoc præsidium suggerunt, hac data occasione, summi huius Medicinæ dictatoris paginas contemplando, sententiam mutare poterunt. Secus, non levi illorum dedecori cessurum est, si ipsi, qui Galenicorum nomen sibi arrogant, hac in re maiorem pervicaciam, quam olim Erasistratij, qui disciplinam contrariam tuebantur, ostentarent. Fiducia etiam ducor, alios non paucos, tam Medicinæ candidatos, quam quosvis alios huiusmodi lectionis alioqui planæ beneficio, non pœnitendum fructum inde percepturos. Vobis vero, eruditissimi Domini, non minimum decus & splendorem accessurum, cui, quantum in me est, symbolam conferendam devinctum me sentio, vt

Humillimus, obsequentissimusque
discipulus vester & servus,
L. Savot.

GALENI, DE RATIONE CVRANDI PER sanguinis missionem liber.

Quæ ad phlebotomiam rite administrandam attendenda.

CAPVT I.

His qui de sanguinis missione contemplationem instituunt, una quidem & prima est speculatio, ut qui affectus corporis vacuatione egeant considerent. Dein altera, quinam ea quæ per sanguinis fit missionem. Quippe multi sunt affectus, qui alia quapiam vacuatione, non sanguinis missione indigent. Tertia post has consideratio est, ut dijudicent qui hanc vacuationem citra noxam ferre queant. Nam nonnunquam quidem affectus reperitur, qui sanguinis missionem re-

quirit, atqui ægrotans eam tolerare non poteſt: idque aut propter ætatem, aut anni tempus, aut regionis naturam, aut oris ventriculi vexationem, quod nomine abutentes ſæpe ſtomachum appellant: quemadmodum ſane nunc etiam per totum hunc librum, brevitatis gratia, hac appellatione utimur. Sed ſunt quoque qui ob univerſi corporis habitum ſanguinis miſſionem non ferunt, etſi, quod ad morbum attinet, ea maxime egent.

Quæ ubi quis definierit, ea quæ eſt de occaſione ſuccedit conſideratio, uti in alio quovis auxilio. Deinceps vero ea quæ eſt de venis quas incidere oportet. Quippe de iſtis abunde quæſitũ eſt, nihilne utique referat, quam quis incidere venam volet, quum omnes omnibus affectibus æquè proſint: an, quemadmodum Hippocrates, & probatiſſimi medicorum quique conſueverunt, plurimum interſit hanc præ illa incidere. Cæterum hac quoque conſideratione definita, ſuccedit de ſcopis ſermo, quibus videlicet animum intendens, vacuationis menſuram coniectura aſſequatur. Poſt hæc vero omnia, in quibus utique ſemel auferre præſtat, in quibus vero repetitam vocatam ablationem fieri convenit, & quos ad animi uſque defectionem vacuare, in quibus autem hanc, veluti maximum detrimentum, caute expedit. Hæc itaque conſiderare eum, qui recte hoc præſidio uti volet, neceſſe eſt.

Alios suorum operum locos indicat, ubi de sanguinis missione iam egerat. Sophistarum circa phlebotomiam cavillationes. Qui præ cæteris phlebotomiam insectati sunt. Discipulorum Erasistrati subtilitas, qui sanguinis detractionem prohibere non valentes, suadere nitebantur suum præceptorem eam in morbis omnibus probasse, in quibus dietam præscribit. Eam opinionem in opere practico esse periculosam. Cur hunc librum conscripserit, cum de hoc argumento alias egerit.

Caput II.

ET de omnibus istis in tractatione de Medendi ratione dictum est, quemadmodum & privatim adversus Erasistratum, quod ipse perperam ab hoc præsidio abstinuit. Deinde alium rursus librum conscripsimus adversus eos Erasistratæos, qui virum hunc usum esse hoc auxilio affirmant. Proinde odio digna est sceleſtorum sophistarum tum vafritia, quod quum mentiri sciant, præ studio tamen novarum rerum dolosè agunt: tum sapientiæ vanæ tractatio, quod optimarum rerum ignari, contraria verbis comminiscantur. Horum enim alterum Chrysippo Cnidio accidit, qui venæ sectionem è numero medicinalium præsidiorum prorsus sustulit. Sequuti sunt illum

discipuli Medius & Aristogenes, clari & ipsi apud Græcos. His vero magis Erasistratus ad splendidissimam evectus gloriam Chrysippi sententiam retinuit. Huius deinceps discipuli, omnes initio præceptoris dogmati insistebant, progressu autem temporis quidam horum ab eo defecerunt, pudore confusi impudentissimo. Nam quid aliud dicam in eos, qui asseverare audent Erasistratum venæ sectionis præsidium admittere, quum tamen nusquam in suis commentariis ullo in malo hoc consulere videatur? Verum consentaneum erat, inquiunt, ut ei qui inediam tanquam vacuatorium auxilium recipit, multo magis venæ sectione vacuet. Qui vero hæc dicunt, omnes venam incidendam esse in iis, quibus Erasistratus inedia præcepit uti, censent. Quum igitur ipse in libro de Febribus in morborum principiis inediam adhibendam esse tradat, sequitur hunc omnibus sanguinem mittere illo utique tempore, quemadmodum etiam ipsi loquuntur. Verum maximum id malum est, si ita faciendum artem discentibus iuvenibus persuaserint, multoque etiam peius, si non alia quoque quæ definire convenit, consideraverint. Quapropter alio in libro ea exponere coactus sum, ac iuvenibus demonstrare, Erasistratum nequaquam venæ sectione usum: præstat enim hoc credere, quam omnibus quibus ille uti inedia præcepit ordine incidere venam, maximumque ægrotanti-

bus ex hoc præsidio commodum fieri, si quis eo rectè utatur. Non igitur, mea quidem sententia, aliud quicquam me de venæ sectione scribere oportuit, quod scilicet huius auxilij usus in opere de Medendi ratione sit expositus, quemadmodum etiam in libris de Tuenda sanitate. In duobus vero libellis, quorum alter adversus Erasistratum inscriptus est, alter contra Erasistratæos Romæ agentes, ea quæ ille non rectè est opinatus à me sunt demonstrata. Verum cum crebrò à me multi amici Medici, quos piget, ut mihi videtur, Medendi libros perlegere, efflagitarent, coactus tandem sum ad præsentem explicationem redire, ne scilicet invidere illis videar, ac subinde conveniente ordine omnia de hoc præsidio narrare. Atque iam quidem tempestivum est ordiri sermonem.

Affectus vocabuli significatio explicatur, quove sensu in hac tractatione usurpatur. Primum affectus qui evacuationem in genere exigunt demonstraturum se, deinde eos qui speciatim phlebotomia indigent. Viæ mediaque, quæ omnes homines in ratiocinando observant. Secuturum se Mathematicorum methodum, pluribus suppositis iam declaratis ad sequentem demonstrationem. Illud vero quod supponetur, maximè necessarium scitu est ad sequentem orationem capiendam.

Caput III.

Affectus quidem vox, quemadmodum alibi quoque nobis dictum est, ab affici verbo deducta, similiterque de multis effertur rebus. Verum nunc mutationes in habitum præter naturam, qualescunque fuerint, affectus per universum hunc librum nominamus. Quæremus autem primo quot, qualesque sint affectus vacuationem poscentes; dein vero quinam illorum venæ sectionem postulent. Quum autem omnia, quæ in quæstionem veniunt, duo inventionis instrumenta obtineant, nempe rationem & experientiam, idque in omnibus artibus, nec minus per universam vitam, necessarium esse puto, & nunc aut sola ratione, aut sola experientia, aut utrisque, ea quæ proposita sunt invenire. Quoniam vero ratio ipsa partim ex communibus duntaxat notionibus incipiens invenit & demonstrat: partim autem & ijs quæ ex illis inventa sunt ad demonstrationem utitur, utraque ratione omnes uti artes nobis demonstratum est. Et nos quidem in præsentia utra earum utilis reperitur, illam deligemus. Priore quidem ratione omnes per universam vitam homines utuntur, altera vero non omnes, ad artifices enim tantum pertinet. Nam Geometra primum suæ artis theorema per solam priorem rationem demonstrat. Deinde in secundo non sola priore utitur, sed ad de-

monstrationem eius, quod ex primo probatum est, coassumit. Quanto autem plus à primo theoremate recedit, tanto etiam magis à prima ratione discedit, ac postremo quidem pauciſſimis utitur, per ea quæ demonstrata sunt alia demonstrans, & per illa rursus alia, & deinceps iterum per illa alia, ut tandem demonstratio eorum ad ea quæ plebeijs incredibilia sunt, progrediatur: Solis nimirum, Lunæ & Terræ non solum magnitudinis, sed & distantiæ cognitionem. Ex quibus utique inventis horologia constituunt, & clepsydras, qui hac via incedentes, Solis Lunæque deliquia prædicunt. Pari ratione nostra quoque arte procedens oratio multis quæ in aliis operibus demonstrata sunt utetur, ut quod aliquæ sint facultates quæ animantia gubernant, quarum alias naturales, alias animales nominant. Cæterum principia generationis in omnibus rebus materiam habent quatuor elementa, quæ tota invicem misceri, & mutuo inter se agere consueverunt. Quapropter nullam Asclepiadis mentionem in hoc libro faciemus, ut cuius elementa esse falsa in decimo tertio de Demonstratione commentario, & in opere de Placitis Asclepiadis, in quo quintus & sextus liber elementorũ eius confutationem habet, ostendimus. Demonstratum vero & in commentario de Elementis Hippocratis, de effectricibus qualitatibus, quarum nomina, caliditas, frigiditas, humiditas, siccitas,

& de humorum tum differentia, tum generatione. Dicta quoque sunt de medicamentis singulos humores purgantibus, pauca quædam in libro de Elementis, & singulatim in alio commentario. Vtilis etiam ad præsentem sermonem tractatio de Temperamentis, quæ eam quæ est de Elementis sequitur. Omnium vero maximè liber de Plenitudine, in quo monstratum est duplicem esse plenitudinem, unam quidem ad vires, alteram vero ad vasorum, in quibus hæc continetur, amplitudinem. Vocatur autem hæc plenitudo à Medicis Græcis κατὰ τὸ ἔγχυμα, id est ex infusione. Optimum est igitur, ut ij qui scienter scrutari ea quæ in hoc libro dicuntur volent, de plenitudine librum perlegerint. Quæ vero ille antea esse perlecta requirit, ipse iudicabit. Nemo vero miretur, si tot opus sit nobis ut rectè de venæ sectione consideremus. Non enim ad huius modo præsidij inventionem, sed ad aliorum etiam omnium necessaria est iam comprehensorum cognitio. Proinde si citra illorum notitiam rectè curare liceret, haud tam accuratè ea prosequeremur. Hæc itaque præfari necesse fuit.

Considerationem affectuum qui evacuatione indigent aggreditur. Quibus rationibus earum omnium quibus evacuatio opus est, numerus invenitur. Munus Medici quæ

præcedere debeant. In quo consistat sanitas. De duobus plenitudinis generibus, quæ evacuationem postulant. De indiciis utramque demonstrantibus. In una corporis parte nonnunquam perinde contingere, atque in toto corpore. In utroque repletionis genere sanguinis missionem non esse absolute necessariam.

Caput IV.

Cæterum iam tempus est ordiri sermonem, considerando quot sint affectus qui vacuatione indigent. Si igitur eos quispiam experientia collectos recenseat, sola ad enarrationem opus est memoria. Quod si vero rationali via, commune & universum inveniat genus necesse est. Ex illius deinde in species & differentias sectione usque ad extremas species, numerum affectuum, qui evacuationem indicant, investigare oportet. Sic enim constare omnia quæ per viam ratione utenteminveniuntur, demonstravimus. Quum itaque medicæ artis officium sit, omnium partium corporis quæ secundum naturam sunt actiones, si quidem pereunt, recuperare: tueri autem, ubi salvæ fuerint, hæque constitutionem naturalem sequantur: hanc quidem præsentem tueri, intereuntem vero recuperare necesse est. Postquam igitur demonstratum est, primarias actiones à similaribus corporibus perfici, ab instrumentariis vero secundarias, con-

siderandum erit tibi, quam utilitatem aut noxam humores qui in corpore continentur partibus eius afferant. Quum itaque in libro de Plenitudine ostensum sit bifariam fieri & dici multitudinem, uno quidem significato ad vires, altero vero ad amplitudinem vasorum humores continentium, quam nonnulli κατὰ τὸ ἔγχυμα, hoc est ex infusione nominant: utrique vacuatione opus est, sive in ægrotante homine, sive sano evenerint. Quemadmodum enim qui onus gestat non protinus ubi gravatur ac fatigatur, iam concidit & victus ab eo est: ad eundem modum ubi virtus à plenitudine gravatur, fieri potest ut nondum ægrotet homo. Siquidem nonnulli qui consueta etiamnum munia obeunt, sentire se graves, pigros, segnes, & ægrè mobiles dicunt, ea ipsa est plenitudo ad vires: veluti etiam quum ab exercitiis tendi videntur, ut Erasistratus dixit, implentur brachia & cubitus: haud exigua est alterius plenitudinis, quam κατὰ τὸ ἔγχυμα, hoc est ex infusione vocari dixi, eo quod ex humoribus in vasa infusis consistit & intelligitur, nota. Dictum vero est in libris de sanitate tuenda, ubi in universo corpore fit ulceris sensus, potissimum vero per motiones ipsas, hunc affectum vitiosi humoris esse sobolem. Attamen hoc ipsum non paucis etiam dum consuetas obeuntibus actiones accidere apparet. Interdum etiam in partibus quibusdam corporis, non in universa eius mole,

signa conspiciuntur illis in partibus consistentium affectuum, similium ijs quales utique in toto corpore consistere diximus. Quippe caput aliquando solum gravari, aut ulceris quendam sensum habere, vel temporum musculos tendi, idque simpliciter, aut cum plurimo calore. Sic etiam in iecore, liene, ventriculo, costis & transverso septo gravitatem sæpenumero sentimus. Pari ratione in ore ventriculi aut gravitatem, aut morsum, aut nauseam, aut ciborum fastidium, aut absurdam appetentiam percipimus. Ad hæc fixi in parte aliqua dolores, idque aut propter humorum confertim ingruentem multitudinem, aut flatuosum ob spiritum, vacuationem indicant, perinde atque ij dolores, qui ob acrem humorem partem exedentem rodentemque excitantur. Sunt verò nonnulli qui ab intemperie nascuntur, & horum ipsorum quidem alij à nuda citra humores intemperie, alij verò cum humoribus. In omnibus itaque iam dictis, infestantium humorum, aut vaporum vacuationes, hominem à malis liberant. Non tamen omnino venæ sectione opus est, sed sufficit etiam purgatio, fricatio, balneum, & inunctio discutientis alicuius medicamenti. Qui igitur sint affectus quos sanguinis missio iuvat, deinceps dicantur.

Cui usui sit sanguis. Collatio sanguinis cum ligno, caloriſque vitalis cum calore externo. Quomodo calor vel frigus præter naturam in corpore generentur. Quas alterationes in eo inducant. Succi quomodo calidi vel frigidi evadant. Pravæ concoctionis signa, & quæ inde prodeant incommoda. Causæ alimenti corruptelæ in distributione sanguinem ubi putrefit calidiorem quam prius fieri. Quomodo febris ex huiusmodi putredine excitetur. Alij affectus ex sanguine profecti, quum, antequam putrescat, affatim in aliquam partem decumbit. Quicquid præmissum est, hypothesim esse ad deinceps dicenda. Quamprimum in utraque repletione, cuius meminit, sanguinem mittendum esse. Signa se non expositurum ad utramque illam repletionem dignoscendam, nec curandi modum. Hunc sermonem non nisi ab amicis inductum conscripsisse.

Caput V.

NOn solum partes animantis ex sanguine aluntur, sed & nativus calor mansionem ex sanguine obtinet, perinde atque ignis qui in foro est ex lignis ad ardendum idoneis, à quo totas ædes calefactas conspicimus. Quemadmodum igitur ignis ille offenditur, interim quidem ei iniectis lignis,

interim vero tametsi non multis, tamen admodum humidis, nonnunquam autem omnino non impositis, aut prorsus exiguis: sic calor qui in corde existit vel propter sanguinis copiam, vel propter multam indigentiam, vel ob qualitatem frigidam seipso minor efficitur. Interim vero maior, aut propter calidam sanguinis qualitatem, aut ob exiguum defectum. Quicquid autem cor per caliditatem, vel frigiditatem patitur, huius etiam confestim aliæ partes corporis participes fiunt.

Fit autem & una aliqua in parte nonnunquam præter naturam tum caliditas, tum frigiditas, quemadmodum sæpius à nobis in aliis commentariis est demonstratum. Harum vero generatio bifariam accidit, interim propter humores calidos, aut frigidos, interim etiam ob solam intemperiem. Cæterum particulares caliditates & frigiditates, quæcunque parti malè affectæ vicina sunt simul alterant, in totum verò corpus, priusquam cor alterent, haud extenduntur. Eundem in modum & corpus cordis duplici ratione alterari ostensum est, vel per intemperiem, vel ob calidos, aut frigidos humores, vel propter alicuius horum indigentiam.

Porro humores calidos frigidosque fieri demonstratum est propter eorum quæ comeduntur & bibuntur quantitatem, & ob plurimam animi corporisque tum motio-

nem, tum quietem. Quemadmodum autem in ventriculo pravæ concoctiones frequenter eveniunt, ijs quæ assumpta sunt pituitosis aut bilioſis effectis, aliamve quandam præter naturam corruptionem perpessis, aut crudis, & alterationis expertibus multo tempore manentibus, & in flatum versis: ita etiam ubi sanguinis procreatione defraudamur, humorum in arteriis venisque affectus proportione ijs quæ à frustrata in ventriculo concoctione fiunt, respondebunt. Quoniam verò calida & humida omnia facillimè putrescere apparent, potissimum quando in calidis continentur locis, necesse erit alimentum quod ex ventriculo distribuitur, ubi à natura non vincitur, inque sanguinem bonum haud mutatur, aliàs aliam perpeti putredinem. Atqui quum quæ ex calida materia putrescunt, calidiora fieri contingat, calidior proinde erit pars in qua putrescit. Quoniam verò à sensibiliter calidis quæ vicina sunt unà incalescunt, sic utique affectis partibus quæ circumquaque sunt omnia una incalescent, idque mordaci & acri calore. Eiusmodi enim est qui à putredine proficiscitur. Si igitur pars quæ ita incaluit effatu digna fuerit, caloremque suum ad cor usque protendere valuerit, idque vel quod vicina sit, vel quod princeps, vel quod calida, unà quoque ipsum accendet, utpote natura calidissimum. Quod si vero semel illud accensum fuerit, prompte iam totũ ipsius corpus

simul incalescet; perinde atque à foco aliquo ingentem flammam habente quæ illum continet domus. Vocant autem id malum corporis febrem. Verum interdum priusquam sanguinis multitudo putrescere incipiat, in partem aliquam confertim decumbens aut prorsus eam extinxit, ut actio aboleretur; aut non contemnendam noxam acciperet. Siquidem ad hunc modum apoplexiæ fiunt, multo nimirum sanguine in principium animantis confertim irruente. Proinde ubi in aliam partem cum impetu ruit, tumorem in ea præter naturam efficit. Ex hoc genere est phlegmone. Vbi vero crassior magisque melancholicus fuerit sanguis eò decumbens, durus fit tumor: sicuti ubi pituitosior fuerit fluxio, laxus. Biliosa vero existente fluxione, erysipelas efficitur. Sed hæc omnia exquisitè discriminata habes in ijs quæ modo diximus operibus.

Verum nunc, ut dixi, ea quæ demonstrata sunt hypothesium loco in hoc libro assumens, congruenter illis sermonem de sanguinis missione demonstro. Quum itaque plenitudo sit duplex (optimum enim est ab ea auspicari) & ea quæ vires prægravat, in putredinem promptè incidat, & nonnunquam etiam in partes quasdam impetu aliquo decumbat, inibique tumores præter naturam efficiat: altera vero quæ ad vasa nominatur sæpe in partes ingruat, ac tumores excitet, imo & apoplexias, venarumque

ruptiones moliatur, eam protinus vacuare tentandum est, priusquam magnum aliquod malum in homine creet. Atqui plenissime quo pacto utraque mala & dignoscere, & sanare oporteat, in tractatione de sanitate tuenda dictum est. Sicuti ubi febris, vel sanguinis reiectio propter plenitudinem, vel apoplecticorum morborum aliquis invaserit, quomodo & illis mederi conveniat, in Medendi ratione ostensum est: ideoque hoc scriptum supervacaneum esse censeo. Nam si perinde atque in illis libris scripsi, & hic scribam, bis eadem de re differere cogar, & propterea sermonem admodum producere. Si vero in compendium librum hunc contraham, duorum alterum accidere periculum erit, ut vel obscurius aliquid, ob brevitatem, dicam, vel distinctionem aliquam utilem prætermeam. Sed cum non meo consilio hunc librum aggressus sim, si quod iam dictorum in eo delictum occurrat, illi culpam ferent, qui ut onus hoc susciperem authores fuerunt: sicuti si rectè eveniat, utilisque appareat, laudem illis omnem concedo.

Qui sint quibus sanguis detrahendus. Quarum rerum ratio habenda ante phlebotomiam. Ratio quantitatem qualitatemve repletionis dignoscendi. Quibus indicijs trium facultatum robur eluceſcat. Signa primaria phlebotomiæ.

phlebotomiæ necessitatem vel secus indicantia. In repletione quæ est cum gravitate non semper esse sanguinem demendum. Incommoda ex perperam celebrata venæ sectione in hniusmodi plenitudine. Quo pacto isthæc repletio curanda. Remedia calidiora esse formidanda, & cur.

CAPVT VI.

HOc igitur deinceps orationis sit exordium. Quibus utique dum consueta adhuc obeunt munia, aut pars aliqua princeps, aut universum corpus gravatur, vel tenditur, ijs quidem necessaria est vacuatio. Si vero ætate nec pueri adhuc fuerint, nec senes, de sanguinis missione consilium inito, primos hosce maximè scopos intuens, nempe plenitudinis tum quantitatem, tum qualitatem, & virium robur aut imbecillitatem, deinde naturalem universi corporis habitum, tempusque & regionem victumque præcedentem, num scilicet qui sic affectus est plurimis cibis & potionibus, & præsertim multum nutrientibus, usus sit. Ad hæc consueta & inconsueta, quos motus exercuerit, quasque excretiones habuerit, aut præter consuetudinem retentæ sint, ad omnia vero hæc num graciliot, aut crassior evaserit.

Cæterum utriusque plenitudinis quantitas ē propriorum signorum magnitudine

definietur. Quanto enim gravior sibi homo videtur esse, tantum etiam plenitudinem ad vires auctam esse manifestum est. Ad eundem modum, quantum tensionis sensus augetur, tantum etiam altera plenitudo, quam à nonnullis κατὰ τὸ ἔγχυμα vocari dixi, aucta erit. Verum utriusque plenitudinis qualitatem partim è colore dignosces, memor colorem humorum esse, si quidem universum corpus in calore & frigore externo mediocriter se habeat, partim ex ijs quæ humorum naturæ insunt. Frigidiores namque frigidior totius corporis sensus sequitur, calidiores autem calidior, & eos quidem qui in venis coacervantur humores, tumor & tensio vasorum: qui vero in carne sunt, eos sensus aut gravitatis, aut tensionis, sicuti etiam caloris in illa comitatur. Porro gubernantium nos facultatum imbecillitatem & robur propriis indicari functionibus monstratum est: voluntariis quidem, ea quæ in nervis, & horum principio cerebro est facultas: ijs vero quæ per pulsus fiunt, ea quæ in arteriis & corde. Verum per bonam & prorsus abolitam nutritionem, tum colorem bonum & vitiosum, tertia facultas, nutrix nimirum, quam ex iecore proficisci demonstravi, dignotionem sortita est.

Vbi igitur præsentibus plenitudinis signis facultates robustæ fierint, sanguinem mittes, videlicet in affectu tensionis nulla adhibita distinctione, magisque etiam in phleg-

monoso. Si vero degravans plenitudo infestat, non semper sanguis detrahendus est. Fieri enim potest ut crudus per corpus sit coacervatus humor. In quo exquisitè attendere oportet quantum valeat virtus, & quantum ipsius humoris sit genitum. Quippe prius exoluta ab eiusmodi affectibus virtus, per sanguinis missionem in extremum malum recidere solet, ut nequaquam ipsa postea reparari queat. Quod si factũ fuerit, periculum haud leve sequitur, præsertim si æstiva constitutione stomacho malè habente febris accesserit, aut universo corpore natura molli, & temperamẽto humido existente. Hi enim promptè discutiuntur, celerrimeq; animi deliquium incidunt, etiamsi magna febris haud accedit. Si vero horum nihil fuerit, cæterum hyems, vel regio natura frigida sit, aut hominis natura frigidior, ijs per sanguinis missionem & totum corpus refrigeratur, & accidunt nonnulla quæ ad vehementẽ refrigerationẽ sequuntur symptomata. Qui sic affecti sunt, hos sanguinis missione vacuare non convenit; sed frictionibus, & mediocriter calefacientibus unctionibus, potionibusque crassitudinem humorum incidentibus, ac mediocriter calefacientibus. Quæ enim valenter calefaciunt, confertim admodum vires noxam contraxerint. Quapropter tum ciborum, tum potionum humorum crassitudinem incidentium calefaciendi facultas mediocris esto.

Quibusnam sanguis detrahendus: quive purgandi præcautionis ergò vere ineunte. Succorum coacervatorum qualitatem attendendam. Moderata post curationem diæta utendum esse. Medicum non multum prodesse victu intemperato utentibus, eosque ideo non curandos.

Caput VII.

Si qui sanguinem excrearunt brevi admodum curati sunt tempore, cæterum eam nunc in partibus thoracis & pulmonis sortiuntur constitutionem, ut si paululo plus coacervent sanguinis, rursus vel vasis alicuius osculum reseretur, aut rumpatur: ijs etsi nullum in corpore etiamnum symptoma est, initio veris sanguinem mittere oportet. Similiter & ijs qui facilè in comitialem morbum incidunt, aut apoplexiam. Ad eundem modum si reliquorum morborum alicui obnoxium esse hominem perspectum habuerimus, verbi gratia, aut peripneumoniæ, aut pleuritidi, aut anginæ: committendum non est ut expectemus dum evidens aliquod plenitudinis symptoma appareat, sed antevertere sanguinis missione præstat. Pari ratione etiam quibus hæmorrhoides suppressæ sunt, maximè ubi natura magis melancholici fuerint. Et qui singulis annis æstate plenitudi-

nis morbis laborant, etiam hos ineunte vere vacuare oportet. Eodem modo & eos qui vere ipso morbis eiusmodi capiuntur. Sunt vero nonnulli oculis imbecillioribus, aut vertiginosis obnoxij malis, qui & ipsi veris initio vacuari postulant.

Prius autem à nobis considerandum est quale sit hoc quod coacervatur. Siquidem nonnulli amaræ bilis humorem plus cæteris acervant, alij melancholicũ aut pituitosum, alij ex æquo omnes, in quibus sanguis redundare dicitur. Hos igitur omnes vacuabis, quemadmodum etiam podagricos & articulorum dolore conflictatos, veris initio, dato nimirum aut medicamento purgante, aut misso sanguine. Equidem complures qui tribus aut quatuor annis per intervalla pedum doloribus molestati sunt, ego sanavi, aut redundante humore veris initio purgato, aut sanguine detracto. Manifestum autem est quod tales in universa ratione victus moderati sunt. Proinde incontinentes, ebriosque ac gulæ deditos neque purgatione, neque sanguinis missione magnopere iuvabis. Nam per victus intemperantiam crudorum humorum multitudinem celeriter coacervant. Verum ut hos cures ne studere quidem oportet. Vbi autem obediunt, summopere eos iuvabis, si veris initio primum quidem vacuans, deinceps ad exercitia, victusque rationem salubrem perducas. Cæterum quæ de istis dixi, hæc tibi de omnibus

qui prædictis paulo antè malis, nempe comitiali morbo, apoplexia, vertigine, sanguinis spuitione, aut melancholia capi apti sunt, dictum esse putato.

Sanguinem esse detrahendum, tametsi non adsit plenitudo. Quo pacto fluxiones affectusque rheumatici creentur. In quas potissimu partes fluxiones decumbant. Quanã partes ut plurimum sint imbecilliores. Affectuum rheumaticorum curationem à sanguinis detractione auspicandam esse. In ys neutrius plenitudinis signa expectanda esse. Vulnerum & phlegmonarum curationi phlebotomiam vel purgationem esse præmittendam.

Caput VIII.

NOn solum autem ubi adest plenitudo, vel ad vires, vel ad vasorum humores continentium capacitatem, dicta missio sanguinis plurimum iuvat. Sed & citra plenitudinem incipiente phlegmone aut propter ictum, aut dolorem, aut partium imbecillitatem. Quippe dolor ipse sanguinem ad inflammationis locum trahit: & multoties partium imbecillitas inflammationem citra totius corporis plenitudinem excitat. Demonstratum enim est in commentariis de Naturalibus facultatibus, imbecillam natura partem prompte gravari, ubi vel paulo

plus excrementi in ea coacervetur. Quin etiam quod quælibet pars facultatem ut familiarium attractricem, ita etiam alienorum excretricem obtineat. Tum quod duplex sit alienum, alterum quantitate, alterum qualitate. Proinde etsi pars aliqua ab humoribus in se contentis non gravatur, tamen, quia excrementa quædam in qualitate præter naturam habet, ad eorundem excretionem per venas quæ in ea sunt; tanquam per canales, excitari. Cæterum si quod propulsatur pravus fuerit sanguis, aut alius humor, ut ad aliquam propinquã veniat partem necesse est. In ea alterum duorum eveniet, ut aut concoctus, aut per halitum digestus in aliam tertiam haud transfluet: aut si neutrum prædictorum assequatur, denuo ex secunda parte in aliam confluat, deinceps ex illa rursus in aliam, & idipsum non desinet fieri, quoad in talem quampiam decumbat, quæ amplius quod in ea redundat in aliam propellere nequeat. Accidit vero hoc ipsum illis partibus, quæ facultatem excretricem vicinis omnibus imbecilliorem habent. Siquidem non iam in illas quæ propter robur quod obtinent haud assumunt, id quod molestat propellere valent. Demonstratum enim à nobis hoc quoque in illis est commentariis, quod quælibet pars non solum quod supervacuum est in vicinam protrudat: verum etiam quod suscipiat, sæpe vero contra remittat & propellat, in se haud assu-

mens. Atque in hoc certamine validior vincit. Quapropter partes omnium imbecilliores excrementitiis morbis primæ capiuntur. Hac quapiam ratione è fluxione natos affectus fieri scito, universo videlicet corpore imbecillo existente, quæ una aliqua est mali habitus species: principibus illius partibus, etiamsi paucus in ipsis est sanguis, gravari solitis, eumque ad carnosas iuxta cutem partes protrudentibus, magisque ad glandulas excipiendo supervacuo idoneas, tum propter substantiæ laxitatem, tum quia inter alias partes infirmissimas habeant facultates naturales, quemadmodum etiam pinguedo. Nam quum quatuor eæ sint, ut ostensum est, prima quidem attractrix, altera retentrix, tertia excretrix, & quarta alteratrix, alias quidem tres imbecillimas glandulæ carnesque obtinent: alteratricem vero solam haud ita multo cæteris partibus minorem. Post glandulas pulmo fluxioni recipiendæ promptissimus est. Nam & hic tres facultates imbecillas obtinet, & corpus laxum. Deinceps lien. Cerebrum autem perinde ut illæ, aut etiam plus excipiendo fluxui est habile. Cæterum hoc illis meliore est conditione, quod constructionem habet excrementis ijs quæ suscipit promptam. Magnos enim ventriculos obtinet, qui pronis meatibus vacuantur. Quibus igitur pulmo, lien ac cerebrum carnoso genere natura robustiora sunt, in ijs ad glandulas & carnes fluxiones

perveniunt, ubi nimirum universus corporis habitus imbecillus fuerit, sicut in affectibus è fluxione natis accidit. Meritò itaque curationis horum scopus est non quidem vacuatio, sed totius corporis roboratio: quanquam curationis initium in iis à sanguinis missione sit. Si vero excrementa prava etiam qualitate sunt prædita, purgationem quoque adhibemus. In quibus maximè corporibus neutrius plenitudinis proprium symptoma expectare oportet, gravitatem quidem eius quæ ad vires dicitur, tensionem verò eius quæ ad vasa. Pari ratione in iis quibus aliqua pars graviter icta est, sive aliter quomodocunque incipientē obtinet phlegmonem, ubi magnam ipsam fore suspicamur, curationem à vacuatione ordimur, aut purgantes, aut venam incidentes, prout alteram altera magis convenire vacuationem iudicamus.

Quando incidenda vena. Plenitudinem phlebotomiæ non esse primum scopum, sed morbi magnitudinem. Primarios scopos esse morbi magnitudinem & vires. Sanguinem etiam detrahendum ante morbi adventum. Quo pacto intelligendum quod de ætate dictum est. Crudorum humorum copiam phlebotomiam non prohibere, nisi quatenus indicat virium debilitatem. Omnia alia signa, præter tres scopos de quibus egit; non alio spectare, quam

ad indicandum quantum sanguinis sit detrahendum, non autem vtrum detrahendus sit sanguis.

Caput IX.

REcte igitur in iis quæ de victu acutorum morborum proposita & disputata sunt admonemur, ut sanguinem mittamus, ubi magnus fuerit morbus, & æger florentis ætatis, illique robur aderit. Perperã quoque Menodotus in sola syndrome plethorica vocata venæ sectionem obseruari tradit. Contra enim in universum sanguinis mittendi scopi plenitudinem in se primo haud complectuntur, sed suspicionem eius quod adhuc sit mali. Nam si magnum fore appareat, sanguinem mittemus, etiamsi nulla plenitudinis nota adest, ætatem, regionem & vires considerantes, quæ sola etiam in iis quæ de victu acutorum disputantur dicta esse conspiciuntur. Vigentes enim ætate, propter pueros & senes, ad distinctã explicationem assumpsit. Primi autem & maxime proprij sanguinis mittendi scopi sunt, morbi magnitudo, & robur laborantis. Et hanc primam esse syndromen dicere oportet, haud plethoricam, in qua sanguinis missio obseruata sit: quippe in illa & hæc comprehenditur, ut quæ morbi magnitudinem adaugeat. Non solum enim ubi iam adsit morbus magnus, sanguinis mittendi occasio est, sed & ubi fu-

turum esse suspicio est. Doctrina enim quam Hippocrates tradidit antevertit, docens nos quæcunque præsentibus iam morbis rectè faceremus, melius esse vt hæc incipientibus ipsis, aut iam imminentibus antevertendo faciamus. Proinde & prædictos scopos ad sanos transferre licet. Siquidem & iis sanguinem mittes, ubi magno aliquo capi morbo suspicio est: ætatis tamen & roboris habita ratione: Nam si quis ut magnum incurrat morbum habilis sit, etiamsi nullum adhuc in corpore symptoma apparet, sanguinem tamen mittendum censemus. Satis est enim ætatem una cum viribus considerasse. Tria itaque sunt, quæ dignotionem continent, morbi magnitudo, aut præsens, aut imminens, ætas vigens & virium robur.

Verum negligentius fortè in iis quæ in libro de Victus ratione acutorum proposita sunt, sola particula ætatis exposita esse videbitur Neque enim vigentium ætatem solum dixisse recte se habet, sed & eam quæ hanc præcedit, & quæ illam sequitur, vt scilicet duæ tantum distinctione ipsa, nempe puerorum & senum, exemptæ sint. Sed senum ætas in verbo virium complecti potest: nulli enim qui in ea ætate est constitutus, robur ineſt. Quibusdam vero Medicis, ne pueris quidem robur ineſſe visum est, sed malè rem intelligentibus, ut alibi à nobis est demonstratum. Sanguinem itaque mittemus, ubi magnum fore morbum suspicabimur, aut

præsentem iam intuebimur, aut incipientem, robur virium considerantes, pueris tantum ex oratione exemptis. Dicimus etiam minus perfectæ dignotionis quæ ab ætate fit ab eo qui proposita libri de Victus ratione scripsit, mentionem factam fuisse. Sufficiunt enim ad mittendum sanguinem hi soli scopi. Neque enim ubi copia crudorum humorum tanta est coacervata, ut sanguinis missionem prohibeat: sermo redarguitur, quippe virium robur istis non adest. Estque ipsa hæc nota quod illi sanguinis missionem perferre haud queant, quando vnà cum colore totius corporis qui tum accidit, sanguinem redundare significante, pulsus fuerit in vehementia & magnitudine inæqualis, per eius inæqualitatem superantibus debilibus & parvis.

Tribus itaque scopis mittendi sanguinis definitis, magnitudine nimirum morbi, aut præsente, aut imminente, aut incipiente, vigente ætate, & robore virium, extra puerorum ætatem, ad alias prædictas mittendi sanguinis notas, quas non pauci medicorum adiecerunt, accedamus, qui quantitatem quidem detractionis, non ipsam sanguinis missionem simul indicarunt. Proinde è morbo, ætate & viribus quod mittendus sit sanguis cognoscitur: quantitas autem vacuationis, non solum existis, sed & aliis deprehenditur. Hæc vero sunt plethorica vocata syndrome, ambientis nos aëris temperatura,

in tempus & regionem divisa, & quæ in anteacta vita circa ciborum tum qualitatē, tum quantitatem acciderunt, excretiones item ac motiones aut factas, aut non factas.

Sanguinem præcautionis gratia mittendum esse, vt ipsemet Galenus præstitit, & in quibus. In victu temperantes, bene habitos, nec morbis qui sanguinis detractione opus habuerint laborantes, quavis alia evacuatione curari posse, modo eorum sanguis non sit crassior. Humores crudos in febre non esse vacuandos. Signa ad humorum cruditatem dignoscendam. Audacter ijs sanguinem esse mittendum, quibus hæmorrhoïdes suppressæ sunt, tametsi magno aliquo morbo non teneantur, maxime si pravam pectoris conformationem sortiti sint. Phlebotomiam etiam vel scarificationem in mulieribus menstruorum suppressione laborantibus celebrandam esse. Vacuationem eo fine semper è cruribus esse peragendam. Scarificationem albidis & obesis, phlebotomiam vero nigricantibus & gracilibus magis esse consentaneam.

Caput X.

DE differentia quidem illorum paulo post videbimus, de utriusque autem plenitudinis notis in præsentiarum contemplabimur, num mittendus omnino sanguis sit quando hæ in homine solita adhuc obeū-

te negotia apparuerint, aut necessarium non sit ubi nulla magni morbi fuerit suspicio. Porro quid hac de re sentiam, vobis perspectum est, ut qui sæpe adfueritis mihi sanguinis missionem suadenti aut podagricis, aut arthriticis, aut comitiali morbo obnoxiis, aut melancholicis, aut iis qui sanguinem antea expuissent, aut iis qui crebro corripi solent angina, vel peripneumonia, vel pleuritide, vel hepatitide, vel vehementi ophthalmia, vel ut summatim dicam, magno quopiam morbo. Quippe in iis omnibus sanguinis missionem necessarium esse præsidium arbitror, confestim adhibitum post habitam virium & ætatis rationem. Hæc si aliquando non dicantur, subaudire tamen oportet. Verum iis qui nihil tale antea perpessi sunt, omniumque corporis partium inculpatam habent constitutionem, geminam me viam vacuationis proponere nostis. Per sanguinis quidem missionem, si in victus ratione fuerint intemperantes: citra hanc, si temperantes, licet enim & frictione multa, & balneis, & ambulationibus, aliisque motibus, adhæc unctionibus discutientibus, celeriter plenitudinem vacuare, modo tibi haud videatur nonnunquam crassi sanguinis esse redundantia. Talis est maximè melancholicus ut plurimum sanguis: raro vero crudorum vocatorum humorum. Atqui in melancholica nominata redundantia sanguinem mittere præstat, aut omnino medicamento nigros

humores purgante uti. Crudis autem humoribus redundantibus, antequam ægrotare inceperint, cautè vacuabis. Vbi vero iam febricitant, ut antea dixi, nequaquam. Cæterum eorundem notam habebis tum plumbeum colorem, aut ex pallido album, omniaque magis quam rubrum, & pulsuum inæqualitatem. Si vero admodum creverit eiusmodi plenitudo, etiam gravitas illis adest, & ad motus pigritia, mentisque tarditas & sensuum hebetudo. Contra verò quibus ex retentis hæmorrhoidibus coacervatus sanguis fuerit, iis audacter sanguinem mittes, etiamsi antea magnum morbum experti non sunt: fieri enim potest, ut apti sint ad eiusmodi aliquem, cæterum propter hæmorrhoidum vacuationem nondum perpessi. Quod si vero illorum partes pravam sortitę sunt structuram, potissimum quæ in thorace sunt, omnino eis celeriter sanguinem mittes.

Idem me sentire nostis etiam de mulieribus quibus menstrua est suppressa purgatio. Neque enim in iis prorogare vacuationem oportet, quanquam venam incidere non est necesse. Nam malleolorum scarificationes ad vacuandum supervacuum sufficere possunt, quæ & aliud habent commodum, nempe quod mensium motum concitant, quemadmodum etiam in malleolis & poplitibus sectæ venæ. Quippe plenitudines à retentis menstruis natas, ex cruribus omnino vacua-

bis, sive venam incidere, sive scarificare oporteat. Sanguinis enim ex gibbero missio, purgationes muliebres revellere consuevit. Cæterum quæ inter mulieres candidiores sunt, hæ sanguinem magis tenuem coacervare solent: quapropter malleolorum scarificationibus maximè iuvantur. At quæ nigriores sunt, secta vena curato: crassiorem enim & magis melancholicum sanguinem congregant. Idque magis etiam si magnas habuerint venas. Hoc autem gracilioribus & nigrioribus accidit. Obesis vero & candidis, exiguæ sunt venæ. In iis quidem malleolos scarificare præstat, quam venam incidere. Nam venas in cruribus hæ exiguas habent. Proinde si etiam probe incidantur, mediocris tamen non profluit sanguis.

ANNOTATIO
in caput X.

INgenuè profiteor, Galenum in omnibus ingenij monimentis admiratione esse dignissimum, tum ob insignem perspicuitatem quæ in illius propositionibus eluceſcit, potißimum in hoc capite, tum ob egregia præcepta, quæ brevi perstringit oratione, quaque ad complurium morborum curationem & præcautionem usui esse posint, phlebotomiæ præsidio usurpato, cuiusmodi sunt arthritis, epilepsia, hæmoptysis seu sanguinis sputum, aliique qui nonnisi ab impura

pura humorum plenitudine proficiscuntur, qui in aliquo corporis loco cumulantur, unde postea in partes decumbunt imbecilliores, ubi graves creant morbos. Quibus curandis præcavendisque auxilium tutissimum phlebotomia est, maturè totiesque administrata, quoties sanguinis redundantia postulat, & Medicus ordinarius è re esse iudicaverit. Quotidiana enim deprehendimus experientia illum, qui æstate arthritide corripi consueverat, si ritè & ex arte sub veris finem sanguis detractus fuerit, vel omnino ab arthritide immunem fuisse, vel certè quam leuissime vexatum, maximè si cum iuvamento quod à sanguinis missione percipitur, legitimam vivendi normam servet, qualem tenere debent, ij qui morbis periodicis, quique certo tempore recurrunt, sunt obnoxij, sive ex partium humores excipientium imbecillitate, sive ex humoris morbifici multitudine.

Sanguinis missionem auxilium etiam esse revulsorium. Quantum vacuandum quando revulsionis gratia phlebotomia usurpatur. Ex qua parte mittendus sanguis in narium hæmorrhagia. Quodvis aliud revulsorium præsidium præsanguinis missione debilissimum esse. Plethoricam syndromen non semper esse phlebotomiæ scopum, quandoquidem ad revulsionem sanguis detrahitur.

Caput XI.

Cæterum haud oportet nos contemnere sanguinis missionem, ac si esset auxilium minimè revulsorium, quum me sæpenumero cõspexistis in sanguinis è naribus eruptione vehementi, eo remedio usum esse, & repente effluxum sedasse. Convenit autem, uti vidistis, non expectare donec ad extremum imbecillitatis vires perveniant, sed ubi quod moderatum est iam vacuatum esse videtur, prorumpentisque sanguinis impetus validus permanet, secare in gibbero venam convenit, dextra quidem nare sanguinem profundente è dextra manu, altera autem, è sinistra. Simul vero cum hæc agis, artubus injicito vincula ex fasciis, aut lanis: & hypochondrio quod è directo supponitur cucurbitam affigito. Hæc enim & nos quum faceremus, ut nostis, semper erumpentem è naribus sanguinem compescuimus, quum antea experiremur medicamenta quæ scribunt naribus esse inserenda, & fronti illinenda, omnia infirma esse. Proinde ad ea quæ supra de sanguinis missione dicta sunt, & hoc quoque rationem Menodoti convincit, putantis plethoricam nominatam syndromen remedij nos admonere. Nam affectus qui nunc expositus est, plethoricæ syndromæ planè contrarius est. Vsurpamus autem in eo venæ sectionem, non ut vacuatorium, sed ut revulsorium præsidium.

Nihil Medicinam adeo coniecturalem reddere, quam remedij incertam quantitatem. Medicamenti purgantis dosim postquam haustum est imminui non posse, verum sanguinis detractionem ad Medici libitum cohiberi posse. Quando satius sit sanguinem per vices seu per epapharesim detrahere, & qua ratio ineunda cum humores sunt crudi. Quando confertim & semel mittendus sanguis, & quandiu fluere sinendus. Quo tempore instituenda hæc sanguinis missio. Mittendum esse sanguinem vsque ad animi deliquium. Hoc in casu pulsus imminutionem esse attendendam. Vacuationem semel & affatim factam maxima cum cautela celebrandam esse. Vacuationem iteratis vicibus revulsionis ergò usurpatam, esse valde commodam.

Caput XII.

NIhil æque Medicam artem in suis actionibus coniectatricem efficit, atque cuiusque remedij quantitas. Quippe quum frequenter exquisitè sciamus tempus instare exhibendi aut cibi, aut potus, eiusque aut calidi, aut frigidi: tamen quantum dandum sit, certe haud novimus. Idem in purgantibus etiam medicamentis usu venit. Nam quod ægrotanti prębendum sit medicamen-

tum, quod aut bilem flavam aut atram, aut pituitam, aut serosa excrementa vacuet, exquisitè novimus, cæterum quantum dari oporteat, ignoramus.

Verum quod ita datum est correctionem subinde nullam admittit. Nam quod semel in ventrem ingestum est medicamentum, quo minus totum devoratum sit fieri non potest: neque licet ubi plus iusto iam purgatur homo, partem eius quod oblatum est auferre. At in sanguinis missione maximum id bonum est, vacuationē ubi voles posse sistere, ac rursus quo utique placuerit tempore, iterum ut fluat permittere, quoad rectè tibi habere videatur. Quocirca præstat, si nihil urgeat, prima detractione parcius facta, iterum auferre, imo si volueris etiam tertio. In quibus igitur multa vacuatione est opus, vires autem sunt imbecilliores, in iis vacuationem recondere convenit, quemadmodum nimirum & me in iis qui crudorum humorum copia laborabant facere conspexistis. Nam pauco sanguine vacuato, protinus mulsam probè coctam, cum extenuantium medicamentorum quopiam, aut hyssopo, aut origano, & nonnunquam calamintha, aut pulegio exhibeo: aut cum mulsa oxymeli, aut oxyglycy. Deinceps rursum sanguinem aufero, interdum quidem eodem die, interdum vero postero, in quo rursum similiter prædictorum medicamentorum quodpiam exhibens, iterum sanguinem de-

traho, ac tertio die similiter bis.

Porro ubi ferventis sanguinis copia acutissimam accendens febrem inerit, confertim vacuare expedit, eumque usque ad animi deliquium educere tentandum, virium inspecto robore. Proinde novi quibusdam sex detractas esse cotylas confestim, nempe secundo vel tertio, vel quarto die: nonnunquam primo quoque die, quum febris noctis initio cœpisset, aut medio, ac quæ pridie comederant recte fuissent concocta. Quibusdam autem pridie inæqualitatem, aut sudorem, aut capitis dolorem, aut alterius cuiuspiam partis se sentire, querentibus, ac propterea parcè victitantibus, febricitare autem præcedente nocte incipientibus, primo die desinente sanguinem me detraxisse memini. In quibus enim tibi ferventis sanguinis copia apparet, quam ocyssimè vacuare conator, priusquam in principem aliquam partem cum impetu decumbat. Quocirca per noctem nonnunquam incidere venam ne cuncteris. Quippe ridiculum est quod quidam faciunt, à secunda diei hora ad quartam aut sextam solummodo sanguinem mittentes, alio autem nullo tempore, quos nisi clysteribus, cibi oblatione, aliisque remediis quocunque tempore noctis uti conspexissem, graviter utique in eos inveherer. Quum vero omnia agunt non præcipito horarum numero uno, & in omnibus morbis communi, sed ut malum utique iubet, in sola missione

sanguinis prædictum modo tempus semper observant, maxime tolerabile est illorum erratum. Sic itaque affectis ægrotis, ut diximus, ad animi usque defectionem sanguinem detrahere convenit. Novi enim quosdam illorum ex animi deliquio esse refrigeratos, ac toto corpore succedentibus madoribus, alvo soluta, celeriter morbo liberatos.

Bonum itaque est pulsuum imminutioni attentum esse, tangentibus nobis eos sanguine etiamnum fluente, quemadmodum in aliis quibus sanguis mittitur, facere sum solitus, ne aliquando nobis tale opinantibus pro animi deliquio mors succedat, quod tribus sane accidisse medicis novi. Vnus eorum mulieri febricitanti venam incidit. Aliorum uterque viro. Sed ad tantam duxere animi defectionem, ut refici amplius haud potuerint. Quocirca præstat confertas has vacuationes vitare ac fugere, nisi magna quædam necessitas ut id faciamus iubeat. Quin etiam revulsio ipsa, non leve existens auxilium, per sanguinis quoque missionem sæpius facta, quanto maiorem in numerum particulares auxeris detractiones, tanto efficacior fit. Hæc itaque præscisse melius est.

ANNOTATIO in caput XII.

Caput hoc ita perspicuum est, ut nulla explicatione indigeat. Ob præceptorum tamen quæ in illo continentur utilitatem, nonnulla hic aspergam. Medicina, ait, est coniecturalis, tum propter medicamenti purgantis quantitatem, tum propter diagnosim, cum primo intuitu vera morbi essentia atque idea, primaque origo dignosci difficulter valeant, Galenus phlebotomiæ præstantiam præ aliis auxiliis colligit, quum ex incisa vena non nisi quantum libet sanguinis auferimus. Verum ex medicamento purgante devorato nihil imminuere illudque moderari non licet, nobisque invitis vires suas omnes exerit.

Porro sub huius capitis medium, Galenus liquido nebulonibus empiricis qui hodie regnant, aliisque ignaris demonstrat magnam phlebotomiæ in variis morbis efficaciam: docetque exemplo proposito, quantum sint improbandi, qui Parisienses Medicos de frequentiori sanguinis missione incusant, quippe qui eam instituant principum Medicinæ magistrorum Hippocratis & Galeni, exemplo. Quorum prior phlebotomiam adeo in deliciis habuit præ aliis præsidiis, ut non nisi per excellentiam de ea meminerit. Alter vero semel usque ad septemdecim pelviculas sanguinem detraxit, ut

ipsemet hic refert: alia etiam vice quatuordecim, ut postea dicet; quod huius temporis audacissimi non audent, tametsi id iure legitimeque fieri possit, quum res exigit in corpore robusto tantaque vacuationis capaci.

Quæ in phlebotomia rite peragenda attendenda. Plus sanguinis demendum, quum plures scopi concurrunt; minus vero, quum pauciores. Sanguinem etiam esse mittendum in humorum cruditate, si morbus sit magnus & vires validæ. Vacuationem augendam vel minuendam pro temperamento & peculiari hominum constitutione. Cur pueris sanguis ante annum 14. non minuendus. Quando post hanc ætatem phlebotomia indigeant, & quo pacto celebranda. Pulsum signum esse non mendax ad virium dignotionem. Septuagenariis sanguinem detrahi posse, & quibus de causis. Non numerum annorum, sed totius corporis statum spectandum esse. In senibus rarius parciusque sanguinem auferendum esse quam iuvenibus.

Caput XIII.

RVrsum vero ab initio ad propositam nobis speculationem revertentes, exponamus, quæ summè esse necessaria iis qui semper sanguinis missione citra noxam uti volent, compertum habemus. Primum quidem

omnium scire oportet, dum prædicti huius præsidij scopi augentur, maiorem indicari vacuationem. Imminutis vero, tantum de quantitate vacuationis detrahendum, quantum illi imminuti fuerint. Morbi igitur magnitudo una cum robore virtutis primi mittendi sanguinis scopi fuerũt: ille quidẽ quod facere oportet indicans, hic vero tanquam illum haud impediens, quod simul indicare nonnulli recentiorum medicorum vocant. Interdum enim affectus ipse sanguinem mittendum esse iubet, virium vero imbecillitas prohibet. Ambobus autem iisce scopis præsentibus, constat quidem, ut dictum est antea, nullam plenitudinem crudorum humorum tantam talemque esse, ut hoc remedium impedire queat. Deinceps autem considerandum erit, quale sit hominis naturale temperamentum. Nam amplas habentes venas, mediocriterque graciles, & minimè candidos, neque tenera carne præditos, liberalius vacuabis: eos autem qui contra se habent, parcius. Quippe sanguinem exiguum habent, carnemque facile transpirabilem. Hac igitur de causa neque pueris sanguinem mittes usque ad 14. ætatis annum. Post hunc vero, si sanguis multus coacervatus appareat, tempusque anni vernum fuerit, & regio natura temperata, puerique natura sanguinea, sanguinem eo magis auferes, si vel peripneumoniæ, vel anginæ, vel pleuritidis, aut alterius acuti ac vehementis morbi periculum

immineat. Primum autem, ut plurimum, cotylam auferes. Quod si postea tibi vires expendenti validæ permanere videantur, dimidium eius iterata detractione adijcies. Dicisti vero vehementi pulsui cum æqualitate, tanquam certo & minime fallaci robustæ virtutis signo fidendum esse, ex abundanti aut etiam magno. Proinde & septuagenariis, prædictis pulsibus præsentibus, quando iubet affectus sanguinem mittes. Sunt enim nonnulli etiã in hac ętate multi sanguinis unà cum validis viribus, sicuti alij sicci & pauci sanguinis, facileque quacunque corporis parte percussi nigrescentes. Itaque non numero solum, quod quidam faciunt, animum advertes, sed & corporis habitui. Nam sunt qui sexagesimo ætatis suæ anno sanguinis missionem non ferunt, quum septuagenarij ferant. Atqui minus iis utique auferes, etiamsi eundem affectum quem florens corpus habere videantur. Optimum quidem erit priusquam incidatur vena, hæc omnia expendere, maximè de retentis hæmorrhoïdibus & purgatione muliebri.

ANNOTATIO in caput XIII.

Operæ pretium est notare hoc in capite, Galenum prohibere ne ante 14. annum pueris mittatur sanguis, ne nimium debilitentur ex hoc

præsidio: tametsi pluribus alijs in locis Lectorem monuerit, non adeo spectandam esse ætatem, modo æger ferre possit. Et revera hodierna praxis contrarium luculenter ostendit, cum duorum triumve mensium infantibus sanguis sæpenumero detrahatur, qui facile ferunt indeque sanantur. Primo, secundo, tertio anno venam incidere res perquam tritissima est. Infantem quinque duntaxat mensium videre nobis licuit, magnis frequentibusque convulsionibus correptum, cui duæ exiguæ venæ sectiones, semel ex quoque brachio, uniusque unciæ utraque vice vitam tutatæ sunt. Alterum etiam vidimus, cui licet solum trimestriter totidem continuis diebus, sanguis detractus fuit, ob erysipelas malam occupans, quod usque ad fauces vergebat. Infinita in hac populosa urbe eiusmodi spectare licet exempla. Veteres etiam hanc praxim tenuerunt. Magnus Fernelius methodi lib. 2. cap. 11. ait Arabem Avenzoar utiliter filio suo trimo sanguinem detraxisse. Quapropter recte intelligendus est Galenus, benigneque explicandus, dicendo, ex illo magnam sanguinis copiam semel unaque vice non esse demendam, ut veteribus in ægrotis provectioribus solenne erat.

Quid attendendum fluente sanguine. In magnis inflammationibus detrahendum esse sanguinem usque ad coloris mutationem. An semper eiusmodi signum expectandum.

Illud autem considerandum, si vires sint validæ, aërque temperatus. Iustam vacuationis copiam cognitu esse difficilem. Quibus minus sanguinis detrahendus. Vix ac ne vix quidem iustam vacuandi humoris copiam decerni posse. Semel unaque vice sanguinem usque ad 22. pelviculas detraxisse, citra ullam virium iacturam. Exilium venarum sectionem modicæ esse utilitatis.

Caput XIV.

QVando igitur incisa vena sanguis effluit, mutationi eius, præsertim iam ubi phlegmone adest, & labascenti effluxionis robori, potissimum vero mutationi pulsuum, tanquam indicio nequaquam mendaci, animum attendere oportet, confestimque quiescere pulsu vel in magnitudine, vel in quavis inæqualitate mutato. Nam de mutatione in imbecillitatem quid attinet dicere? Quippe didicistis in huiusmodi qualitate certum validarum & infirmarum virium fieri discrimen. In quibus autem prope sectam venam ingens quædam phlegmone est, optimum fuerit sanguinis & in colore, & in consistentia mutationem expectare, quemadmodum etiam Hippocrates in libro de Victu acutorum, de pleuritide verba faciens, significauit. Alius enim qui iuxta phlegmonem hæret sanguis est ab eo qui secundum naturam se habet, utpote plus cale-

factus. Si enim antea crudus erat, rubicundior & flavior fit. Sin eiusmodi prius erat, adustus in nigrum convertitur. Quocirca Hippocrates de pleuriticis ita scriptum reliquit. Incidenda vero in gibbero interna vena, nec cuncteris copiose auferre, donec rubicundior flaviorque multo effluat, vel pro puro & rubicundo lividus, utrumque enim accidit. Nam signum aliquid sanguinis eius qui est prope phegmonen in sectam venam assumptum esse, in hoc quod mutatio in eo appareat. Non tamen omni ex parte hanc expectare oportet, verum accidit interdum ut antequam hæc fiat cessandum sit, duabus de causis, quod videlicet imbecilla sit virtus, aut phlegmone maligna. Nonnunquam enim nihil concedit, sed vehementer impactus est sanguis. Si itaque virtus vacuatione nondum exolvi videatur, pulsum iam ipsorum attingens, ubi is cui sanguis mittitur ætate viget, mutationem expectare convenit. Idque magis si ambiens temperatus fuerit.

Duo enim hæc sunt propter quæ maximè conjecturalis in hoc præsidio vacuationis quantitas efficitur, nempe quod qualis sit laborantis natura nobis exquisitè cognoscere non liceat, & ambientis temperamentum quale sit à missione sanguinis futurum. Quando enim febrilis calor multum sanguinis discutit, æger vero tenui utitur victu, necessario illum alimentum ex sanguine bre-

vi deficit, interimque virtus exoluitur. Absumitur autem ob ægrotantis temperamentum, si quidem calidum & humidum existat, quale etiam est puerorum. Propter vero ambientem, si regio calida, & hora æstiva fuerit. Quocirca minus detrahimus quam plenitudo imperat, per ætates quidem, in pueris: per corporis habitus, in ijs quibus mollis teneraque est caro, & candidis, quales sunt Galli. Per tempus autem, sub Cane. Similiter vero per regiones & temporum constitutiones. Alia autem ratione, ut antea est comprehensum, in contrariis, hoc est, in frigidis temporibus & regionibus, largam sanguinis vacuationem vitamus, propter sequentem nimirum refrigerationem. Quapropter unum in unoquoque dictorum scripto definire vacuationis modum haud licet. Novi enim quibusdam sex libras sanguinis detractas abunde fuisse, ut febris confestim extingueretur, nec ulla virium sequeretur afflictio. Nonnullis vero sesquilibram, haud citra leve saltem aliquod virium detrimentum. Quibus si quis duas vacuasset, summè utique læsisset. Proinde novi etiam quibus unam utiliter detraxi libram, & hac nonnunquam etiam minus, idque à venis gibberi, poplitis, & tali. Nã ex venis quæ ad magnos sunt oculorũ angulos, aut sub lingua, nihil effatu dignum effluere solet: sicuti nec si quis in pedibus, aut summa manu incidat venam, quemadmodum qui lienem curari

arbitrantur à venæ quæ ad secundum parvorum digitorum est sectione, de qua fusius deinceps dicetur.

Non posse scripto mandare omnia quæ de sanguinis missione Medici dixerunt. Quæ dicuntur in hoc capite experientia quotidiana confirmari, ut & in alijs opinionibus. Sanguinem mittendum esse è directo ad imitationem naturæ.

Caput XV.

Si igitur quæcumque à Medicis de hoc consilio dicta sunt scribere vellem, libro mihi esset opus magno, & per se perfecto. Quemadmodum vero in aliis quæ hucusque definita sunt meam vobis sententiam exposui, qui eam in artis operibus probari conspexistis: ita nunc quoque faciam, initio sermonis ab ijs quæ quotidie in laborantibus manifestè videntur sumpto, quæ primus Hippocrates diligenter observans scripsit. Est vero eorum unum & primum caput. Quæcunque sanguinis eruptiones κατ' ἴξιν fiunt, maximam ægrotantibus commoditatem afferre. Quod vero κατ' ἴξιν vocat secundum rectum, omnibus confessum est, quod ipse manifestè hac voce κατ' ἴξιν sæpenumero in hoc utatur significatu. Quæ vero contra sanguinem excernunt, nihil iuva-

re, aut etiam nocere, quod scilicet interdum citra mali levamen vires exolvant. Neque enim liene magno existente è dextra nare sanguis erumpens, neque in iecore è sinistra ullam adferre utilitatem: sed revulsio quidem quæ in rectum fit manifestam utilitatem celeriter ostendit: in quibus autem contra accidit, nequaquam. Dextra igitur nare sanguinem effundente, ad dextrum hypochondrium affixa cucurbitula sanguinis eruptionem clarè celeriterque sistit: perinde atque ad sinistrũ, sanguinẽ excernente sinistra. Porro si in eruptionibus sanguinis quæ in rectum fiunt, revulsionis gratia sanguinem mittas, mox conspicuam videbis utilitatem. At si contra venam seces, nullum sequetur commodum.

Venam è directo sectam lienis affectibus conferre. Hoc in casu per vices vacuationem esse moliendam. Pleuriticis atque ophthalmicis ex eiusdem lateris humeraria sanguinem auferendum. Sanguinis missionem per epapharesim seu per vices celebratam ea commodiorem esse quæ universim instituitur. Quæ vena in gibbero eligenda, maximè varietatis affectuum habita ratione. Sanguinem è directo vacuatum magno iuvamento esse.

CAPVT XVI.

SIcitaque liene laborante, incisio eius venæ, quæ est ad anularem digitum sinistræ manus

manus iuvat æquè, ac si internam quæ in gibbero est secueris. Siquidem multum iuvat lienem male affectum sanguinis ex sinistra manu vacuatio. Præstat autem non semel quod convenit vacuare, sed in duos partiri dies. Scire nequeo qua de causa Medici lienosis sanguinem mittere neglexerint. Ego enim semper magnam sequi utilitatem cognovi, si etiam libram unam vacuassem. Verum vacuationis quantitatem ac mensuram ex prædictis scopis conjicere oportet. Quinetiam pleuriticis, quæ è directo laborantis lateris facta est venæ sectio, evidentissimam sæpe utilitatem ostendit: quæ vero ex manu contraria, aut omnino obscuram, aut longo post tempore. Ad hæc oculorum vehementissimos dolores persæpe intra horæ unius spatium humerariæ vocatæ venæ sectio compescuit.

Conari vero in omnibus malis præstat, ut post mediocrem sanguinis missionem factam iteratò sanguis auferatur: interim quidem eodem die, quando sic facere expedit; interim postridie, nisi ubi, ut antea dictum est, ad animi usque defectionem vacuare conemur. In oculorum itaque doloribus tum humeraria vocata vena, tum quæ ex ea derivata est in gibbero incisa, manifestum celeriter commodum adferunt. Laborante autem latere, aut pulmone, aut septo transverso, aut liene, aut iecore, aut ventriculo, ea quæ per alas ad gibberi iuncturam

pertingit: secanda vero tum maximè interior erit. Quod si non, ea quæ ab ipsa deducta in iuncturæ flexura apparet. Cognovisti sane paulo ante ab humeraria vena deduci prædictam, connectentem ipsam. Tres enim hi sunt mittendi ex gibbero sanguinis loci, interior, exterior, medius. Interior igitur, in quibus partes quæ infra collum sunt, laborant, utilis est. Exterior verò quibus partes quæ supra collum sunt, ut facies, aut caput malè afficiuntur. Medius locus interdum utrasque habet deductas venas, in anteriorem manus partem protensas: ac deinde hic coeuntes; interim vero statim in ipso iuncturæ flexu in unum mutuo congredientes, nonnunquam manifestam earum alteram, obscuram vero alteram. Proinde ubi vena laboranti parti propria obscurior existit, & ad mediarum aliquam accedis, conare eam quæ à propria derivatur potius incidere. Accidit autem ubi & quæ inferiores sunt gibberi iunctura, eas nimirum quæ in cubito sunt, secare nihil impediat, non apparentibus ijs quæ in gibbero sunt: atque harum quidem eas quæ in rectum sunt laborantium partium. Porro tam perspicuam sæpe celeriter utilitatem quæ in rectum fiunt laborantium partium venæ sectiones afferunt, ut & qui laborant, & familiares ipsorum sæpenumero obstupescant.

Curatio insignis sectæ venæ beneficio in quodam, qui gravissimo periculosissimoque oculorum affectu laborabat. Scopi in hac historia occurrentes.

Caput XVII.

EGo itaque rogatus sum aliquando à divite quopiam viro in suburbio Romanæ urbis habitante, ut suarum rerum œconomum inviserem, cui cæcitatis imminebat periculum (hoc enim ipse dicebat) vehementer dolentem, idque propemodum diebus viginti. Erat autem familiæ divitis illius præfectus Medicus Erasistratius, studiosè semper venæ sectione abstinens. Vbi igitur laborantem inspexissem, iuvenemque esse multi sanguinis, oculosque nondum exulceratos habere deprehendissem, cæterum phlegmonen, fluxionemque maximam, & in ambabus palpebris densitatem, in altera etiam asperitates iam quasdam, à quibus obtenebratione orta magis dolebat, & phlegmone defluxioque ipsa exacerbabantur: ijs inquam conspectis, cognitaque omni curationis qua medicus ille usus erat ratione, me quidem non posse assiduè in suburbium venire dicebam, ex uno vero esse ut homo triduum, ut minimum, brevibus intervallis à me inspiciatur. Permitte igitur

illum, inquam, mihi per hoſce tres dies. Imo vero, ait, hoc abs te contendo, gratiamque habebo: quin iam hominem ad ædes tuas abduc. Venit autem horam circiter quintam, ac prima ſtatim detractione ſanguinis libras tres exhauſi, dein hora nona aliam extraxi; à quibus plurimum levatur. Poſtridie levium quopiam collyriorum, cui admixtum erat id quod ex vino conficitur, inunctus eſt, veluti in eiuſmodi facere conſuevimus, inunctione ſub palpebris per ſummum cuſpidis ſpecilli facta. Id autem primum mane factum eſt, dein hora tertia, poſtea nona, à quibus inunctionibus, ſub occaſum ſolis lotus eſt. Poſtero deinceps die palpebris extra verſis bis inunctus eſt, maiore copia collyrij illius quod vinum recipit molli collyrio admixta, poſtea ad veſperam lotus eſt. Sequenti die mane diviti illi obviam factus eo loci ubi è vehiculis deſcendere ſolent, ſalutavit illum oculis apertis, phlegmoneque ac fluxione liberis, qui ante biduum palpebras præ fluxione ac dolore aperire non potuit. Quapropter res incantationi cuidam ſimilis viſa eſt, ita ut & ille ipſe curationis celeritatem admiratus exclamaret, omneſque qui cum eo erant ſimiliter in clamorem prorumperent, quum nos haud magnum quippiam feciſſemus, niſi comparatione medici eius familiaris, qui propter metum venæ ſectionis maximum malum attulerat. Porro opus erat laboranti,

ut ex palpebris extergerentur, tum densitates, tum asperitates: id quod citra mordax medicamentum fieri haud poterat. Tale autem nihil fere potuit, nisi prius vacuatus foret. Dictum enim iam, & sæpe nobis demonstratum est, omnia acria medicamenta partibus quibusdam admota, nisi universum corpus vacuum fuerit, & exquisitè excrementorum expers, fluxionem attrahere, phlegmonemque efficere. Percontatus igitur est tum dives, quænam incantatio curationis fuisset, & cum omnia quæ facta sunt audivisset, ab eo tempore Erasistratium illum Medicum sanguifugum nominavit. Hæc itaque narratio utriusque indicationem continet, tum quod in eiusmodi affectibus sanguinem mittere oportet, quod in præsenti sermone nobis propositum non erat: tum quod in rectum laborantium partium secare venam conveniat, & quod humerarias venas, ubi partes superiores laborant incidere oporteat.

Quæ corporis partes venarum inferiorum incisione subleventur. Qua vena secandæ in renum affectu. Venas inferiores in uteri inflammatione esse aperiendas. Quæ succedant incommoda ex incisione venarum brachij in uteri affectibus. Qua vena incidenda ad menstrua ciendа, atque obiter quibus medicamentis provocentur. Ex eibia sa-

ctionem ischiadicis opitulari. Scarificationem in ischiade non usurpandam.

Caput XVIII.

Quemadmodum omnes prædictæ partes venæ sectione in gibbero facta, ut dictum est, iuvantur: ita quæcunque ijs inferiores sunt, eorum quæ in poplite & malleolis inciduntur. Sunt autem prædictis inferiores, quæ iuxta coxam, vesicam, & uterum sunt. Renes autem ancipites sunt, siquidem inferiores sunt ijs quas prius recensuimus: superiores autem ijs quas secundo commemoravimus. Quapropter venæ sectionibus in gibbero factis interdum auscultant, quando nimirum phlegmone recens fuerit, & sanguinis redundantia affuerit. Qui verò affectu illo laborant, quem proprie Nephritin nominant, eam quæ in poplite est tum incidere oportet, aut omnino eas, quæ sunt in malleolis venas.

Porro uteri phlegmonæ magis quam renum, à venis in cruribus incisis iuvantur. Vacuationibus enim quæ in gibbero fiunt, aliud etiam quoddam accedit malum, quippe menstruas purgationes supprimunt, eo quod sanguinem ad superiora corporis revellunt. Quæ vero ex cruribus fiunt, non solum revellunt, sed & menses evocare solent. Ac quando hoc facere volueris, prope tempus consueti mulieri circuitus, tribus

aut quatuor diebus antevertas, aut venam incidens, aut malleolos alterius cruris scarificans, partim vacuato, ut tamen unà istis diebus in quibus ita vacuas, & ante hos aliis quatuor aut quinque de extenuante victu prospicias. Scriptus est à nobis seorsum unus liber de Extenuante victu. Verum mulieribus etiam citra huiuscemodi victus rationem menses abunde provocant & calaminthe & pulegium. Dare vero ea oportet in mulsa cocta: & arida tusa, cribroque subtili transmissa, ac rursus in mortario trita ut pollinem referant, mulsa inspergè. Tempus vero potionis optimum est à balneo, involutis adhuc linteo. Hæc itaque mitia sunt medicamenta. Vehementiora autem sabina & dictamnum: cæterum usus prædictis similis. Datur vero hoc etiam tempore medicamentum quod propriè amarum nominatur, centum habens drachmas mixtas, aliorum cuiusque medicamentorum drachmas sex. Optimum autem est quando Cinamomum acceperit. Hæc quidem obiter dicta sint, quanquam à re ipsa non aliena, eo quod delationi sanguinis ex utero auxiliantur, cum vacuatione quæ ex cruribus fit, sine malleolis scarificatis, aut incisa quæ ad talum est, aut in poplite vena.

Scio & ischiadas uno die vacuatione ex cruribus sanatas esse, quæ scilicet non ex frigore, sed à vasis quæ in coxa sunt sanguine impletis factæ erant. Quocirca sic affecti

sanguinis missio à vena poplitis, quam in malleolis commodior est. Scarificatio autem illos manifestè haud iuvat.

Qua ratione sanguinis missio usurpanda phlegmones initio & in situ. Quæ venæ incidendæ in antiquis faucium & oculorum inflammationibus, ut & in capitis gravitatibus & doloribus. Cucurbitulam cum vel sine scarificatione etiam capitis gravitatibus & doloribus auxiliari. Venam frontis apertam partis posterioris dolores lenire; sive in principio, sive in statu morbi. Quandonam quasvis ad libitum venas incidere liberum. Quæ vena in podagricis, epilepticis, vertiginosis, hæmorrhoïde laborantibus, & mulieribus ad menses ciendos, incidenda. Quando fluxus muliebris sistendus. Qua ratione ineunte vere sanguis mittendus.

Caput XIX.

Cæterum ut summatim dicam incipientes phlegmonas revulsoriè vacuare oportet: quæ vero diuturnæ sunt ex ipsis, si fieri potest, laborantibus partibus. Sin minus, ex ea quæ in maximè vicina est. Incipientibus enim, id quod influit avertere convenit. In diuturnis autem ipsum tantum quod laboranti parti impactum est vacuare oportet. Vacuabitur vero id optime per

venas coeuntes cum ijs quæ in partibus ipsis sunt sitæ. Huic rationi experientia quoque ipsa testimonio est. Quocirca ijs qui in faucibus & arteria vehementi laborant phlegmone, in principio quidem quæ in gibbero est, post hanc quæ in ipsa lingua magnificè auxiliatur, ambabus nimirum quæ in ea sunt venis incisis. Sic etiam in oculis induratas phlegmonarum reliquias vena quæ est ad magnum angulum secta iuvat: quemadmodum capitis gravitates & diuturnos in ea à plenitudine dolores, vena in fronte incisa manifeste levare solet. Incipientes autem & vigentes revulsio per cucurbitam in occipite, interim quidem ipsam solam, interim etiam cum scarificationibus appositam. Verum universum corpus antea vacuatum esse oportet. Eadem ratione dolores in posteriore capitis parte incipientes & vigentes, vena in fronte secta iuvat. Quippe revulsiones cum vacuatione magis fluxionibus incipientibus fieri oportet. Quæ vero ab ipsis laborantibus partibus, aut illis vicinis vacuant, in phlegmonis iam veluti induratis.

In quibus autem corporibus nulla dum particula laborat, cæterum vere ineunte vacuationem antevertimus, in ijs, si quidem homo ille quotannis æstivo tempore febrilibus morbis capi consuevit, dum redundantiam eorum, quæque morborum generationi opitulantur, vacuare studemus, quævis

pars ad ſanguinis detractionem eiuſdem conditionis & ſortis eſt, quemadmodum utique ſi arthriticus fuerit omnibus articulis laborans. Quibus vero pars quæpiam, niſi prius vacuati fuerint, præcipue infeſtatur, haud æque ex quavis particula vacuationem moliri oportet, ſed perinde atque in ijs quæ iam laborare incipiunt. Quocirca podagricos ex gibbero vacuabis: comitiali morbo & vertigini obnoxios potius ex cruribus. Si vero propter retentas hæmorrhoïdas ſanguinem miſeris, ſi quidem cohibere has voles, eas quæ in manibus ſunt. Sin elicere, eas quæ in cruribus ſunt ſecare oportet. Verum in ijs quibus ſuppreſſa ſunt menſtrua, ſemper quæ in cruribus ſunt. Non enim ut in hæmorrhoïdibus quidam liberari eiuſmodi vacuatione volunt, quidam vero habere cupiunt: ita quoque in menſtrua purgatione res ſe habet. Quippe vacuatio per hæmorrhoïdas ſuſpecta eſt ne in tantam evadat immoderationem, ut aut hominem protſus interimat, aut omnino hydropicum, aut malo corporis habitu præditum reddat. At per uterum purgationibus, ut quæ naturales ſunt, tale nihil accidit. Evenit tamen aliquando ut etiam ex utero propter eroſionem ſanguis erumpat, in quibus non idem eſt curationis ſcopus. Non enim effluere ſanguinem, uti in menſtruis, ſed plane ſiſtere conſilium eſt. Communis igitur in ijs omnibus, qui vere ineunte ad ſanguinis miſſio-

nem veniunt hæc ratio est, si quidem præcipuè infirmam aliquam partem habeant, in quam quæ coacervatur plenitudo decũbat, revulsione ut vacuemus. Si vero tale nihil sit, unde cuique magis placebit, excepta tamen hæmorrhoidis, aut mensium suppressione; ut paulò antè definitum est.

Numerum dierum in sanguinis detractione non esse considerandum. Quid Medici hoc in negotio attendebant. Quovis tempore sanguinem mittendum, ubi adsunt indicationes. Quo pacto phlebotomiæ occasio tempore elabitur.

Caput XX.

DE hoc quidem in superioribus potestate dictum est. Verumtamen præstat & nunc omnia percurrere, omnibus quæ ante dicta sunt in unum hunc sermonem coacervatis, & unà definitis quæ minus sunt distincta. Igitur in summa hoc sciendum primum, quod in sanguinis missione dierum numero non sit attendendum, quemadmodum nonnulli scripserunt, & quidam utique admodum ridicule post tertij diei accessionem, quando videlicet, ut aiunt, iam dignotionem aliquam habemus qualis sit forma & moribus, totaque sua natura morbus. Alij vero extremum terminum mittendi sangui-

nis quartum definiunt diem, infra quem utique ut sanguis mittatur in accessionum intervallis, quando libuerit, decernunt. Alij vero auferre festinant, quibus sanguinis detractionem ex usu esse definiunt, eo etiamnum transfluente, & nondum in aliqua parte supervacua recipiente firmiter retento, unum solummodo considerantes, num cibi in ventriculo concoquendi corruptio aliqua facta sit, aut tarda concoctio, aut etiam cibi ab eo amplectantur. Quod igitur maturandum sit in quibus vacuatio ex usu est, nisi ubi prius cibos, & in primis venis semicoctos humores concoqui oporteat, rectissime dicunt, eisque credendum est. Verum quoniam sæpe postquam aliquis dies iam quinque aut sex ægrotavit, ad curationem accersimur, expediet utique sanguinem mittere, etiamsi huius remedij prima occasio sit prætermissa. Quocunque enim die mittendi sanguinis scopos in ægrotante inveneris, in eo præsidium hoc adhibeto, etiamsi vigesimus ab initio morbi dies fuerit. Quinam vero fuerunt hi scopi? Magnus morbus, virium robur, excepta ætate puerili, & ambiente nos aëre admodum calido. Quoniam vero temporis progressu in plurimis morbis virtus exoluitur, ideo mittendi sanguinis occasio dierum numero amittitur, non quod idipsum primario efficiat, sed interveniente aliquo, priusquam scilicet virtus dissolvatur. Proinde ubi altero à principio die ali-

quando virtus exoluta videtur, à missione sanguinis abstinebimus.

Quo tempore & qua hora mittendus sanguis. Et qua ratione sanguis per vices detrahendus.

Caput XXI.

QVod vero in ipso rursum die in quo sanguinem mittimus, observare oporteat febris inclinationem, notum esse arbitror. Quanquam quibusdam non est cognitum, qui manè tantum venam secandam esse præcipiunt, aut quod longissimum est usque ad quintam aut sextam horas. Verum si quis memoria tenet, quæ antea toto hoc libro dicta sunt, nihil in iis errabit, quavis utique diei noctisque hora, modo respiciat in febrientibus particularium accessionum declinationem, sanguinem mittens. In quibus vero, vel propter lippitudinem, vel aliud eiusmodi citra febrem hoc auxilio opus est, non declinationem omnino non existentis febris, sed magnitudinem doloris, aut phlegmones, aut totius affectus, in quæ sanguinis missione opus est, inspicere convenit.

Quum vero nihil eiusmodi urgeat, aut prohibeat, præstat manè venam secare, non confestim à somno excitis, verum horam circiter unam iam antea vigilantibus. Dictum

est autem quod & uti balneo quibusdam expedit. Quod si verum est, & præeunte quoque deambulatione uti nonnullis utile est. Cæterum quibus ineunte vere venam incidere cõnamur propter febris metum, aut alterius cuiuspiã affectus, quibusdam etiam postquam solitorum operum quippiam obiissent, sive in ludo literario, sive in officinis, sive in foro, sive in ædibus misisse me sanguinem novi. Iteratæ tamen detractionis, in quibus utique simpliciter vacuare studemus, tempus eodem die esto. At in quibus revellere conamur, si vel duobus deinceps diebus fiat, melius fuerit. In omnibus vero his laborantis vires te attendere oportet, manu illius arterias contingentem Sunt enim quidam, quorum vires tam facile laborant, ut confertam vacuationem ferre non queant. In quibus refecto primo die ægrotante, secundo detractionem iterare convenit.

Agit de arteriarum sectione. A veteribus arterias venarum nomine nuncupatas fuisse. Cur hic de sectione arteriarum meminit. Quæ arteriæ secandæ pro morborum varietate. Cur Medici arterias incidere reformidant.

Caput XXII.

QVod autem veteres arterias appellant venas, & à nobis alibi demonstratũ est,

& ante nos aliis cõfessum fuit. Ob hoc igitur ipsum, & prẽterea doctrinę affinitate melius esse mihi visum est haud scribere aliũ de arteriarũ sectione librum, sed orationi devenæ sectione adnectere, & hoc ipsum in ea parte in qua consideramus, quas venas in quibus laborantibus partibus incidere oporteat. Vt enim alias venas in aliis partibus secandas esse monstravimus: sic utique & quæ in temporibus sunt arterias, & quæ post aures Medici incidere consueverunt. Eas quidem quæ in temporibus sunt, in defluxionibus ad oculos tum calidis, tum spirituosis. Post aures vero in iis qui vertigine laborant potissimum, & iis qui diuturnis capitis calidis & spirituosis doloribus infestantur. Iam vero & propter alia mala in capite consistentia diuturna, nonnulli arteriarum post aures sectione usi sunt, non tamen in alia aliqua parte laborante hoc usi sunt remedio, tametsi multi sunt, quibus eo magis quod venæ sectione opus est. Vbi enim calidus sanguis & spirituosus in arteriis coacervatus infestat, hic communibus laboranti parti sectis arteriis opus est. Verum quum arteriæ difficulter compescantur, ideo Medici eas incidere non audent. Quum etiam si qui secantes vulnerarint arteriam, ægrè confestim sanguinis eruptionem sistant, ac ubi res optime cadat ad cicatricem perducta divisione, tamen aneurysma fiat.

Symptomata à Galeno ex arteriarum sectione observata. Cur Medici ab arteriarum sectione abstinent. Nullum esse in exilibus arteriis periculum, vt nec in mediocribus. Sanguis ex arteria fluens quomodo sistendus. Quomodo Galenus in arteriis secandis audacior factus fuerit. Quibus de causis arterias inciderit.

Caput XXIII.

QVin & interiisse quosdam novimus à sectione arteriæ interiori in gibbero venæ subiectæ. Nonnullos autem confestim ob vinculum iniectum, Medicis errantibus, ut sanguinis eruptio in gangrænam transiret: alios posteà in chirurgia aneurysmatis trucidatos. Necesse enim est hic funiculo vasculũ complecti. Effatu igitur dignas ac maiores arterias propterea Medici refugiunt, parvas autem tanquam haud plurimum conferre potentes. Quanquam & ipsæ sæpius haud exiguum nobis attulisse commodum visæ sunt, cum eo quod sine aneurysmate cicatricem contraxerunt. Quin etsi maior est arteria, & ipsa quoque citra aneurysma cicatrice clauditur, tota scilicet dissecta: idque ipsum multoties quod ex sanguinis eruptione imminet periculum sustulit. Manifeste enim apparet, quum tota per se totam transversim

versim præciditur, revulsis retractisve utrinque ambabus partibus, unam quidem sursum, alteram deorsum concedere. Atque id etiam venis accidit, sed arteriis semper magis, quam venis.

Ego vero qua ratione impulsus sum ut arteriam secuerim, iam tibi narrabo. Monitus per quædam somnia, quorum duo mihi evidenter visa sunt, veni ad dextræ manus inter indicem & pollicem sitam arteriam, permisique ut flueret, donec sua sponte sisteretur sanguis, sic quidem iubente somnio. Effluxit autem non tota libra. Confestim vero diuturnus, qui in illa maximè parte, qua iecur septo transverso committitur, fixus erat dolor, desiit. Hoc quidem mihi ætate adhuc iuveni accidit. Minister autem Dei Pergamæ diuturno lateris dolore liberatus est per arteriæ in summa manu sectionem, ex insomnij quoque monitu illud aggressus. Porro alteri, cui ex malleoli vulnere dissecta arteria fuerat, sanguinis effluxus haud cessauit, donec ego vocatus totam præcidi, ac medicamento ex aloë, & manna, ovorum albo pilis leporinis excepto usus sum: vulnusque citra aneurysma curatum est, osculo arteriæ carne obducto. Homo autem ille, annis iam quatuor ex intervallis parvis coxæ dolore vexatus, deinceps perfectè sanus erat. Hæc itaque mihi persuaserunt, ut multoties in summis artubus, imo etiam in capite, arterias in omnibus doloribus à calida & spirituosa

substantia natis, inciderem, & maxime in membranis, quarum dolor punctorius est, sensimque expanditur, punctorio quidem sensu in una parte, tanquam in centro laborantis loci facto, tensionis vero sensu circumcirca centrum universo percipiente musculo.

ARTIFICIOSA METHODVS

Comparandorum Hortensium fructuum, olerum, radicum, uvarum, vinorum, carnium & iusculorum, quæ corpus clementer purgent, & variis morbis, absque noxa & nausea, blandè succurrant.

LECTORI CANDIDO & amico.

Frequenter, amice Lector, *cogito, quî fiat ut hodie, si aliàs unquam*, Medica remedia, *præsertim quæ composita vocant, in tantum venerint despectum, & tam præsentem nauseam, ut vel*

solo audito nomine medicamenti cuius vis necdum visi, aut gustati, ita ex tempore fremant, vomituriant & impallescant plerique, ut gelidæ videantur mortis imago. An quod in tam multiplicem & multiformem varietatem venerit Medicina, (quæ, Plinio autore, una & sola imperantibus imperat) ut, vel levi morbo profligando, herbarum, radicum, seminum, florum & aliorum, horrendi plerumque gustus & odoris diversique generis medicaminũ, tota, ut sic dicam, plaustra cumulatim, & (si ita licet loqui) farciminatim ac variegatim præscribat, & variè à pharmacopœis miscenda, tribulanda, & ad nauseam usque sumenda exhibeat? cum olim illa ipsa, vel amplissimo Senecæ testimonio, paucarum herbarum fuerit scientia, quæ in tam variam & tantam alicubi medicamentorum farraginem hodie est progressa, ut vel ad eorum conspectum sicuti diximus, vel mentionem, aut odorem vomituriant fere omnes, imo vero derepente vomant plerique, & nonnunquam per inferiora alvum largiter exonerent, ac si diectorium pharmacum hausissent, prout ventriculi eorum vis expultrix sursum, vel deorsum irritata fuit. Hinc nimirum scri-

bit Antonius Guainerius Papiensis Medicus exercitatissimus, se vidisse Ducis Sabaudiæ Medicum catapotia è pharmacopolio domum ferentem, ab illis, solo odore tam strenuè purgatum, quam si illamet catapotia deglutivisset. Verum enim vero non minus memorabile quam admirabile habendum puto, quod Antonius Musa inter Medicos Italiæ celebris, eam in rem de se, necnon de matre, & sorore ad hunc scribit modum. Mihi usu venit, vt dum Colocynthidem tractarem, & præsentibus matre ac sorore illam manibus aperirem, ego solo illius attactu, illæ verò odore, adeo soluti fuimus, ut nullus nostrum fuerit, cui venter decies magna perturbatione commotus non fuerit. Ex quo mirandum non est, si odore pharmacorum, quæ huiuscemodi simplicia medicamina violenta, turbulenta & pene dixerim venenata admittunt, tactu, nedum odore & gustatu, imo vero cogitatione & apprehensione nonnullos offendant, & in illis deiectorij medicamenti locum obtineant. In quam rem dicam quod mihi aliquando contigit. Imperaveram cuidam sacrifico catapotia, à quibus summe abhorrebat, nihilominus morbi quo tum prehendebatur status illa

ſerio exigebat. Cum autem ille medicam noſtram ſchedulam tota die manu meditabundus geſtaſſet, nihil magis cogitans, quam illa catapotiorum ſarcina ſe poſſe eximere & liberare, ſub veſperam dum pharmacopœum, urgente morbo, adire ſatageret, ecce ventris tanta ſaburra eſt levatus, ut poſtridie lætabundus medicam illam ſcriptiunculam ad me retulerit, dictitans geſtationem illius, ſeptenæ purgationis & deiectionis loco ei fuiſſe præcedente nocte, & ob id belle valere, & immenſas gratias mihi agere. Audis, Lector candide, audis, quid cogitatio & apprehenſio pharmacorum, nedum ſapor & odor, in multorum corpora exerceat. Narrabo aliud quod hiſce oculis vidi, nimirum hominem eruditum, qui quoties iter faciebat proxime pharmacopolium, in quo purgans aliquod pharmacum miſcebatur, percepto eius odore vix domum reverſus uſque adeo ſoluta erat alvo, ut idipſum pharmacum ſumpſiſſe videretur. Notus eſt mihi itidem alter non obſcuro loco natus, qui in pharmacopolio quopiam vel tantillum moratus, adeo alvum ſibi ſentiebat moveri, ut foras illam depoſiturus è veſtigio exire cogeretur, excitata facultate expultrice à

viroſo & tetro pharmaci cuiuſpiam odore, vel illius ſaltem apprehenſione, à quo tota abhorrebat natura, id cum pleriſque commune habens. Sed in his verſatum ſatis. E quibus facilè colligis, Lector optime, *pharmacorum uſum permultis adeo exoſum & præter illorum naturam eſſe, ut mori centies malint, quam ab eis ſemel, ut loquuntur, excarnificari ob cauſas prius enarratas. Quod cum animadverterem, priſcorum veſtigia inſequendo, & delicatioribus palatis exactioriſque ſenſus ſtomachis inſerviendo, & viſui, olfactui ac guſtatui omnium obtemperando, præſens hocce opuſculum, ex probatorum Autorum placitis concinnatum, auctum & caſtigatum, multiſque locis locupletatum, in commune bonum foras prodire non recuſavi. Quod fœlix fauſtumque ſit precor & opto.*

PRÆFATIO.

CELEBRIS ille & eximius Medicus Arnaldus à Villa-nova tradit in eo Opusculo quod de regulis generalibus curationis morborum edidit, prudentem & pium Medicum satagere debere imprimis, ut medicinalibus cibis, potius quam puris medicamentis morbos expellat. Circumspecti itaque, ac sapientis Medici ingenium ac studium eo maximè convertetur, ut purgantium medicamentorum, quæ vel sanis vel ægris imperat & præscribit, sapor, odor, &, quoad eius fieri potest, color grati ac blandi reddantur: ut sumentium oculi absque ullo horrore quod offertur aspiciant, nares sine despectu olfaciant, lingua absque nausea deguster, ac ventriculus cum universi corporis assensu iucunde & perlibenter amplectatur. Nec temerè. Nam ut fœtida, ingrata & minus placentia stomachum subvertere ac contristare solent, sic odorata, iucunda ac grata eundem exhilarare & roborare consueverunt. Odore enim iucundo fit, ut non modo iucundius sit medicamentum, sed etiam eo odore spiritus animalis una cum vitali iucundissimè refi-

ciatur. Hinc nimirum graveolentia tam sani, quam ægri omnes libenter fugimus. Debent itaque medicamenta purgantia iucunda esse, quatenus licet & fieri potest, ut à ventriculo placidè comprehensa & amplexata in actum facile deducantur: & ne ex insuavitate nauseam, flatus & fluctuationes pariant. Res ea, ardua sane, si aliàs in votis fuit unquam, hoc maxime tempore esse debet. In quo non tam fastidientes sunt stomachi, quam delicatula hominum palata, ac morosi, intractabiles & indignabundi ægrotantes. Nam vel audito solius pharmaci, ceu carnificis cuiuspiam, nomine, nec dum viso eo aut gustato, usque adeo fremunt, nauseant, commoventur, desudant & expallescunt, ut nihil mors in illis commutatura videatur. Quod dum sollicitè animadverterem, pretium operæ facturum me putavi, si pro ingenij mei tenuitate, facilem & expeditam methodum proponerem, qua duce quivis deinceps in suo hortulo, ne longius eundum sit, olera, radices, fructus, uvas, & ut paucis dicam, solita alimenta, in pharmaca & medicamenta purgantia, salubriter ac iucundè possit convertere. Qua non minus grata, quam salutari impostura, beneficium nec prævisum, nec expectatum (saltem nescientibus) summum adferent. Nam sive manducabuntur, sive ex decocto vel aliter haurientur, corpus adeo blandè & absque ullo tædio, à superfluis & gravantibus excremen-

tis vacuabunt, ut qui sumpsit, dicat, nihil sibi oblatum fuisse, nisi quod assuetum, familiare & quotidianum erat, applaudente visu, olfactu, gustatu & ventriculi, corporisque universi assensu, ut diximus, & cõplexu sane quam grato. Constat tanti artificij lapsis hinc annorum duabus chiliadibus, plus minus, autores ac inventores omnium primos fuisse Pœnorum & Græcorum solertes Geoponicos ac Medicos. A quibus, ceu per manus, tam nobile & salutare inventum accepit, & diligenter excoluit M. Cato, Dioscorides approbavit, Columella non ignoravit, Plinius proposuit, Ioannes Mesue intellexit, Palladius non omisit, Arnaldus Villa-novanus multum locupletavit, & neotericorum Medicorum, qui rerum experimenta profitentur, diligens observatio apprimè confirmavit, ac mirandum in modum adauxit. Beati Medici, inquit summus ille Philosophus & Medicus à Villa-nova, quibus Deus scientiam arcanorum naturæ impertivit, & secretorum suorum conscios fecit. Honorate tales, ait, quoniam illos elegit Altissimus, & naturæ quasi socios esse voluit. Sed proh dolor (inquit) multi sunt ad Medicinam vocati, pauci electi. His positis superest, ut rem, quod dicunt, acu tangamus, & unicuique facili methodo ostendamus, quonam pacto deinceps in suo hortulo copiam salutarium ac suaviter purgantium medicamentorum, sibi & amicis comparare facile

poterit. Sic itaque à verbis ad rem transeo.

De eligendis & apparandis medicis materijs instituto idoneis.

Caput I.

OMnium primum, si fieri potest, inunda est tibi amicitia fidi ac periti alicuius Medici: & eo præsente, apud quempiam Pharmacopolam vel Herbarium, rerũ medicarũ divitem, seligenda (si aliter non liceat) sequentium medicamentorum simplicium, purgando corpori accommodatorum, sylvula: ut hortenses materias variè purgantes experiaris. Sed medicamenta ea recentia, & quoad eius fieri poterit, succosa, ac è multis selecta esse debent: non exsucca, marcida, carriosa, olida, & ob id viribus exhausta, scopoque tuo prorsus inutilia. Si talia comparari non poterunt, saltem his proxima eligentur, & ubi operandum erit expurgabuntur, eluentur, &, si opus erit, negligenter contundentur, ac die uno, vel horis aliquot, sicuti ostendemus, in aqua, vel alio idoneo liquore macerabuntur: ut ad ingenium redeant, & collabentes vires recolligant, ne frustretur opus, qua dicemus methodo, aggrediundum. Verumenimvero, prius quam illi manum admoveamus, iucundum erit ac

sane quam utile, nosse facultates medicamentorum, quibus hortenses materiæ imbui debent, ut hinc medicatæ ac purgantes evadant pro tibi proposito scopo. Auspicabimur itaque catalogum à medicamentis, quibus M. Catonem, & ante illum Pœnorum Græcorumque geoponicos ac medicos ea in re usos esse legimus. Hinc gradum facturi ad recentiorum observationes, & eorum maximè, quos arcanorum naturæ locupletes esse novimus. Veratrum seu Ellebo-rus, præsertim niger, quo maximè usi fuerunt prisci, utramque bilem ac pituitam purgat. Colocynthis pituitam & bilem cum humore mucoso à nervis. Scammonea (succus Scammonij plantæ) necnon Diacrydium seu Scammonea præparata bilem atram, necnon flavam ex sanguine & partibus longinquis, perinde atque planta ipsa. Tithymali omnes, quorum genus agnoscit Esula, pituitam & mucos à nervosis partibus. Turbith, pituitam. Lathyris, aquas & pituitam: quomodo etiam Ricinus seu Palma Christi. Thymelæa, quæ Persis Mezereon dicitur, bilem, pituitam & aquas. Hæc à priscis inter arborum & vitium medicamentosas & purgantes materias, connumerata lego. Quæ si quis objiciat recenseri inter violenta pharmaca, & ob id parum tuta esse: huic responsum volumus, illorum vim ac furias frænari & alterari succis contrariarum qualitatum, quibuscum miscentur, & ut ita loquar, con-

corporantur ac transſubſtantiantur. Addo quod illorum impetus frangitur, & ſi quæ inſit virulentia, coërcetur via, modo, ac tempore tranſmutationis quam ſubeunt, ut cauſas alias omittam. Recentiores qui rerum ſecreta vigili ſtudio rimantur & perquirunt, de obſervatione ſæpius repetita promittunt arbores, vites, radices & plantas, etiam medicamentoſas evadere, à ſimplicibus pharmacis purgantibus, quæ hodie nobis in familiari ſunt uſu, & ſumma carent violentia. Cuiuſmodi ſunt Polypodium, Epithymus, Carthamus, Sena, Hermodactyli, Agaricus, Rhabarbarum, Thamar Indi, Myrobalani & alia, ut paulo poſt dicemus. His iactis fundamentis, ſtructuram medicationum aggredior.

Quomodo ſelectarum arbuſcularum fructus ita medicamentoſi evadant, ut corpus clementer & abſque moleſtia purgare poſſint.

Caput II.

CVm volueris comparare fructus purgante facultate, aut alia dote, ut ſcribemus, præditos, eliges de multis arbuſculam, cuius tibi viſum fuerit generis, ſed ferentem fructus generoſos ac ſuaves, humilem & parum ſupra terram extantem, iuve-

nem, quæ bimatum, aut trimatum non excesserit: in aëre libero & perflato educatam; læto solo natam, & ab hominum pecorumque iniuria prorsus excluſam. Hanc per veris initia, dum omnis parturit arbos, vel paulo antè, ut feret anni tempestas & natura, nonnihil supra radicem, ima parte findes; cortice clementer tractato, & nulla iniuria affecto. Deinde impactis fissuræ cuneolis osseis, vel ligneis, per longitudinem ad sesqui-palmum, plus minus, pro arboris corpore & modulo, illam aperies: statimque quod adapertum erit, emedullabis, si medullam quidem habuerit caudex. Quod si fissuram non possit admittere, nonnihil ultra matricem, ex alto terebrabis, & apto instrumento, medullæ portiunculam, vel eius loco matricis, aut cordis, ut vocant, quidpiam auferes, vel derades. Ioanni Mesuæ hic satis est arborem locis duobus vel tribus, unius palmæ intervallo, tenuiter perforari, absque ulla medullæ spoliatione, ut mox dicetur. Quod si nec terebrationem etiam sustinere possit, ineunda erit via alia, sicuti postea docebitur. Vbi fissuram, aut foramen diligenter expurgaveris, pharmaco ex superioribus aliquo, ut ellebero nigro tuso, vel scammonea, aut colocynthidis succo vel elaterio aut alio, iuxta scopum tuum electo, nonnihil tuso, & si opus fuerit macerato, utrumque ita inescabis, farcies ac saturabis, ut proverbij memineris, *Ne quid nimis:*

Nam ibi quidquam nec pressum, nec plus æquo addensatum esse oportet, ut nutritioni arboris, & transpirationi suus detur locus, possitque per medullarem siphunculum, aut matricis ductum, vis medicamenti una cum alimento sursum liberè ferri, & formando fovendoque fœtui sensim submini-strari. Posteaquam id rite peregeris, tum demum latera plagæ & fissuræ, ablatis cuneis, ita committes, & utrinque adduces, ut nihil interhiet, aut difflatum, vel rimulam admittat: circumpositio etiamnum vulneribus Catoniano emplastro, quod argilla constat, vel creta, & arena, cui bubulum fimum recens admistum sit, & ad lentorem usque subactũ. Sunt quibus abundè satis sit, cũ Columella, paleato luto bene subacto, plagas obducere, & superiori parti vulneris muscũ, cæspitem, ceram aut picem tenero cortice vestitam apponere, ne pluvia illabatur, vel à frigoribus, pruinis, nivibus, grandine, aut aliter, arbuscula desuper offendatur. Postremò, omnia vimine aut vinculo alio diligenter obstringuntur, ne diffluant, aut bestiarum occursu dissiliant. Eadem planè servabitur diligentia in muniendo & resarciendo foramine: nisi quod ad eius ostiolum, paris magnitudinis & formæ teres lignum sic intrudetur, ut exactè foramen claudat. His ad unguem & opportune actis, arbuscula suæ relinquetur naturæ, ut fructus, favente cœlo, probè coquat, & suo tempore decerpendos foveat.

Quos experieris eadem facultate præditos, qua intrusa medicamenta. Ex quo verè dici poterit, *Patrem sequitur sua proles.* Ioannes Mesue Arabicæ Medicinæ Doctor præstantissimus, docens quomodo fiant pruna quæ alvum subducant, & corpus vacuent, ad hunc scribit modum. Truncum arboris pruni, duobus locis vel tribus, unius palmæ intervallo, tenuiter perforant, immissoque scammonio lutant: pruna ob id purgantiora evadunt. Dantur succo, vel decocto, cum saccharo, ad unciam unam: quo loco male scribi puto, libram unam. Cæterum, sedulo prospiciendum erit, ne ab erucis, aut aliis germinum prædonibus infestetur medicata arbuscula. Quod rarum esse hactenus observatum fuit, ob vim medicamentorum, quæ etiam in folia diffunditur. Vnde illa ad multa prodesse novimus, raroque vidimus ita medicatarum arborum fructus verminare.

Modi sex medicandorum arborum, ut fructus ferant, qui clementer purgent.

Caput III.

Quando arbuscula, quo diximus modo selecta, germinum lacteſcentes oculos aperire, & carbunculos, florum suorum rudimenta pandere satagit, statim ac sedulo, vitium more, undique est ablaqueanda, aut,

si

si familiarius & crassius me loqui iubes, discalceandâ usque ad radicum fibras & venulas. Quæ ubi apparebunt, & ritè expurgatæ erunt, illis sursum ac deorsum fasciculos, vel, ut Medice, imo vero Catonianè & rusticè loquar, manipulos aliquot, ex supra memoratis pharmacis, iuxta præscriptam methodum apparabis, sternes, consepelies & infodies, superaggestâ terra, optimo fimo debitè temperata. Si siticulosa erit anni tempestas, matutinæ & vespertinæ rigationis imbre quandoque recreabitur arbuscula, & ita suæ naturæ in tempus, colligendis eius fructibus opportunum, relinquetur. Hæc prisca est medicandi formula.

Qui subtiliore sunt Minervâ, & rerum arcana penitius scrutantur, hanc viam, fœlici successu, inijsse, mihi nuntiarunt. Sub finem Martij, insignem ramum radicis generosæ arboris medium secant: & qua truncum vel caudicem spectat, in vas terreum humidis rebus, ijsque medicamentosis, & purgantibus plenum ita inserunt & hinc inde claudunt ac obstruunt, ut nihil effluere vel diffiari possit. Tum demũ regesta terra, cœlo & aëri arborem in autumnum, vel tempus aliud decerpendis eius fructibus idoneum committunt, quo revoluto, opus, si quidem necesse erit, nitiante vere, iterant. Non dissimili artificio, quo Architectos & solertes aliquot lignarios artifices uti novimus: dum sibi arbores comparare satagunt, quorum

ligna variè figurata & picturata conſpiciantur. Si quis loco medicamentorum, vel medicamentoſarum plantarum, odores vel odoratas aquas, aut quid aliud in vas, quo diximus modo, conſepeliendum immiſerit, non ſolum fructus arboris illius, ſed folia & cortices, idipſum miraculo quodam præ ſe ferre obſervabit.

Rei huius fidem de experientia ſibi factam conſtanter nobis faciebat anno 1563. amicus noſter Petrus Bellonius librorũ multorum præſtantiũ editione & totius Europæ & Aphricæ peregrinatione celebris, paulò antè quam impius enſis ſcelerati cuiuſdam graſſatoris, vel ipſiuſmet Bellonij (ut fertur) famuli ſub veſperam, non procul à ſuburbiis Lutetianis, illum nobis ſuſtuliſſet: dum Regios hoſtes, quibus erat præfectus, ex mandato reginæ matris, inviſere ſatagebat.

Rem eandem paulò facilius aſſequeris, ſi antequam ſalivet medicanda arbuſcula, circumfoſſis eius radicibus, ſed nullo ictu iniurioſo offenſis, aquam macerationis & infuſionis electorum ſcopo tuo pharmacorum vel plantarum purgantium, velut ex ubere ſenſim inſtillaveris, & dies aliquot idipſum opportune repetiveris, vel ſaltem unaquaque hebdomade ſolicitaveris donec defloruerit, & fœtus ſui plenum rudimentum tibi exhibuerit: ſi Aquilo ſpirabit, & gelu regnabit, defendes, quod dicunt, à frigore myrtos. Quod fiet iniectis ad radices

arbusculæ tuæ paleis multis fimo pingui superonustis: sed ita ne fimum arborem propius contingat, & putrente suo calore illam funditus perdat. Id laboris & periculi evades, si frigoribus exactis, rem totam aggrediaris. Vbi retorrida erit æstas, sub crepusculum utrunque simili potione, sed paulo dilutiore, arbusculam subinde refocillabis. Modus hic est admodum expeditus, & paratu facilis. Nam cuivis promptum est plantas, ut vocant, laxativas ubique invenire, & ex catalogo primi capitis, pro arbitrio seligere, ac nonnihil contusas, diem unum aqua multa macerare, & tum demum illa, quo dictum est modo, uti. Hanc viam omnium præstantissimam esse scribit Arnaldus à Villa-nova, in operibus medicandarum arborum, plantarum ac vitium, ut proprio dicemus loco. Nam malitia rerum valde alteratur per recessum facultatis earum in aliam substantiam. Ex quo (inquit) sine ulla noxa & periculo facilis sequi solet purgatio ex illis.

Si quis arbusculas huic negotio accommodas non habebit in suo horto, fundo, vel prædio, arbore quantumvis magna, ad hunc modum uti poterit. Eligat ex ea ramum quempiam generosum & belle educatum, quem Gallica terebra, aut aliter, ad medullam, vel matricem usque, & nonnihil ultra, perforet, facto satis amplo foramine pro rami modulo. Deinde foramen illud medicamentis, ut dictum est, inferciat, obturet, ve-

ſtiat, liget, ac ita naturæ regendum permittat, donec maturos reddiderit fructus, & ſummè medicamentoſos, reliquis ex ea arbore nihil tale agnoſcentibus. Modus hic tam eſt certus ac probatus, ut viderim quandoque pomiferam arborem, à perito artifice colono, quem uno aut altero colloquio inſtituerã, ita medicatam & comparatam, ut quatuor ramis ex eodem trunco natis poma diverſarum qualitatum & medicinarum proferret, ac aliis quatuor diverſorum ſaporum & odorum. Quod nec inſitione factum erat, nec alio adulterandi artificio, quam eo quod hic deſcribimus. Erat & id ſumme in ea arbore admirandum, quod neque folia, neque fructus ramorum ita medicatorum ab erucis aliquo modo infeſtabantur, aliis eiuſdem undique populatis & eroſis. Venio ad reliquos Dendriatriæ noſtræ modos, ut ex pluribus habeas unde ſeligas.

Sunt qui medicandas arbuſculas opportuno tempore tranſplantent, ſed ita, ut ſcrobi illis factæ & deſtinatæ, ſelectas herbas medicamentoſas, ſtercoris loco, larga manu prius ſubſternant, & radicibus defodiendarum circumponant, ac demum adobruant, remiſto pingui lætamine terræ. Si fervida ſequatur ætas, & inſolens graſſetur incendium, quale per Caniculę ardores ſęvire ſolet, aqua macerationis plantarum ſubſtratis ſimilium, arbuſculam idoneis horis reficiunt.

Modi alij admodum faciles, expediti, & probati.

Caput IV.

Quidam ex Dioscoridis consilio, in vino phthorio, plantas multas, quibus inest purgandi facultas, ad imum truncum medicandæ arbusculæ disseminant, vel undequaque implantant, & adeo profundè illarum radices infodiunt, ut radicibus arbusculæ, si fieri potest, adhæreant. Quæ ne resiccentur, aut tabescant, crebra rigatione hincinde tempestiuè occurrunt, sataguntque ut plantarum facultates purgatrices, ea perfusione, quasi vehiculo, alimentis arbusculæ radicatim permisceantur, & sursum, vi ramorum attractrice, emultrice & vegetatrice, ad fructuum formationem & alimoniam, sensim attollantur. Sed ita sunt coaptandæ & disponendæ huiusmodi plantæ, ut arboris truncum amplectantur & coronent. Nam ex illarum effluvio aliquid in amplexatam, insensibili transpiratione abibit & conformabitur. Quod sane absurdum esse non debet: cum videamus arboreos fructus plerosque, certarum plantarum sapores ac odores præ se ferre, quas vel substratas habent, vel haud ita procul dissitas. Sic quædam mala, brassicam olent, quod illam

vicinam videant, ciusque diurna & nocturna defluvia exhauriant, ac modo imperceptibili, duce aëre, imbibant. Sic præterea, vina quædam plus aliis diuretica esse experimur, licet in eodem tractu & fundo omnia nata & educata sciamus. Quod vicinis ac sociis herbis ac radicibus, quibus facultas inest ciendi urinas, ascribendum duco.

Non defuerunt, qui fissuras aut terebrationes medicandæ arbusculæ, iuxta primam methodum artificiosè factas, compositis medicamentis purgantibus oppleverint, & reliqua præscripto ordine perfecerint. Quod quam fœliciter, nondum ex illis audire licuit.

Novi quosdam, qui ramum ex selecta arbore ita raptum & vulsum, ut aliquid de ea secum auferret, ac generosis fructibus scateret, figulino vase, aut ligneo cado, stercorata terra saturo, altissime infodiebant, & plantulas purgante facultate præditas, hinc inde comites illi dabant, æstuque vigente, aqua macerationis plantarum consimilium, diluculo & vespere larga manu irrigabant. Id tandiu, positis intervallis, repetentes, donec fructus adultos, & ad unguem maturos iudicarent. Modum hunc verissimum esse, mihi certo asseruit quidam ex eorum ordine, quos Celestinos vocant. Nec aliis plantis se usum asserebat, quam iis quę in publicis cœnobij hortis occurrebant, nimirum Lathyride, Ricino, Tithymalis, Viola martia,

Malva & similibus. Quarum auspiciis, quo dictum est modo, cerasia, pruna & persica præcocia sibi comparavit, quæ clementer & absque tædio, alvum subducebant, ad tres, quatuor, quinque, plures vel pauciores dejectiones, pro assumptorum quantitate & numero. Addebat, se magnam hinc gratiam & favorem injisse apud multos præpotentes ac divites, quos participes fecerat fructuum suorum medicamentosorum. Quod hic scriptum volui & adnotatum.

Postremum erit, quod una & altera observatione mihi hactenus fœliciter & ex animi sententia successisse deprehendi. Sunt quædam præcocia & fugacia pomorum genera, quæ figlinis aut ligneis vasis capacibus aluntur, crescunt, foventur & matureſcunt: dum poma dico, fructus eos cum Grammaticis intelligo, qui molli pelle, vel tunica teguntur. Vbi illorum parentes arbusculas defloruisse, & fœtum adhuc informem, sua forma velle informare observo, tunc liquoribus ex maceratione simplicium medicamentorum purgantium & scopo meo idoneorum, expressis, nascentes & adhuc lacteſcentes arbuſcularum partus, velut ex ubere, blando instillatu & irrigatu foveo, idque electis horis & temporibus, dies aliquot facere perſevero, paucis contentus fructibus & arbusculis: sed ijs generosis tamen, & ob id accuratè & solicitè educatis. Si retorrida & sicca invaleſcit tempestas, ut hinc

sitire videantur, simili liquore opportunis horis etiam refocillo, & ob rapidum æstum siticulosam terram, ad inebriationem usque, diluo & irrigo. Hæc de medicandis arborum fructibus ut alvum subducant, satis erunt. Nunc demum nobis explicandæ veniunt aliarum medicationum formulæ, sanè quam iucundæ & utiles.

Arborum medicationes aliæ, ad particulares effectus, pulchræ & animadversione dignæ.

CAPVT V.

SI ab arbusculis tui horti, alia exigis medicata auxilia, quam præcedentia (quæ alvo duntaxat lubricandæ fuerunt accommodata, & talibus humoribus vacuandis destinata, quales medicamenta ipsa movere apta sunt) potes, pro concepto scopo tuo, quidquid visum fuerit, arbusculis ipsis, iuxta præscriptos modos, committere, & quodammodo implantare. Itaque si fructus habere voles contra pestem ac venena auxiliares, loco purgantium medicamentorum, commode ac salubriter usurpare poteris theriacam optimam, vel mithridatium, aut radices alexipharmacas, & alia pesti ac venenis adversantia (de quibus multa in nostris contra pestem secretis) ijsque arbusculas tuas, qua dictum est methodo, imbuere ac

saturare. Si fructus somnum conciliantes habere satagis, plantas, radices, semina soporifera & alia, arbusculis tuis non dissimili accommodabis methodo. Verum enim vero, priusquam manum de hac, quod dicunt, tabula removeam, paucis admonebo quid Ioannes Langius adversus fures fructuum hortensium & arboreorum scripserit. Cantharidum usum, inquit, nusquam commodiorem reperi, quam si crudum earum pulviculum pomis, prunis, ficubus, persicis quoque & aliis venustioribus fructibus ab ima arbore pendulis inserueris, fissuramque reducta cute, vel putamine celaveris & occultaveris. Hæc si pomorum fures de decerpta gustaverint, intolerabilis urinæ dolor & stillicidium furtum illorum redarguet, ac supplicij gravitate pensabit. Sed de his satius fuerit tacere, quam plura scribere. Alia, penè innumera, pulchra & utilia ex hisce progymnasmatis & præludiis nostris, facile excogitare ac invenire poterit Lector ingeniosus & industrius. Nam intelligenti, ut loquuntur, pauca sufficiunt.

Fructibus arborum odores & sapores quosvis, necnon etiam colores, facilè comparari posse.

Caput VI.

Quæ hactenus de medicationibus arborum tradidimus, eadem etiam ad

odores, sapores, & alia quamplurima, methodo simili, fructibus comparanda & concilianda, transferri aptarique possunt applicatione rerum idonearum, pro voto & arbitrio tuo selectarum ad id quod quæris & optas. Hinc scilicet, absque ullo insitionis artificio & mangonio comparantur fructus, etiam per summam maturitatem acerbi, alij acidi, nonnulli austeri: quidam dulces, melliti, saccharati: plerique moschati, cinnamati seu canellati, aut alterius saporis, vel odoris, tam grati, quam ingrati: &, ut paucis dicam, quales perito artifici formare visum fuerit. Quod verissimum esse, non tam de auditu, quam ex gustu & odoratu non semel exploravi & observavi. Imo vero (quod fidem superare multis videbitur) mora lutea, pyra rubra, ac mala cærulea, tam intus, quam in cute, & ex sua quæque arbore pendentia, non sine admiratione aliquando conspeximus, contrectavimus, aperuimus & gustavimus, sed nulla saporis gratia, quæ coloribus illis adulterata fuerat, & hinc tota in pabulum oculorum potius quam linguæ delicias migraverat. Miretur hoc qui nescit, nec intelligit multa in vasto mundi huius theatro, miraculi loco esse, quæ ingeniosa hominum diligentia, artificioso medicamentorum adulterio, & solerti insitione, comite ubique industria & labore, in lucem protulit. Vnde rectè admodum scripsisse mihi videtur Poëta,

Ipsa novas artes varia experientia rerum,
Et labor ostendit miseris ususque magister.

Causa cum pleroſque lateat, illis tantum miraculi & ſtuporis ingerit, ut præter naturam talia fieri credant. Res ea, cum in his quæ hactenus docuimus, & deinceps oſtenſuri ſumus, tum maximè in variis arborum inſitionibus & florum varietate locum habet. Quarum ope & ingenioſo artificio, medicamentorumque & colorum mangonio ſolerti, fieri plerunque videmus, ut una arbor prodigioſo ſpectaculo, diverſi generis, varij guſtus, inſueti odoris, necnon coloris & facultatis poma, nuces, uvas, flores, & alia ab uno eodemque trunco emergentia proferat. Quod exemplis duobus, penè prodigioſis, demonſtrare ac illuſtrare pergam, licet id extra inſtitutum eſſe videatur.

Arbores duæ ſummæ & prodigioſæ admirationis.

Caput VII.

INcomparabilis ille rerum naturæ interpres Plinius, de inſigni quadam arbore hunc in modum ſcribit. Vidimus inſitam arborem iuxta Tiburtes Tullias, omni genere pomorum onuſtam: alio ramo nucibus, alio baccis, aliunde vite, ficis, pyris, punicis, malorumque generibus: ſed huic brevis vita fuit. Hactenus ille. Multo mihi prodigio-

sior videtur arbor ea, quam Ioannes Baptista Porta Neapolitanus describit in Opusculo suæ Magiæ naturalis. Vnam, inquit, novimus arborem, delicias horti nuncupatam, crassitudinis & proceritatis non ingratæ. Hęc trifurcata erat, & in uno ramo uvas duas vinaceis vacuas, discolores & medicatas gerebat: quarum altera soporem, altera alui deiectionem moliebatur. Secundus ramus persicum proferebat, ex persico, & nuci persico, intervallis pluribus, æquè distinctum, & absque ullo osse. Quod si cui inerat, nucleum dulcem uti amygdala dabat: & nunc hominum, nunc animalium faciem mentiebatur, diversaque lineamenta demonstrabat. Tertius, cerasia exossa, acida ac dulcia emittebat: ad hæc mala aurea. Cortex floribus rosisque consitus erat. Porro fructus ipsi debitam magnitudinem superabant, ac aliis dulciores & odoratiores erant. Verno tempore efflorescebat arbor, & ultra legitimum tempus suos fœtus educabat: nam diu in arbore morabantur, & continuæ fœcunditatis orbem toto anno ministrabant. Per quosdam enim gradus poma sibi succedebant, & fœtura interpolabatur. Denique sic cœlum & solum ardori favebant, ut pulchriorem in tota vita non conspexerim. Hactenus ille: ex quo tam raræ arboris historiam huc proferre voluimus, ut intelligeres

Quantum ars ipsa valet, quantumque industria pollet,

Et quantum insitio fœcundos adiuvat hortos:
Necnon ingenium medicandi hortensia solers:
Queis favet impatiẽs otij labor, optimus artis
Cuiuscunque dator.

Sed dimissa insitione, de qua nuper Opusculum edidimus, institutum repeto, & ex diverticulo in viam cœptam redeo: à qua (occasione data) ideo nonnihil deflectere voluimus, ut ostenderemus artem medicandarum arborum cum insitione copulatam, plane admiranda moliri, si in peritum & industrium cadat artificem.

De collectione, repositione, custodia & usu fructuum medicamentosorum: & aliis in hac arte observandis.

Caput VIII.

Antequam propositam narratiunculam aggrediar, admonebo artis huius studiosos, quod medicationes hactenus præscriptæ, minorem materiam, rigationem & sedulitatem exigent in arbusculis fructum parvulum ac molliculũ ferentibus, quam iis quæ illum maiusculum ac duriusculum producunt. Primi generis sunt cerasus, morus, prunus, persica arbor, anteperſica, præcocia, olea & vitis. Secundi, malus, pyrus, cotonea, amygdalus, iuglans & similes arbores: quarum, uti etiam superiorum, fructus non exacte suas vires medicamentosas exe-

rent ante maturitatem. Per quam die sereno, circa novilunium, alto sole, blanda manu, absque ulla iniuria, læsione & vitio, fructus decerpentur, ac loco idoneo, ut in nostris hortorum secretis docuimus, in usum accuratè reponentur. Si custodiæ non erit locus, vel quod anni tempestas australis & pluviosa illam negaverit, adeo ut hinc à labe & corruptione periclitari videantur: vel quod per imbres & nebulas collecti fuerint, & ob id excrementitio humore, putredinum parente, abundaverint, sublata omni mora, cálente clibano (si per solem minus licet) aut craticulis ad focum suspensis integri, si parvi & tenelli erunt: vel bipartito, vel quadripartito diviſi, & ab interaneis repurgati, necnon depellati, si magni ac duriusculi aderunt, paulatim resiccabuntur, ac blande torrebuntur. His ita comparatis, illico mundis vasculis, vel calathis, papyro internè vestitis, reponentur, & accuratè servabuntur. Si recepto more condire voles, præclarè ac salubriter ages. Vsus omnium erit, vel ex propria cuiusque carne & pulpa, vel ex eiusdem iusculo & decocto, sicuti de prunis fieri solet per Ichthiophagiam & esuriales ferias. Tempus utendi esto matutinum, vel paulo ante pastum, & nonnunquam sub somnum. Quantitas limitabitur pro cuiusque corporis modulo, ætate, sexu, temperamento, movendi facilitate vel difficultate, & medicamentorum quibus imbu-

ti erunt fructus, natura forti, cita aut debili. In quam rem, tibi prudenter & opportune consulendi erunt doctiatque cordati Medici. Quod ut facias te etiam atque etiam amicè moneo, & valdè cohortor. Pene omittebam quod fructuum medicatorum tam ossa, quam semina, diligenter colligi debent, ac diligentius custodiri, ob vim medicamentosam quæ summa illis inest, non dicam adversus lumbricos & interanea ventris animalia, liberandasque obstructiones, sed & alia quamplurima, quæ hic reticere malo, quam paucis explicare. Habent de multis id solenne, quod si implantentur, aut serantur, quæ hinc emergent arbores, medicamentosum nescio quid præ se ferent. Quæ res in surculis aut ramulis, ex simili arbore detractis, & alibi inserendis, vel pangendis, locum vix habet, nec etiam in medicata arbuscula si transplantetur ac transferatur. Nam materni lactis & soli genitalis negata facultate, sublatoque nutricis assueto ubere, succos oblita priores, merito à proprio temperamento, eoque medicato, in aliud degenerare potest. Quare si voles ut ingeniũ redeat, & vires medicamentosas, pene exhaustas, resumat, medicata alimonia, quibus dictum est modis, refocillanda ac instauranda tibi erit. Nec id solum in transplantatis & translatis locum habet, sed etiam in ijs quæ nec cælum, nec solum mutant. Vnde par erit quotannis, aut saltem quoque biennio, re-

cens medicamentum, sive simplex, sive compositum, aut antidotum, vel quidvis aliud, denuo illis accommodare. Quemadmodum ex Græcis Florentini Georgicis, transcripsit Neapolitanus Palladius, & plerique illo antiquiores.

Quomodo non medicati fructus, tam æstivi, quam autumnales, decerpti & domi asservati medicamentosi evadant, ut corpus repurgare possint.

Caput IX.

Hic nequaquam silentio dissimulabo, quod à multis summè desideratum, & cupidè expetitum scio. Quid illud? inquies. Quomodo citò, facilè, & quovis tempore, quilibet repositos fructus, sive verni fuerint illi, sive æstivi, seu autumnales, ita possit componere, ut clementer & absque nausea alvum moveant, & subducant, corpusque à superfluis excrementis liberè ac blandè vacuent. Si patientem aurem mihi præbueris, paucis docebo. Omnium primum à fido quopiam Pharmacopola tibi comparabis purgantia aliquot medicamenta simplicia, ex eorum classe quæ violenta non sunt. Qualia sunt rhabarbarum, agaricus, sena, polypodium, epithymus, semen cartami, myrobalani, thamar Indi, & similia. Vbi unum,

unum, aut duo ex his, scopo tuo idoneis, probè selegeris, ex Medici consilio legitimas ac sanas portiunculas, negligenter, si opus erit, fractas & contusas, horis aliquot, cum tantillo cinnamomi & seminum anisi, infundes ac macerabis, in sero lactis, oxymelite, ptissana, vino, aqua, aut blando quopiam liquore, ut visum tibi erit, pro corporis tui & partis anni, nec non aëris temperamento, & statu. Deinde quidquid id erit, percolabis & clementer exprimes, & calidis cineribus, apto vasculo, superpones: ibique horis aliquot insuccabis, ut loquitur Columella, compuncta multis locis pruna, persica, pyra, ficus, cotonea, vel cerasia: ex his quæ tibi ad manum erunt nihil refert, modo solem passa fuerint, vel clibano, ut diximus, resiccata, aut aliter asservata. Vbi liquore illo medicato, & iusculo, affatim imbuta erunt, & pro rugosis obesula apparebunt, valdeque turgebunt, tum demum medicamentosa habebis alimenta, quæ absque ulla molestia, corpus, soluta alvo, blandè repurgabunt. Rem eandem fœliciter etiam experieris in uvis, quas Damascenas nuncupant: magno ventriculi ac hepatis commodo, sed detractis prius, & ex illorum pulpa seclusis vinaceis. Si insuavem quempiam gustum, ut amarorem, acerbitatem, vel quid simile præ se tulerint medicata isthæc alimenta, saccharo optimo, aut pulvere glycyrrhizæ, vel cinnamomi, facile tegi ac dissimulari po-

terit: ad hæc aniso condito, vel coriandro præparato, aut huiuscemodi artificio quopiã aromatico & dulci, pro cuiusque gustu ac palato. Quidpiam igitur ex iis gustabitur, aut una manducabitur, vel sumpto illo medicamentoso cibo, statim deglutietur, ut contraria contrariis emendentur.

Est modus quidam expeditus & salutaris, ita coquendorum, & aliorũ quorumcumque fructuũ maiorũ, ut corpus à gravantibus excremẽtis absque ullo tędio, torminibus ac fastidio clemẽter purgent: imo vero purgãdo, viscera roborent. Hunc qui nosse volet, velle autem debent omnes, percurrat aream tertiam, campi septimi, nostri Horti Medici, seu Alexikepi, qui nuper rerum multarum accessione locupletior & emendatior in lucem prodijt: illic inveniet quod placuisse queat. Sed de his fusius agemus paulo post in vino Cydonite, & Hydromelo.

Ioannes Langius, illustrissimorum Comitum Palatinorum Medicus doctissimus, in quadam epistola ad Cyclerum, de medicatis fructibus ad hunc scribit modum. Accipe aquam aut vinum, in qua vel scammonea, vel tithymali cortices, aut turbith, vel id genus fortium medicamentorum maceratum sit: in quo pruna sicca ex Damasco, caricæ, uvæ passæ, donec turgescant, maduerint. Hæc absque ullis torminibus alvum leniter expurgant. Nam hæc sola virtute medicamentorum, exuta eorum substantia,

imbuuntur. Hactenus ille.

Cognovi qui antea commemoratos nobis succos, tam siccos quam recentes, nullo modo macerabant, sed cum purgantibus medicamentis simplicibus, eis à Medico præscriptis, & modicè fractis, si opus erat, raroque linteolo deligatis, prunorum modo in vino aqua temperato, coquebant: & addito saccharo multo albissimo delicatis palatis edendos proponebāt, vel solum, unum iusculum propinabant, & decoctorum carnem per setaceum excernebant, ac mundo vasculo repositam, in usum idoneum & tempus opportunum accuratè custodiebant: de eodem bove, ut dici solet, lora trahentes, unaque & eadem fidelia duos parietes dealbantes.

Novi alios, qui fructus iam dictos, post longam macerationem, quo nuper dictum est modo, blande siccabant in clibano, & iterum ac tertio macerabant, & demum resiccatos, pyxide includebant, & quoties opus erat, excludebant, ac in usum opportune convertebant, respersо multo saccharo optimo. Si vigebat æstus, in aqua rosacea macerabant. Si hyems erat, suffocatis in vino pauco aliquot eorum buccellis, & copiosa sacchari aspergine dealbatis, libere utebantur, & quidquid erat vini superbibebant. Sed ut quod sentio verè dicam, non sunt hæc temerè tentanda absque docti Medici consilio, perinde atque alia pleraque hacte-

nus scripta. Nam ille selecta medicamenta, ægrotantium affectibus, aut sanorum præcautionibus idonea seliget, & ad legitimum pondus, ac dosim, ut loquuntur, omnia deducet, iudicioque & arte singula temperabit. Imo vero suopte Marte, iuxta hanc methodum, nova comminiscetur artificia, quando non omnia possumus omnes.

Quomodo lactuca, borrago, portulaca, & olera alia, ad hæc cucumeres, cucurbitæ, pepones, raphanus, cinara, fraga, grossulæ, frambœsiæ, & similes fructus ac plantæ deiectorias facultates induent, & sapores ac odores varios admittent.

CAPVT X.

SI ad medicationes olerum, radicum & plantarum multarum, prudenter referas, quæ de medicandis arboribus nuper scripsimus, novo hic sermone opus non erit. Verumenimvero, quia plantæ radicibus tam solidis non innituntur, quàm arbores, nec tam robusto donantur corpore, nascunturque plurimum seminibus, vel implantationibus, ac brevioris sunt vitæ, idcirco de illis peculiarem hic instituemus narrationem. Si itaque semina plantarum titulo capitis huius præpositarum, aut aliarum, madnerint triduo, vel quatriduo (antequam serantur)

in iusculo macerationis purgantium medicamentorum simplicium, initio huius Opusculi descriptorum, & siccata, vicibus iteratis remaduerint, ac ita optimæ terræ, pinguissimo saturatæ, & diligenter subactæ, commissa fuerint, quidquid inde nascetur, medicatorum seminum facultates ac ingenium referet.

Idem etiam continget, si medicamentosa illa macerationis aqua, vel iusculo (seu cremore quopiam) pullulantes plantulas, & adhuc lacteascentes, aliquot diebus, velut ex nutricis ubere, stillando & non mergendo, aut inebriando, opportunis horis foveris ac rigaveris: hinc enim alvi solutionem facilem & corporis purgationem ab illis conciliabis. Si gravis æstus inferiora torrebit, eodem liquoris haustu illas sitientes, affatim & identidem, sed tempestiuè (ut in arboribus dictum est) refocillare ac recreare poteris.

Sunt qui per adolescentiam plantarum, radices earum blandè circumfodiunt ad capillares usque fibras, sed absque ulla iniuriosa tractatione & eradicatione. Tum demum purgantia medicamenta simplicia, proposito scopo selecta, & nonnihil contusa, si opus erit, earum nudatis radicibus, sparsim injiciunt, ac disseminant (ut in arboribus diximus) regestaque terra adobruunt, consepeliunt, ac ita educari, crescere & medicamentari permittunt. Quod à multis fa-

ctum, & salubriter expertum vere scio.

Nonnullis abundè satis est dum plantulas transferunt, in scrobiculum illic defossum mittere ac substernere selecta medicamenta: deinde stercorata terra, & si opus erit, irrigata, omnia condere, ac ita cœlo & solo committere. Modos alios requires ex medicationibus arbuscularum. Et quæ de liquoribus, & succis medicatis ad plantarum radices infundendis, tradita sunt, eadem etiam ad sapores & odores (de coloribus dubito) prudenter ac solerter coaptare poteris, exemplo Aristoxeni Cirenei: qui, ut scribit Plinius, à patria desciscens philosophia, & helluonum voluptati ac collegio subscribens, natas in hortis lactucas, vesperi vino mulso rigabat, eoque potu, donec satis ebibissent, satiabat: ut postridie, cum illuxisset, placentas virides à terra missas, se habere venditaret: dignum helluone inventum, nedum Philosopho. Sed in medicamentoso plantarum mangonio & artificio versatum satis. Manum itaque ex hac tabula movebo, ubi admonuero, quod plantæ, quibus à natura ineſt purgatrix quædam lubricitas, ut violis martiis & maluis: aut lactea substantia & dulcedo, nonnihil etiam deiectoria, ut lactucis: vel nitrosus succus, & ob id medicamentosus ac deiectorius, ut brassicæ & betæ: aut lenta & excrementitia humiditas, ut portulacæ: hæ, inquam, & similes plantæ, cura admodum solicita, medicamentisque

multis non indigent, ut medicatę ac purgantes evadant, cum id natura fere comparatum habeant: & ob id modica alteratione indigent, ut medicamentosæ fiant. De peponibus, cucumeribus, & huius plumæ aliis, non dissimilis erit ratio, ob succum excrementitium, aquosum & nonnihil lubricum, quo largè scatent.

Vites variis modis medicatas reddere, ut earum uvæ & vina ex illis expressa, alvum clementer moveant, & corpus absque molestia purgent.

Caput XI.

SEcundum vindemiam, ubi vites ablaqueantur, quantum putabis ei rei satis esse vini, tot vites ablaqueato & signato: earum radices circum sarrito & purgato. Postea veratri radices in pila contundito & circum vitem ponito; his stercus vetus, & veterem cinerem, ac duas partes terræ circum addito. Radicibus vitis terram insuper injicito. Hoc vinum seorsum legito. Si voles servare in vetustatem ad alvum movendam, servato: nec commisceas cum cætero vino. De eo cyathum sumito, & misceto aqua, ac bibito ante cœnam: sine periculo alvum movebit.

Aliter, cum vites ablaqueantur, signato

quampiam, ne admisceas cætero cum vino. Tres fasciculos veratri atri circumponito circum radices, & terram insuper injicito. Per vindemiam de his vitibus, quod delegeris, seorsum servato, cyathum in cæteram potionem indito; alvum movebit, & postridie perpurgabit, sine periculo. Hæc ad verbum M. Cato in suis de re rustica Commentariis.

Africanorum & Græcorum geoponici ac Medici, Catone multo antiquiores, hac incedunt via. Sarmentum quod pangendum est, ima parte finditur, trium vel quatuor digitorum mensura, sublataque medulla, simplex medicamentum purgans & deiectorium, ex his quæ primo capite recensuimus, contusum, medullæ loco intruditur. Vel compositi alicuius pulpa (quod præstantius est) immittitur. Postea vulnus aut fissura, ne quid effluat, idoneo emplastro tegitur, deligatur, & ita sarmentum terræ mandatur. Hæc Florentinus, ex Græcorum geoponicis & medicis unus, & post eum Palladius.

Recentiores satagunt ut vitis ablaqueatæ radices emundentur, deinde purgantis alicuius medicamenti compositi succum, vel ex simplicis alicuius macerationè liquorem, affusione & rigatione, per dies aliquot repetita, affatim combibant & exhauriant, maximè, dum nova de gravido palmite gemma tumet. Hoc peracto, terram radicibus regerunt, & ante omnia diligenter

cavent, ne tum gelidus & nivosus spiret Aquilo, radices percellens, ac vires medicamentorum obtundens. Qui ex vite hunc in modum medicata nascentur racemi, dejectorij erunt ac purgantes, perinde atque vinum ex illis expressum, sicuti scripsit & adnotavit idem Florentinus, libro 1. & 2. suorum Georgicôn. Modus hic sane quam facilis est, ac valde expeditus, ut testatur Arnaldus à Villa-nova, ob causas in arboribus expositas. Hinc nimirum visa, repertaque est uva, ut ille idem scribit, cuius acinus quilibet alvum clementer movebat, habebaturque res ea pro summo miraculo. Qui uvis & vinis albis oblectantur, vitem ac vina huiuscemodi medicata sibi comparabunt: qui rubris, contra: quando velle suum cuique est, nec gustu vivitur uno.

Est alius modus comparandorum huiuscemodi racemorum facultate dejectoria præditorum cum suis vinis, quem nec tacebo, nec tibi dissimulabo. Sarmenta ex generosis vitibus, opportuno tempore seliguntur, & in vas aliquod semiplenum purgantibus potionibus, vel medicamentosis liquoribus, maceratione longa paratis, deponuntur: deinde illis terra optima remiscetur, ac tantisper resolvitur, irrigatur & curatur, donec sarmentorum & flagellorum oculi nitantur exire. Id ubi fit, more vitium cæterarum, idoneo loco circumspecte panguntur, summaque habetur cura, ne iniuriosa tracta-

tione vel tantillũ offendantur, & hinc ex suo membro excutiantur. Qui inde nascentur racemi, pro facultate succi ac liquoris, quo imbutus fuerit palmes, medicati evadent, perinde atque vinum quod ex illis exprimetur.

Alia vitium, uvarum & vinorum medicationes pulchræ & ingeniosæ, ad somnum, contra venena, & alia.

Caput XII.

Etsi quæ hic scripturi sumus, facilè & explicatè colligi possint ex præcedentibus, dicam nihilominus de illis aliter, paucis ac breviter, quantum feret materia. Si loco purgantium medicamentorum compositorum, aut diluti eorum, vel decocti simplicium, quidpiam ex ijs antidotis, quæ somnum conciliant, in liquorem solutum, ad vitis radices ablaqueatas, tempestiva rigatione effuderis, vel hypnoticas & somniferas plantas ijsdem radicibus consepeliveris, aut circum plantaveris (ut vult Dioscorides, in vino phthorio) tam uvæ quam calcata & pressa ex ijs vina, somnum facilè conciliabunt. Idem fiet, si truncum vitis selectum, ut de arboribus diximus, Gallica terebra, aut alia perforaveris, & eadem antidota foramini intruseris, ac vulnus, quo ostensum est

modo, tractaveris, obduxeris, ligaveris, ac Deo & naturæ permiseris. Si theriacem, mithridatium, aut alexipharmacum aliud eo intruseris (sublata si opus erit medulla) vel diluto eorundem, aut liquore macerationis plantarum venenis pugnantium, radices imbueris, & frequenti rigatione, eaque tempestiva perfuderis, vitem habebis antidotariam, alexipharmacam, pestifugam, & venenorum ac venenatorum omnium hostem capitalem: adeo ut nullum animal veneno imbutum, sub ea stabulari audeat, ac stationem aliquam capere. Quin etiam aiunt, acetum ex vino vitis huius antidotariæ & theriacalis factum, necnon uvas passas, miram habere facultatem contra toxica, pestilentem aërem & morbum, venenatorum morsus ac alia pleraque. Quibus deficientibus, proderunt etiam, vitis eiusdem folia trita, & venenatorum ictibus appositа. Quod si rursus horum omnium penuria fuerit, cinis sarmentorum hominem à periculo vindicabit. Nam & citra theriacem vitis cuiusque sarmentum, adversus morsum mire auxiliatur, modo non fuerit rabidus. Autores sunt (ne quis putet meum esse commentum) Pœnorum & Græcorum geoponici ac medici, & inter hos Florentinus, qui hæc posteritatem latere noluit. Cæterum hic nec omissum velim, nec intactum, quod si de huiusmodi vitibus medicatis sarmentum transferendum, aut inserendum accipiatur, vires

sui medicamenti, ut de arboribus diximus, vix resipiet, nec materni medicaminis gustum retinebit. Quare oportebit nova infusione, eaque assidua, vim senescentis succi iterare & suscitare, ut scribit Neapolitanus Palladius, rerũ agri doctor non aspernandus.

Quomodo carnes gallinarum, caponum, perdicum, columborum, phasianorum, pullorum, anserculorum, turturum, alaudarum, turdorum & similium alitum: Ad hæc hœdorũ, agnorum, lepusculorum, cuniculorum, porcellorum, & similium quadrupedum medicamentosæ fiant, ut corpus ab excrementis blande purgare queant.

Caput XIII.

EX præcedentium explicatione & doctrina facile fuit colligere, non posse rationi, aut sensui, aut experientiæ, aut doctorum virorum sententiæ consentaneam illorum esse opinionem, qui negant vires seu potestates certo generi à forma substantiali contributas (quæ in temperamenti aut materiæ proprietate consistunt) aliis nonnunquam rebus natura & specie distinctis communicari: id quod viis multis & exemplis compositionum, transmutationumque variis, in fructibus, oleribus, radicibus, vitibus & vinis, hactenus pro tenui nostra Mi-

nerva utcunque ostendere sategimus. Hinc nimirum, nec frustra, nec temere Galenus multis in locis testatur lac capræ, quæ scammoneam & tithymalos vel marinam brassicam depasta fuerit, purgatorium evadere. Id quod etiam Hippocrates non de capra modo, verumetiam de mulieribus affirmat: putatque hinc non parum referre, quo sive mulier, sive animal cibo usum sit, cuius lacte salubriter uti velis, sive sanus, sive marasmode ægrotans febre, aut ad infantulorum probam admoniam. Cum itaque sic res habeat, ut quo cibo vescuntur animalia, illius odorem & vires resipiant ac redoleant quodammodo eorum carnes: cum lactigeræ pecudes, & boves, quem delinxere salem (ut est apud poëtam) referant in lacte saporem: imo vero in butyro & caseo, cum iuniperum oleant turdi qui illius baccis perlibenter vescuntur, quidni etiam alitum quarundam & quadrupedum iuniorum medicatis rebus & pabulis, ut mox dicemus, educatorum medicatas eorundem vires & facultates in propria carne & pulpa referant, & hinc medicamentosa ea caro & purgatrix evadat? Sed quonam, inquies, modo id assequetur? Vt priscos medicos & philosophos, qui ea de re scripserunt, in præsentia omittam, ex recentioribus pro multis, Thomam Erastum proferam, quem paucis audire grave non erit. Docuit me (ait) aliquando præceptorum meorum unus, purgatorias reddere gal-

linarum carnes, & bene succeſſit in hunc modum. Decoquenda ſunt purgantia pharmaca, ut helleborus, ſcammonium, agaricus, tithymali & ſimilia, cum tritico, aut hordeo. Hoc ſolo exſiccato ſi veſcantur longo tempore gallinæ (vel huiuſmodi volucres aliæ) purgabit earum caro comeſta, nec erit admodum inſuavis & guſtui ingrata. Hæc ille. Quod artificium non ad ſolas gallinas, capones, perdices, phaſianos, & huius plumæ alites alias, ſed etiam ad quadrupedia animalcula quædam, ut hœdos, agnos, lepuſculos, porcellos, & huius pili ſimilia, prudenter accommodabis, medicato, ut diximus, domeſtico eorum pabulo. Nam de agreſtibus hic non loquimur, ſed domi vel educatis, vel educandis. Verum enim vero pretium operę iſtius fuerit eundem Eraſtum rurſus audire, eam in rem alibi paulo plenius & planius ad hunc philoſophantem modum. Hellebori radix, inquit, in aqua cocta medicatam eam reddit & purgatoriam: in qua ſi maceratus panis aut triticum à gallina dies aliquot comedatur, & in chylum, ſanguinem & carnes in eis permutetur, tum demum occidatur, coquatur, & à quopiam homine edatur, proculdubio purgandi vim & facultatem, ab helleboro contractam per tot ſubſtantiales mutationes conſervaſſe deprehendetur. Hoc ſi eſt, quis, obſecro, adeo inſanier, ut in tali carne formam hellebori, aut huius eſſentialem poteſtatem quærat? Erunt

itaque hæc, cum in præcedentibus, tum iis quæ deinceps dicentur accipienda de viribus, quæ in temperamenti aut materiæ proprietate consistunt. Non sum nescius plerosque etiã magnates superiores alites vel animalcula exenterata ac plumis & corio exuta, infarcire purgantibus medicamentis simplicibus, ut rhabarbaro, agarico, foliis sennæ, semine cartami, radicibus polypodij, epithymo & similibus, uno, duobus, vel pluribus simul, addito cinnamomo, semine anisi, vel fœniculi, necnon herbis parti ægrotanti idoneis, & congruis: tum demum hæc omnia ventri alitis, vel animalis inserta, consutoque ostiolo, per quod immissa erunt, igni lento torrenda committere: ut vaporosa medicamentorũ horum substantia imbuta caro, & ut sic dicam, insuccata medicamentosa & purgatrix evadat. Alij farctam in hunc modũ alitem, & his medicis miscellaneis intus saturatam, pingui iusculo incoquendam deponunt, eoque decocto purgante una cum carnibus salubriter utuntur: & hinc corpus à gravantibus excrementis blandè repurgant. Sed de his hactenus scriptum sit, ut aliis suum demus locum & ordinem.

Hæc itaque de medicandis arboribus, fructibus, oleribus, radicibus, vitibus, uvis, vinis & carnibus satis erunt. Quæ si placuisse, & grata fuisse intellexero, quæ apud nos latent & pulchriora & præstantiora, ex umbra in lucem communi iuvandi studio proferemus.

Artificia elegantia & expedita componendorum vinorum, quæ diversis morbis blandè ac iucundè succurrant: cum prisco ac recenti quorundam catalogo.

CErtum est priscos Medicos summo studio ac diligentia perquisivisse, quonam modo diversis affectibus corporis & animi, cum curandis, tum excitandis, vina artificiosè concinnarent, & medicata factitarent. Qualia sunt Theophrasti apud Heracleam Arcadiæ, quæ viros dementabant: Athenæi apud Thasios, quæ somnum accersebant & fugabant: Plinij Arcadica, quæ fœcunditatem fœminis importabant, & viris rabiem. Ad hæc Trœzenia, quæ qui biberant, negabantur generare: & Lycia, quæ qui gustaverant, his soluta alvus firmabatur. Hinc scilicet variæ illæ, apud M. Catonem vinorum concinnationes ad varios affectus: necnon apud Dioscoridem: & ante iam dictos omnes apud Pœnorum & Græcorum geoponicos ac Medicos, sicuti suo loco deinceps ostendemus. Horum artificia omnibus penè morbis, citò, tutò, ac iucundè, necnon (ut aliquid de meo addam) quam minimo, auxiliantia, cum legissent posteriores Medici (hinc fortasse) consulto moti fuerunt, ut medicamenta quædam purgantia, vino macerarent & horis aliquot infunderent, ad

conci-

conciliandam ei medicamentosam facultatem. Quod (Dij boni) quanto applausu & totius corporis consensu sic hauritur! Quas, obsecro, vires in corpore clementer ac blandè ita non exerit? Quam suavitatem medicamentis & rebus, quibuscum miscetur, non adfert? Quas facultates cerebri, ventriculi, iecinoris, cordis & intestinorum non roborat, substantiæ ac naturæ suæ familiaritate, quæ nobis amica est, assueta, & pene dixerim, congenita? Hinc nimirum Galenus noster, Falernum Mithridatio & Theriacæ miscendum præcepit, ut multorum amarorum, quibus constant antidota illa, iniucunditatē tegat, & ventriculo qui amara aversatur, suavitatem conciliet, contentricemque eius vim roboret. Recte itaque ac prudenter solertes Medici factitia vina excogitarunt, quæ facultates impressorum illis medicamentorum, celeriter ac iucundè toti corpori, essentiæ tenuitate ac familiaritate distribuerent, & à variis affectibus illud opportune liberarent, absque noxa, tædio, ac nausea. Horum compositiones multiplices, & artificia diversa, tibi candidè, ut omnia, proponere ac paucis exponere, nec detrectabo, nec gravabor: ut habeas è multis quæ pro arbitrio seligere & sequi possis.

Vinorum medicamentosorum artificiosæ aliquot concinnationes, tam per vindemiam, quam alio quovis tempore aggrediendæ.

Caput I.

VIndemiæ tempore, mustum ex albis racemis, iisque optimis, ac minimè vitiatis expressum (si albo vino delectaris) vel ex aliis comparatum seliges ac sepones, & antequam efferveat, in doliolum, cadum, lagenam, vel aliud vasculum, ex munda & proba materia concinnatum opportunè infundes. Sed ita, ut prius selectæ materiæ tuæ medicæ, lotæ ac purgatæ, in dictum vasculum descenderint: sive herbæ fuerint illæ, seu radices, flores, semina, species, aromata, fructus, grana, aut res aliæ quævis medicamentosæ, quarum facultates mustum imbibere, ac præ se ferre satagis. Quod equidem duodecuplam proportionem habere debet ad dictas materias plus, minùs, pro intensiore & remissiore illarum sapore, odore & qualitate. Id ubi factum erit, scutella uno latere aperta, vel illo aliquantulum sublata vinarij tui vasis osculum & supremum spiraculum operies, ut fæ-

ces sensim ab imo ad summum tendentes liberum habeant emissarium, & quod medicato halitu ac fervore sursum volitat, despumatum ad inferiora retrudatur. Vbi fervor resederit, & despumatio cessaverit, vas omnino replebitur (quod pro aliis deinceps dictum velim) & ne quid effluat, diligenter stipabitur, ac loco idoneo in usum reponetur: qui post duos menses opportunus erit. Vides quanto artificio hîc elaboratur, & quasi à natura conficitur, & ut ita loquar, incorporatur, quod iniectum & comprehensum est. Nam per naturalem musti calorem, validamque ebullitionem, interna rerum infusarum, necnon confusarum fit agitatio, velitatio & impressio. Qua vinum, multo superius, viribus propriis eas spoliare, sibique proprias facere, imbibere, & ut theologicè loquar, transsubstantiare, vijs modisque omnibus molitur, ac tandem assequitur. Ex quo medicamentosum evadit, & hinc vi admodum penetrabili, artifice industria, insitas conceptasque rerum immissarum sibique creditarum facultates, ad omnia corporis membra, in nictu oculi, iucundè perfert ac distribuit, absque ullo naturæ gravamine, tædio, nausea aut fastidio: sicuti probatum, expertum, ac summè observatum habemus, scimus ac vidimus. Hoc primum est concinnandorum vinorum artificium, paratu admodum facile, sed mihi utcunque suspectum. Nam periculum est ne musto immer-

ſæ, aut natantes materiæ, ex mora, loci natura, difflatione præpedita, & aliis vitium trahant, ac vinum ita labefactent, ut ætatem ferre non poſſit, ſed in vappam illico abeat, aut ante tempus aceſcat. Quare præſtaret, fervore vini ſedato, & deſpumatione facta, illud elutriare & in alterum vas transfundere: incluſaſque materias excludere & procul amandare. Niſi malles aliud muſtum illis ſuperfundere, & hinc comparatum vinum, quod priore multo erit imbecillius, pauperibus ægrotantibus elargiendum cuſtodire.

Eſt alter modus quamplurimis uſitatus ac familiaris, cuius talem habeto formulam. Medicæ materiæ, pro concepto cuique ſcopo electæ, in optimi muſti iuſta quantitate (comparato ad id vaſe idoneo) tantiſper coquuntur, & temperato igni ex ſemiuſtis carbonibus accenſo, tandiu leniter bulliunt, ſpuma ad unguem excluſa, donec pars tertia, plus, minus, abſumpta fuerit: aut muſtum ipſum, rerum immiſſarum ſaporem ac odorem exactè imbiberit: id ubi factum eſt, noctem integram adopertum vas, cum ſuo vino & materiis quieſcit: ſequente luce, per vimineum colatorium omnia tranſmittuntur, ac vinum ita percolatum alteri muſto (ſed minoris quantitatis) vaſe ad id accommodo, diligenter remiſcetur, & transvaſatur: aptato ad ſummum eius ſpiraculum & emiſſarium operculo, qua nuper ſcriptum

est formula: ubi perfectè deferbuit, & defæcatum est, rite impletum, operculatum & clausum, loco idoneo, in usum custoditur ac seponitur. Sed rursum modus iste (quanquam non ignobilis) sua non vacat suspicione, ob rerum immissarum ebullitionem, plus æquo (fortasse) maiorem vel minorem, intensiorem aut remissiorem, nulla graduum basi in his præscripta & observata. Nam sunt multa quæ longam coctionem sustinent, alia vero brevem: cuius si non habeatur perspecta ratio, vires decoctorum resolvuntur, & in fumos illico abeunt. Quare satius esset, ac multo consultius, medicas materias tandiu in musto macerare, donec illarum naturam ac facultates, tam gustatu, quam odoratu, induisse ac ebibisse deprehendatur. Quod ubi constabit, lenta ebullitione eaque leni, negotium, quo dictum est modo, facile absolvetur.

Aliæ eorundem vinorum artificiosæ compositiones, magis tritæ ac vulgares.

Caput II.

SVnt aliæ medicandorum vinorum methodi, quas paucis tibi expediam. Medicæ materiæ recentes, aut si id minus licet, semisiccæ & negligenter contusæ, lineo, aut cannabino sacculo admodum raro impo-

nuntur, & ad præscriptas formulas in optimo musto prænadent atque innatant, additis lapillis, si leviores erunt, ut in vino hyssopite docet Dioscorides. Vbi satis emaduerint, & maceratæ fuerint (quod ex sapore & odore musti illis imbuti percipitur) tum demum blande, & quantum licet expeditè coquuntur, despumantur, & excluso sacculo, factaque illius forti expressione, vinum ita medicatum, alteri, (sed minoris quantitatis) miscetur, & nonnihil movendo, agitatur. Id ubi exactè in suo doliolo deferbuit, diligenter repletum & operculatum, diligentius custoditur.

Alij in generosum vinum (nihil refert novum fuerit, necne, adhæc album an rubrum) selectas, pro arbitrio, medicas materias, lotas ac repurgatas immittunt: & horis aliquot, ut dictum est, ibidem macerant, coquunt, despumant, percolant: & absque ulla expressione vinum, in vas mundum deponunt, replent, optimè claudunt, & usui reservant. Hæc via trita est ac vulgaris, quam etiam novit media de plebe popillus. Probarem sane materias sacculo aut linteo, ubique includi, ut commodè, & absque vini iactura, excludi ac retrahi possint. Quod Dioscorides ubique facit.

Qui solertiores sunt & ingenio perspicaciore secreta rerum explorant, medicas easdem materias, quo dictum est modo appagatas, cum duodecupla quantitate racemo-

rum alborum, aut nigrorum miſcent, confundunt, & vindemiæ more, calcant, unaque tandiu in doliolo ad id congruo, aliorum vinorum more, effervescere permittunt, donec clarum & defæcatum vinum, ex his miſcellaneis ſecerni poſſit. Id ubi animadvertunt, tranſvaſant: & ubi iterum deferbuit, replent & cuſtodiunt. Sed ea de re in compoſitione vini Guaiaci fuſius ſcripturi ſumus. Quod ad reliquias materiarum attinet, vinum illis deſuper adjiciunt, refervescere ſinunt, exhauriunt, ut vina alia curant, & in uſum ægrotantis familiæ ſeponunt. Nam tantum diſtat inter hoc poſtremum, & præcedens, quantum diſtant (quod dicunt) æra lupinis. Hic modus mirum in modum mihi arridet, ob legitimam rerum fermentationem, permiſtionem, ſequeſtrationem, inſinuationem, & alia, quæ ſciens omitto, & volens prætereo, ne longa narratio tædio pariat.

Non deſunt qui vina iſta invaleſcente æſtu (dum inſana Canicula meſſes concoquit, & ardentes contriſtat Sirius agros) vitreis phialis, ad ſolis vivificum ignem, conficiant: artificio non damnando, & conatu nequaquam inutili, ob cauſas alibi à nobis expreſſas.

Quædam observanda, cum in præcedentibus, tum sequentibus.

Caput III.

Hic supersunt quædam, ex Dioscoride & aliis, nunc demum aperienda, quæ in octo capita paucis digeram. Primum, vinorum factitiorum vasa debere impleri: quia non plenis facile in acorem transeunt vina, & promptissimè corrumpuntur; quod populare est. Secundum, medicata vina, perinde atque medicamenta, recte valentibus insalubria esse, nisi ad morbi alicuius præcautionem sumantur, ex consilio docti & prudentis Medici. Tertium, febricitantibus summo delectu & iudicio exhibenda esse, imo vero, si Dioscoridi credimus, abdicanda; præsertim quæ cum frigorificis rebus nihil habent commune. Nam vinum ad febrem, est ut ignis ad ignem. Quartum, factitia vina mistūrarum vires sibi asciscere. Quare non difficile fuerit ijs qui rerum naturas norunt, medicatorum vinorum vires coniectura quadam assequi: ut in vino è Betonica tradit Dioscorides, quod nos paulo post describemus. Quintum, vina ista dum in usum traducuntur, & è suis doliolis identidem hauriuntur, periclitari vapescere, acescere, aut aliter vitiari, nisi maturè illis prospiciatur. Quod fiet si optimum oleum

salis expers superfundatur. Nam veluti tectorio quodam ab huiusmodi labe illa defendet. Sextum, medicamentosis vinis, ut etiam aliis, summe commodare, vel incommodare vasa in quibus reponuntur, & ligna ex quibus compinguntur. Sic factum & expertum videmus, ut vinum in cadis vel doliolis Tamaricinis conditum & servatum, lieni ac splenicis magnopere conferat, & in Fraxineis pesti ac venenis constanter repugnet, & ita de multis, ne sim narrando molestus. Septimum, vina medicata quæ cum musto fiunt, non esse usui ante 40. dies, vel menses duos ab eorum defervefactione, secus autem de aliis. Octavum, absque arduo labore & sumptu, vinum medicatum fieri sine igne & ebullitione, si quæ visum erit in fasciculū deligaveris, & vino immerseris, adiecto lapide pendulo, ut materiæ, hoc veluti ponduſculo degravatæ, in vinum descendant. Idem fiet, si linteolo raro, vel saeculo mundo materias incluseris, & ut dictum est, in vinum demiseris. Quod diebus nonnullis hinc exactis gustandum erit, & paulo post regustandum: & tandiu repetendum, donec vinum, rerum infusarum saporem ac odorem in se transtulisse & exactè ebibisse videbitur. Quod ubi deprehendes, tum demum materias excludes, & vinum habebis pro illarum facultatibus medicamentosum, tibi sedulo custodiendum, & ne diffiatum admittat, accuratè obturan-

dum. Superioribus addere parergum non erit, quod quæ insignem habent qualitatem, & vino remiscéri debent, parva mole, maximam illius quantitatem exigent, ob saporis vel odoris excellentem vim, citam penetrationem, & extemporaneam insinuationem, quæ & gustui & olfactui se se statim imprimit. Hæc si nimia erit, & ob id ingrata, dulcibus, odoratis ac suavibus emendari, vel saltem tegi & dissimulari poterit, sicuti in medicatis fructibus docuimus. Sed de artificiis vinorum medicatorum hæc satis erunt. Nunc demum restat, ut particulares aliquot eorundem formulas tibi proponamus, cum propriis singulorum auxiliis, usu & remediis: gradatim ab antiquorum placitis & formulis, ad recentiorum scripta, modos & experimenta eundo. Quod ut dictum, ita etiam factum agnoscas, sic verba ad rem confero & deduco.

Vinorum medicatorum & medicantium particulares aliquot formulæ, & præsidia, ex Græcis Florentini Georgicis.

Vinum factitium ex Rosis, Anetho, & Aniso.

IN vinum, mustum, vel aliud, conjicito rosarum exunguium & montanarum, necnon anisi & mellis partem, cum modico croco: simul ligato omnia. Id commodum erit

stomachicis & pleuriticis. Colligato prętera Anethi semen in linteo, & in vinum demittito: somniferum erit, urinam movebit, ac cibos concoquet. Rursus Anisi semen, vino ut dictum est, indes, & urinam emendabit, ac viscеribus summè proderit.

Vinum ex Asaro, Pulegio, & Fœniculo.

PRimum urinam elicit, hydropicos & ictericos iuvat, hepaticos corroborat, ischiadicos & tertianarios recreat, ac febrium rigores soluit. Secundum, adversus serpentiũ & reptilium venena utile est. Tertium, lapsam appetentiam erigit, stomachum firmat, & urinas movet.

Vinum ex baccis Lauri, Petroselino, & Conyza.

VInum ex baccis Lauri, tussi, pectori, torminibus & difficultatibus urinæ auxiliatur, senibus prodest, aurium doloribus succurrit, serpentibus ac reptilibus adversatur, & mulieres, quibus uterus strangulationem minatur, apprimè iuvat. Ex petroselino, ventriculum roborat, eius flatus discutit nauseabundos, appetentiam excitat, urinam ducit, & somnum conciliat. Ex Conyza, stomacho est valdè accommodum: paralyticis, stupentibus, tremulis, torminosis & nephriticis opitulatur, pestilentibusque morbis summè conducit.

Vinum ex Ruta, Fœnogræco, Hyssopo & Apio.

PRimum adversus venena, venenata medicamenta, flatus & reptilia auxiliare est. Secundum hepati plurimum prodest, præsertim si Fœnum-græcum fuerit contusum. Tertium, pectus purgat, coctionem iuvat, & alvo est utile. Quartum confert lotio reddendo, appetentiæ ac nervorum præcordiorumque doloribus. Sed Apij semen debet mitti contusum in vinum.

Vinum ex Absinthio & Thymo.

ABsinthij, maximè Pontici, drachmas octo contunde, & raro linteolo illiga: demum in amphoram cum cassia injice, & mustum optimum superfunde, relicto spiraculo, ut ferveſcat: deinde reple, & serva. Vsus erit ad præcordiorum ac hepatis dolores, necnon ventriculi cruditates, & affectus alios eiusdem. Ejicit etiam animalia quæ in intestinis connutriuntur. Vinum ex Thymo sic concinnatur. Thymum dum floret collectum & siccatum, terito: deinde in dolium chœnices quatuor indito, & vini albi metreta affusa dolium ad dies 40. oblinito. Potens est mulieri lac attrahere, & ægritudines fœmineas emendare.

Medicatorum & medicantium vinorum particulares aliquot formulæ, & præsidia, ex Dioscoride.

Vinum Rhodites, seu è Rosis.

ROsarum contusarum minam linteolo deligatam, in musti sextarios octo demergito, & post tres menses defæcatum vinum transfundens recondito. Vtile est his qui febre carent, & ad ventriculi coctiones, eiusque dolores à cibo potum. Valet etiam contra humidas alvos & dysenterias.

Vinum Absinthites.

VAriæ sunt apud Dioscoridem vini huius concinnandi formulæ, ex quibus hanc paratu faciliorem tibi selegimus. Absinthij Pontici mina tusa, & raro linteo deligata, in cado musti maceratur binis mensibus. Vtile est vinum id stomacho, urinam movet, coctionem tardam accelerat. Hepaticis, regio morbo, & renum vitiis auxiliatur: fastidia discutit, & iis prodest, quibus ventriculus negotium exhibet. Valet contra longam præcordiorum distensionem, & inflationes, tereteſque ventris, tineas & remoratos menses.

Vinum Hyssopites.

LIbra foliorum hyssopi tusorum, & linteolo raro cum quibusdam lapillis involutorum (ut degravatis ponduſculo fasciculus sidat) in musti amphoram conjicitur. Vinum post 40. dies defæcatum elutriatur. Prodest contra pectoris, laterum & pulmonis vitia, veterem tussim & suspiria. Vrinam cit, torminibus & horroribus febrium circuitu repetentibus auxiliatur, ac menses movet.

Vinum è Betonica.

HErbam semine prægnantem cum suis ramulis, libræ unius pondere, congiis duobus vini macerant, & post septimum mensem transfundunt. Ad multa interaneorum vitia, ut frutex ipse, pollet. Et, ut in universum dicatur, factitia vina, misturarum vires sibi asciscunt. Quare non difficile fuerit iis qui illarum naturas norunt, vinorum vires coniectura quadam assequi. Verumtamen vinorum usus febricitantibus abdicandus est. Fit etiam è Betonica acetum ad eadem vitia utile.

Vinum Thymites seu è Thymo.

VAlet contra ægras coctiones, fastidia, dysenteriam, nervorum & præcordio-

rum dolores, hybernos algores, & venenata animalia, quorum morsum frigus insequitur, aut putrescit locus. Ad eadem pollet vinum Origanites.

Vinum Salviatum & Marrubiatum.

QVod prius est, valet contra renum, vesicæ, & laterum dolores, sanguinis rejectiones, tussim, rupta, vulsa, & suppressos menses. Posterius convenit vitiis pectoris, & omnibus morbis, quibus marrubium confert.

Vinum ex Apio, Anetho, Fœniculo & Petroselino.

OMnium eadem est conficiendi ratio, & vires eædem. Sumuntur seminis apij recentis maturi & cribrati unciæ novem, linteo raro colligantur, & in musti amphoram demittuntur. Appetentiam excitat, stomachicis auxiliatur & difficili urinæ, ac faciles spiritus facit.

Vinum Granatorum.

EX variis artificiis quibus vinum istud concinnatur, hic aliquot Dioscoridi ac recentioribus probata conscribemus. Succus exprimitur ab acinis Punicorum, quibus lignosus abest nucleus (apyrena vocant) &

ad tertias decoquitur, ac ita reponitur. Efficax est contra fluxiones internas, & febrim cum alvi profluvio exortam. Vrinam movet, alvum astringit, & stomacho admodum est utile. Alij repurgatos Punicorum acinos, statim prælo subjiciunt, & expressum succum vitreis amphoris recondunt, ibique per se tandiu effervescere sinunt, quousque deferbuerit & subsidat fæx. Deinde in alias transfundunt amphoras, quod à fæcibus repurgatum eximunt, & oleum superaffundunt, ne mora longa vapescat, vel corrumpatur & acescat. Sunt qui repurgatos acinos cum pari mensura uvæ nigræ, saporis austeriusculi, remisceant, calcent, & per se effervescere sinant, quoad vinum clarum evadat. Deinde percolatum, in doliolis adservant: sic enim gustui plurimum arridet.

Vinum mirabile pro melancholicis.

QVi laborant melancholia ex bile adusta in vasis hepatis ac venarum, aut natura sunt biliosi, componant sibi vinũ secundũ aliquã ex præcedentibus formulis, quod capiat bugloss, melissæ, scolopendriæ, epithymi, behen albi & nigri, polypodij querni, foliorum sennæ, rosarum rubrarum exunguium, florum borraginis & bũgloss, singulorum mundatorum, quam voluerint partem, iuxta proportionem vini concinnandi. Huius usus salubris erit, per veris & hyemis tempora,

tempora, & maxime autumni, in quo præcipuè viget melancholia. Si diu servari debet, tuendæ tantum sanitatis gratia, & non profligando præsenti morbo, excludetur sena, & loco eius substituetur behen albi & rubri, ana (ut loquuntur) hoc est singulorum uncia una. Vinum id melancholicis tristitiam aufert, ærumnosas cogitationes abigit, lætitiam inducit, rationem componit, cor exhilarat, & humorum incinerationes emendat. Valet etiam adversus quartanas ex adustione factas, & sanguinem à limo ac fæcibus repurgat, corporisque habitum reparat. Potest id vinum alteri misceri, & solito more sumi, si paulo potentius ac medicamentosius esset.

Vinum Cardiacum seu cordiale.

FIt ex borragine, melissa, bugloss & cinnamomo. Prodest adversus cordis palpitationem, & cardiacum affectum. Sanguinem corruptum emaculat, scabiem abolet, lepram curat, spiritus recreat, & animum exhilarat. Melancholicos humores & adustos per urinas educit, ac cerebrum à crassis, turbulentis & ærumnosis melancholicis fumis expedit. Quibus addo (ait Villanovanus) quod dementes & furiosos, vinculis retinendos, plurimum recreat, & ad rationis discretionisque usum perbelle reducit. Testis est mihi conscientia, inquit, nisi viderim

matronam quandam hinc liberatam: quæ frequenter ex quavis iracundia, velut demens & imposanimi efficiebatur, dicenda tacenda loquebatur, &, adeo furiosa & intractabilis fiebat, ut ligari cogeretur, donec deferbuisset furor, & illa ad se rediisset. Fuit ei præstantissimo auxilio, & præsentissimo remedio vini istius usus, indicatus à peregrino homine quodam, eleemosynam pro foribus dictæ matronæ implorante, ut ille idem Villa-novanus scribit. Qui etiam testatur succum borraginis, aut buglossi defæcatum, seu (ut loquuntur) clarificatum, ad superiores affectus valde prodesse, si vino misceatur, & quotidie hauriatur: nec indiget ulla dulcoratione, quod ex se multum sit dulcis ac suavis succus ille.

Vinum Passulatum, vel uvarũ Damascenarum.

PAssulæ & Damascenæ uvæ, succosæ & à suis vinaceis, vel nucleolis repurgatæ, ac parum contusæ, mittuntur in vas idoneũ, cui superfunditur mustũ, & quibus dictũ est modis perficitur. Vtile est senibus, valetudinariis, pituitosis, melãcholicis, & mulieribus delicatulis. Pectus lenit, iecur & ventriculũ roborat, sanguinem emendat, putrefactioni resistit, nauseas tollit, corpus impinguat, ac belle nutrit. Asthmati & tussi auxiliatur, coctricem facultatem cum aliis naturalibus summe iuvat, & lienteriam alvique flu-

xiones compescit. Syncopen tollit, humiditates consumit, ac hydropi aquosæ succurrit. Paucis, qui hoc vino utitur, à pituitosis infirmitatibus defenditur.

Vinum Cydonites seu Cotoneorum.

VInum melites, seu cydonites sic fit. Mala cotonea, seminibus suis castrata, frustulatim scinduntur, rapi modo, ut scribit Dioscorides; & duodecim librarum pondo, in musti metretam diebus 30. macerantur: postea defæcatum vinum reponitur. Id astringit, roborat & recreat. Vnde cardiacis, stomachicis, hepaticis, dysentericis, nephriticis, & urinæ difficultatibus summe prodest. Qui post macerationem exempta cotonea coquere volet, ac per saccum excernere, & saccharo condire, habebit cydoniatum satis laudabile, & familiæ ægrotanti salutare. Est & Hydromelum multis celebratum, ac falso Hydromel à plerisque nuncupatum, cum nihil mellis admittat, & nomen habeat ab aqua, & cydoniis, quæ Græci μῆλα nuncupant. Huius compositio hunc habet modum. Novis imbribus, nimirum vernis, cælestis aqua mundo vase excipitur, diu in umbra quiescit, percolatur defæcata, & in ea tandiu macerantur cydonia, suis interaneis purgata, & frustulatim divisa, donec succus transisse videatur in colorem vini gilvi, aut pallidi. Demum aqua illa per dies caniculares longo tempore insolatur, vel

lento igni, ex carbonibus absque fumo excitato, coquitur ac despumatur: postea in vas refunditur, quod diligenter opertum, loco idoneo servabitur. Post septimum mensem pro vino uti licebit, ad omnia corporis vitia, quæ robore virium & astrictione indigent: cuiusmodi sunt resoluta, dissoluta, imbecilla, sudoribus diffluentia, & similia. Viscera omnia laxa recolligit, nauseam & vomitum compescit, lapsam appetentiam erigit, ventriculum firmat, lubricas alvos retinet, hepar calidum emendat, hæmoptoïcis seu sanguinem spuentibus succurrit, coctionem adiuvat, ac reptantes in cerebrum vapores deprimit. Ante cibum retentricem facultatem stabilit, intestinis robur addit, & depravatum illorum motum componit. Vsus eius omni ætati, sexui ac regioni, ut scribit Avicenna, valde congruit, lætitiam inducit, sitim restinguit, colorem faciei reparat, debiles renes confirmat, ebrietati ac crapulæ occurrit, & convalescentibus omnibus valde prodest. Sed de multis id illi est admirabile, quod contra auram pestilentem, venena ac venenata divinitus opponitur, & prębibitur, quemadmodum sæpius exploratum vidimus. Cæterum si quis volet ex tempore vinum cydonites sibi comparare, sed superiore multo infirmius, assata cotonea, depellata & adhuc calentia in vinum generosum mittat, & horis aliquot inibi maceret, deinde vinũ illud percolet. Vel purgata cydonia &

exenterata, in vino albo perſtrenuo ac ſubtili, diem unũ vel alterum inſuccari, & inebriari ſinat, poſtea igni lento, & vaſe mundo, ad id accommodo, excoquenda componat, vinumque illud tranſcolet, ac in uſum cuſtodiat. Si reliquias cotoneorum, ut paulo ante oſtendimus, condire volet, habebit cydoniatum non ignobile. Cui poſt ſecretionem & ſacchari miſturam, ſi una etiam Rhabarbari optimi, & ſubtiliter pulverati idoneam portionem adiecerit, aut clementer purgans ſimplex medicamentum aliud addiderit, & miſcellanea illa confuderit, tribulauerit, & recoxerit, habebit præſtantiſſimum cydoniatum, & valde accommodum alvo movendæ, & corpori vacuando, idque multo certius & ſalubrius, quam ex eo quod ſcammoniatum & diagridiatum Lugduno affertur: in quod ſcammonium ſeu diacrydium ingreditur, medicamentum periculoſum, ex quo gravia pernicioſaque ſymptomata contigiſſe ſæpius deprehendi.

Vinum obſtructiones aperiens, & melancholiam emendans.

FIt ex foliis & radicibus cichorij, ſcolopendriæ, endiviæ, & aliquot ſummitatibus abſinthij. Quæ poſt longam maceratione in vino, & ſufficientem decoctionem percolantur, & vinum aliud ſuperfunditur, recoquitur, ac poſtremo per colatorium ex-

ceptum, priori miscetur, & in vase idoneo reservatur. Si insignem amarorem aut gustum aliquem ingratum præ se tulerit, emendabitur, quo dictum est modo in fructibus medicatis. Valet tale vinum ad tollendas obstructiones hepatis, lienis & viscerum, amoliendosque affectus hinc natos: quales sunt icterus, nubilium pallidi colores & similes. Si uncia una, vel drachmæ decem epithymi & polypodij quercini modicè contusorum, macerentur in selibra generosi vini albi, & leniter ferveant, deinde percolentur & hauriantur, melancholicis opem miram adferent, si potio per aliquot dierum intervalla repetatur.

Vinum Euphragiatum ad oculos.

Mittitur Euphragia in mustum, & quibus dictum fuit modis conficitur vinum, cuius usu oculi senum iuveniles fiunt. Nam impedimenta quibus visio depravatur, aut imbecillior evadit, ab omni homine, cuiuscumque fuerit ætatis, habitus & temperamenti aufert. Novi quendam, inquit Arnaldus, multo tempore nihil videntem, & hinc vitam misere trahentem, qui intra annum, præsidio huius vini, visionem sibi reparavit. Nam eo privilegio dotata est planta unde conficitur, ut vitiatis oculis præsentissimo sit remedio: adeo quod si pulvis eius cum vitello ovi exhauriatur, rem miram

in restauranda visione præstabit. Idem fiet, si cum vino albo propinetur, cui præmacerata vel prębullita sint aliquot fœniculi grana. Cuius rei testes sunt multi adhuc superstites (inquit Arnaldus) & fide digni, qui facto experimento, literas etiam minusculas & subtiles legerunt, cum antea, absque perspicillis & ocularibus, ne maiusculas quidem videre possent. Si id vini aqua fœniculi temperaveris, eius vires summe augebis.

Vinum enulatum.

VInum in quo per triduum macerata fuerit enula campana, seu Helenium, mirabili effectu visum illustrabit, & pesti pugnabit, menses ac urinas movebit, inflationibus, torminibus, serpentium morsibus, & tussi ac pectoris vitiis etiamnum auxiliabitur.

Vinum salviatum.

QVocumque fiat modo vinum è salvia, sive per decoctionem plantæ in vino, sive per suspensionē eiusdem in sacculo, mirabilis est usus & facultatis adversus gingivarū vitia & relaxationes, dentium vacillantium dolores, nervorum & nervosarum partium affectus, paralysim, contractionem, convulsionem, tremorem, & similes. Nam nervos valde roborat, recreat ac sustinet, tam potu, quam calente fotu, post longam &

blandam frictionem. Nec quidquam est, ut tradit Arnaldus, eo præsidio certius ac melius. Prodest etiam adversus epilepsiam, quæ vitio stomachi, vel uteri, per partium sympathiam & consensum excitatur.

Vinum Hyssopites.

HOc vinum cum glycyrrhiza dulcoratum, vel saccharo, proprie & peculiariter vinum senum dici solet. Nam vim habet digerendi, incidendi, tenuandi, tergendi, aperiendi, attrahendi, & urinas movendi. Magno est auxilio in humida tussi, & epilepsia, maximè puerili. Humiditates ventriculi & uteri desiccat, potu & fotu. Pulmonis bronchia ab infarctu & obstructione liberat; vias omnes vocales à pituita expedit, hydropicos iuvat, & humiditate laxatas partes, fomentis calidis desiccat, reficit ac roborat.

Vinum Fœniculatum.

COnficitur hoc vinum ex semine Fœniculi, valetque plurimum adversus oculorum caliginem, ventris flatus & tormina, hydropem & cachexiã, seu malum corporis habitum, in pueris maxime, quod se expertum tradit Arnaldus. Præterea venenis ac cibis malarum qualitatum occurrit, & contra tusses, pulmonisque vitia summè opi-

tulatur. Lac & genitale ſemen multiplicat, nauſeam tollit, laterum dolores ſedat, colicos cruciatus demulcet, ventos internos diſſipat, coctionem iuvat, obſtructa aperit, ſplenis, hepatis ac ventriculi labores finit. Si ex radicibus componatur id vinum, nephriticis & renum calculo vexatis medebitur, urinas proliciet, veſicæ commodabit, ac menſtrua ſolvet.

Vinum Eryngiatum.

FIt, ut cætera vina, tam ex radice quam tota planta. Stranguriam & urinæ ſtillicidium ſtatim ſolvit addito ſaccharo, & ad generationem mulieres ceſſantes excitat, imo etiam viros, ſemen augendo. Menſes ac urinas pellit, & tormina inflationeſque diſcutit. Prodeſt etiam contra iecinoris vitia, venena, peſtem, & alia à multis experta.

Vinum Aniſatum.

OBſtructiones internas liberat, flatus diſcutit, ructus acidos componit, coctionem reparat & coli excarnificationes emendat. Sed omnium maximè mulieribus prodeſt, quibus lac multiplicat, ſi comite optimo ſaccharo affatim diebus aliquot hauriatur: nam ſic efficaciſſimum eſſe cenſetur. Renum dolores & vitia ex flatibus amolitur, ac arenulas ab ijſdem clementer ex-

cludit: maximè si quis præsumpserit dianisum & diatragacanthon. Nam statim cruciatibus sedatis, à congestis arenulis emundantur renes, & una cum urinis eluuntur.

Vinum Rhodites, seu è Rosis.

ÆStivum dici potest vinum hoc, quod per æstatem & calores corporibus summè conveniat. Fit ex rosis rubris exunguatis, desiccatis, & musto, ut dictum est, impositis ac tractatis. Idem multo citius, sed imbecillius, concinnabitur, si in vini amphoram tantum rosaceæ aquæ immittatur, quantum cuiusque gustus & odoratus ferre poterit. Internos æstus refrigerat, cor & viscera roborat, facultates corporis vanescétes sustinet, membrorum laxitatem firmat, dissoluta resarcit, dissipata recolligit, diffluentes sudores continet, putredini resistit, & pestilenti auræ ac febri, præstantissimum est remedium. Biliosis & calidis naturis admodum est salubre, efficaciterque prodest contra lienteriam, dysenteriam, retentricem imbecillam, vomitum, nauseam & syncopen, maximè si aqua pluviali & chalybeata temperetur. Si eo frequenter os colluatur, prꝛterquam quod dentes imbelles firmabit, & fluidas gingivas roborabit, etiam halitus summam gratiam præstabit. Si facies eo lavetur cum succo limoniorum, indicibile

decus, & admirandam venuſtatem illi comparabit. Si guttula una oculis inſtilletur, illorum aciem emendabit. Nam ratione vini detergebit ac mundabit: & roſarum cauſa, oculorum ſubſtantiam roborabit, recolliget ac firmabit.

Vinum Halicacabi ſeu Alkekengi.

HOc vinum fit ex Halicacabi acinis ſeu ceraſiis, quando ſub vindemiam in ſuis veſiculis flaveſcunt, & hinc maturitatem præ ſe ferunt. Compoſitio caditin aliquem modorum initio deſcriptorũ. Si ad extemporaneam concinnationẽ urgeret neceſſitas, hac incedes via. Aliquot ex dictis ceraſiis in generoſiſſimo vino albo conterentur, macerabuntur, una ebullitione fervebunt, percolabũtur, & addito ſaccharo, vel tantillo cinnamomi, ſi opus erit, vinũ haurietur. Valet contra dyſuriam, urinæ invitam retentionem, ac difficilem eius expulſionem. Nam ſtatim illam elicit, & quantumcunque ſuppreſſa fuerit, abunde fluere cogit: unà è renibus arenulas adeo copioſas & attritos calculos ſecum educens, ut mane excipi & facile diſcerni poſſint. Hinc fit, ut aſſuetus, & domeſticus illius uſus nephriticos & calculoſos multos à ſæviſſimis cruciatibus, ceu à quopiam immani tortore, quaſi divinitus, me monitore & conſultore, eripuerit. Sed uſum illius imperabam circa novilunia & paulo

post, repurgato prius corpore cum recenti cassia rhabarbarata. Si inveteratus erit affectus, ut in senibus, longiore mora & usu opus erit. Sed eam in rem succurrit historia, ab Arnaldo Villa-novano ad hunc descripta modum. Fuit tempore meo Cardinalis quispiam, cui per totum quatriduum adeo urina supprimebatur, ut iam totus venter inferior, utris modo, miserè turgeret: ex quo nihil promoventibus remediis, pro deplorato & conclamato habebatur, nisi quidã Medicus Empiricus, velut ad machinas deus, opportunè illi adfuisset, & magno ac fœlici successu, vinum halicacabi propinasset; nam hinc usque adeo solutus fuit ei vesicæ sphincter & ostiolum, ut concham unam, inquit Arnaldus, iugiter effuso & reddito lotio, impleverit. Quo solo experimento medicus ille, alioquin ignobilis & parum eruditus, magnus ac dives evasit.

Vinum Caryophyllatum.

CAryophylli sacculo aut linteo raro incluſi merguntur intra mustũ: vel, quod satius est, suspenduntur. Vnum valebit contra asthma antiquum, & putrem senum tussim, syncopen & epilepsiam. Coctionem iuvabit, frigidum stomachum recreabit, & halitus suavitatem conciliabit. Verumenimvero quia corpus summè calfacit, consultissimum fuerit, ei vel saccharum vel glycyrrhizam addere, aut aquam rosaceam.

Vinum Gramineum.

COmponitur ex radicibus graminis seu centinodiæ, vel polygoni probe mundatis & elotis. Lumbricos occidit, renes ab arenulis vindicat, vesicam lotio gravidam & impeditam exonerat, obstructiones hepatis aperit, necnon mesaraicarum, quæ ex cruditatibus fiunt. Dolores arthriticos placat, vacuata eorum materia pituitosa per urinas. Nam radix graminea etiam inter diuretica recensetur. Si vinum id concinnare voles ex polygono mare, seu centinodia, quam officinæ corrigiolam vocant, & linguam passeris, habebis præstantissimum auxilium, mihi sæpenumero in quamplurimis fœlicissimè expertum ad vitia omnia renum & vesicæ, maximè contra arenulas, calculum, nephritim, dysuriam, & colicos ex his cruciatus.

Vinum Ebulatum, seu ex Ebulo vel Chamæacte.

VInum hoc solutivum est alui, & fit ex acinis ebuli maturis. Qui vindemiæ tempore parum calcati in musto fervent, despumantur, per colatorium vimineum transmittuntur, & vinum defæcatum usui custoditur. Aliter, cum musto, lento igni fervent, donec pars tertia absumpta fuerit: deinde

ſpuma excluſa, nocte una ſub dio quieſcunt: poſtridie, ut prius, percolantur. Sunt qui pro acinis radices uſurpent, & quo dictum eſt modo, componant. Pituitam & bilem trahit, hydropi medetur, vulvarum clauſtra aperit, ulceribus tam internis quam externis prodeſt, ac omnium maximè iſchiadicis, podagricis, & lue Venerea infectis. Nam vi ſua deiectoria, dolores eorum mirificè demulcet, vacuata & revulſa materia, quæ ad fluxum parata erat, & iam iam fortaſſis viam ſibi fecerat. Sed ſtomacho nonnihil incommodat, ob id odoratis in vinum miſſis recreandus ac roborandus erit.

Vinum Guaiaci & eius legitima compoſitio ac vera exhibitio: cum exacta methodo curandæ luis Venereæ, ſeu ſcabiei Hiſpanicæ, aut morbi Neapolitani, ex Petro Andreæ Matthiolo Senenſi.

CAvendum eſt à quibuſdam impoſtoribus, qui cum ſint earum ignari rerum, quæ ad Medicæ facultatis contemplationem ſpectant, dum lignum Guaiaci, vel eius cortices ex vino decoquunt, cyclaminum, bryoniam, pityuſam, colocynthidem, & turpetum admiſcent, atque alios mille cacodæmones, qui eos de medio tollant. Quippe nulla habita temperamenti, ægritudinis, temporum anni, ſexus, nec ætatis ratione, ſingulis diebus huiuſce decocti tepidi cya-

thum omnibus indifferenter potandum exhibent. Quo fit, ut si sorte quadam unum quandoque persanent, decem postea iugulent, tanquam improbi carnifices. Verum ut quisque horum manus evitare, atque effugere possit, operæpretium visum est vini Guaiaci conficiendi rationem subiungere, ac subinde hauriendi modum addere. Sumito igitur ligni Guaiaci præstantissimi, lima in scobem tenuissimam attriti, aut tornatili instrumento minutim conciſi, libras quatuor, corticum eiusdem libras duas: cardui benedicti libram unam & semis: adianti, asplenij, florum utriusque buglossi, cuiusque libram: cassiæ odoratæ drachmas sex: seminis anisi sesquiunciam, sacchari libras quinque. Deinde conijciantur omnia in cadum vinarium mundum aptæ capacitatis, desuper affusis vini albi quamoptimi & ferventis, libris centum & quinquaginta. Mox diligenter vas operculetur, omniaque sic macerari triduo dimittantur. Post triduum vero linteo percolentur, asserveturque huiuscemodi macerationis vinum in alio vase ad ægrotantium potum. Siquidem bibitur hoc tam in prandio quam in cœna, secundi Guaiaci decocti loco: non mane, neque vesperi serapij vice, quemadmodum temere multi facere consueverunt. Hoc idem vinum longe etiam melius, & maiore quantitate vindemiarum tempore confici potest, admixtis ligno, cortice, cæterisque aliis, recentibus uvis albis

in mustum compressis, ibique tandiu dimissis, quousque mustum effervescere desinat, & pellucidum clarumque reddatur: verumtamen multiplicanda sunt omnia, quæ conueniunt medicamenta pro uvarum ratione.

Præter huius vini potum cibis associandum, bis in die, mane scilicet & vesperi, tribus aut quatuor horis antea quam sumatur cibus, ægrotantibus exhibeo decocti ligni ex aqua, secundum communem medicorum usum, senas uncias, admixtis unciis duabus liquoris hoc modo parandi. Sumito, primum adianti, lupi salictarij, fumariæ, asplenij, sennæ, singulorum manipulos tres, radicum centaurij magni, glycyrrhizæ, filiculæ, utriusque buglossi, singulorum uncias quatuor: seminis anisi, melanthij, florum sativi & erratici buglossi, omnium santalorum, cassiæ, quam cinnamomum vocant, singulorum drachmas quinque. Hæc ex aquæ libris viginti quatuor, decoquantur ad tertias, demum colentur. Sumito deinde præstantissimæ sennæ libras duas: conijcito in vas fictile oris angusti, demum percolatum decoctum fervens superimponito, ac inde obturato fictilis ore pulvinari anserinis plumis farcto, ignique prius calefacto, fictile involuito, & loco calido collocato, ac ita per diem & noctem reponito. Postridie vero manibus senna premitur, mox dilutum percolatur: cui adijciuntur diluti rosarum efficaciter alvum subducentis libræ sex, sacchari libræ octo:

effer-

efferveſcunt deinde ſimul, ſubiecto igne quouſque tertia pars vaneſcat. Quo facto additur electiſſimi Rhabarbari minutim conciſi uncia, ac ita iterum fervent omnia, donec zulapij modo conſiſtat liquor. Poſtremo percolatur linteolo, & vaſe vitreo reconditur. At ſi ægrotantes multa pituita redundent, decocto præſcripto, optimi turpeti uncia utiliter addi poteſt.

Supereſt victus ratio, quæ ægro talis præſcribenda eſt, ſcilicet ut tam in prandio, quam in cœna edat panis ternas tantum uncias, ſitque is ſimilaceus, ac probè in clibano coctus: ad hæc tantundem carnis pullorum gallinaceorum, perdicum, attagenarum, turdorum ac avicularum, in ſylvis, vineis ac montibus victitantium, aſſatæ potius quam elixæ: quin & uvæ paſſæ modicum. Bibat autem oportet præſcripti vini æquam cum cibo menſuram. Quod ſi quis purum id bibere non poſſet, diluatur aqua, quæ in phialis vitreis, addita Guaiaci unciola, brevi temporis ſpatio efferbuerit.

Tempus huic curationi aptiſſimum eſt Ver, Martio, Aprili, & Maio menſibus. Quod ſi hoc tempore fieri non poſſit, fiat menſe Septembri in Autumno. Nam ſicut æſtivis ardoribus, & exurente iam Sirio, non modo diuturna pharmaca, ſed ne brevia quidem tolerant homines: ita nec brumali tempore, dum ingenti frigore ſævit hyems. Interea ægris ſine metu noxæ indulgere licet, modo

cæli serenitas adsit, ut quandoque in proximis hortis ac viridiariis, solatij causa, lento gradu deambulent. Quippe, quoniam huiusmodi hortorum amœnitate animus plurimum levari solet.

In hac etiam curandi ratione, quosdam magis, alios minus perseverare oportet, pro morbi necessitate, & salutis mensura. Hac ergo ratione vinum Guaiaci exhibitum, non modo medetur cuique acerrimo luis & Neapolitani morbi incommodo, sed etiam diuturnis articulorum, capitis, nervorum, ventriculi, iecinoris, lieniſque morbis à pituita genitis mirificè succurrit. Nec minus etiam podagra laborantibus opem fert, modo diuturna admodum non fuerit ægritudo. Porro etiam illud in hoc observandum est, quod ego Guaiaci vinum iis tantum potandum exhibeo, quibus tantum pituita redundet, vel saltem non exuperet bilis: siquidem biliosis secundum ac tertium ligni ex aqua decoctum, vini loco semper cum cibis præbendum censui, ut communiter ab aliis fieri solet. Hactenus Andreas Matthiolus Senensis, medicus doctiss. & diligentiss. suis in Dioscoridem Commentariis.

Compositio præstantissimi vini & diluti è sena, secundum Ioan. Mesuem, & Andream Matthiolum.

VIno musteo albo, inquit Mesues, miscebat quidam vim magnam fenæ, post

tres menſes potandum dabat, ſicque purgabat cerebrum, & ſenſoria inſtrumenta, gaudiumque augebat. Sunt qui decocto ſenæ cum prunis & ſpica fœliciter purgent : ſed modicam coctionem ſuſtinet. Infunditur ab aureis tribus ad unciam unam. Clementer deturbat melancholiam & bilem uſtam à cerebro, ſenſuum organis, pulmone, corde, hepate & liene. Proindeque morbis dictarũ partiũ, ab humore huiuſmodi proficiſcentibus ſuccurrit, ut melancholicis febribus & antiquis : gaudiũ gignit, ablato humore ſine cauſa externa triſtante. Floridũ corpus efficit, & viſcerum obſtructiones aperit. Venio ad eximiam illam & exactam præparationem diluti ſenetici, aut, ſi mavis, è ſena, quam Andreas Matthiolus medicus celeberrimus hunc in modum præſcribit. Sumuntur foliorum electiſſimæ ſenæ drachmæ ſex : zinziberis, aut cinnamomi contriti drachma una: florum bugloſſi drachmæ duæ: miſcenturque omnia, & fictili vitrato aut ſtanneo vaſe anguſti orificij excipiuntur, affuſiſque ferventis aquæ, vel ſeri caprini unciis decem vaſis oſculum adeo occluditur, ut nullus omnino ſpirandi pateat exitus. His peractis, pulvinari plumis anſerinis farto, ignique calefacto vas involvitur, reponiturque in arca, ubi pernoctare ſinitur. Sic enim conſervato calore, dilutum omnem facultatem in ſe recipit. Educet non ſolum bilem utramque, ut ex Meſue diximus, ſed etiam

pituitam, ut tradit Actuarius, & experientia probat, ad hæc aquas & serosa excrementa. Mundat cerebrum, cor, iecur, lienem, pulmonem, & omnes corporis sensus, confertque omnibus eorum incommodis : auget iuventutem, senium tardat, & animi hilaritatem inducit. Cor roborat, maximè si commisceatur medicamentis, quæ illi sunt amica, ut violis, rosis, floribus utriusque buglossi & similibus. Præterea delirio, ut tradit Serapio, mirificè prodest, necnon amentiæ, resolutioni nervorum, phthiriasi, cephalalgiæ, scabiei, pustulis, pruritui & epilepsiæ. In universum medicina est optima, morbis omnibus diuturnis & melancholicis. Decoctum foliorum eius & chamæmeli, cerebrum & nervos lotione roborat, aciemque oculorum & auditoriam facultatem plurimum emendat. Sed prætereundum non est, quod in morbo Hispanico, ex Manardi sententia, maximopere pollet, putres materias ac pituitam, contra Averrhois opinionem, vacuando & expurgando. Verum in facultatibus senæ hic versatum satis : quas qui fusissime nosse volet, legat opusculum de sena supra insertum, planta hominibus inter alias omnes beneficentissima & salubertima. Illic inveniet quæ didicisse iuvet.

Obſervationes & Annotationes quædam in præcedentes vinorum medicatorum & medicantium compoſitiones.

VIna quæ in uſum medicum ſeligere & concinnare voles, alba vel pallida, aut ijs media è generoſa vite, & bene maturis uvis, non vitiatis, nec putribus eſſe convenit; in quibus certis ex arte proportionibus, ut medica ars exigit, materiæ ſuis viribus exſpoliandæ immergentur, mundo vaſe & ex legitimo ligno conformato: niſi mavis priſcorũ more, in vitratis teſtaceis & probe coctis figlinis, id exequi. Quo loco naturali vini ebullitione à natura perficietur, quod arte eſt quæſitum, atque ita natura & ars mutuo ſe iuvabunt, mutuaſque operas invicem præbebunt. Res enim in muſto poſitæ, dum per naturalem eius ebullitionem in vaſe invicem colluctantur, à vincente & fortiore muſti virtute ſuis exuuntur facultatibus, ipſique muſto, ceu hoſpiti, libenter committunt, & una corpus unum efficiunt, eoque modo, ut ita dicam, concorporantur & tranſſubſtantiantur, ut cum Theologis loquar, vini calore id moliente. Quod quidem vinum, quo generoſius & ſuavius fuerit, eo penetrabilius erit, & per ſingula corporis membra ſubtiliori actione ac velociori ſuas vires diffundet. Ex quo refocil-

lata corporis natura, fortius & alacrius resistet his affectibus qui illam premunt, gravant & lædunt. Adde, quod dum medicæ materiæ in musto fervent & ebulliunt, id habent commodi, quod earum virtus nequaquam in auras resolvitur & vanescit, nec aduritur, debilitaturve, aut fumum olet, ut fieri solet cum à materiali igne res ea à popularibus pharmacopœis perficitur. Suscipit itaque & imbibit vinum qualitates rerum quibuscum miscetur, estque illarũ gratus ac iucundus cituſque delator ad minimas & occultas corporis partes, à quibus ob naturæ familiaritatem & delectationem, sane quam libenter excipitur, & obuiis, quod dicunt, manibus plausibiliter amplectitur, absque ullo metu & horrore, ut fieri videmus in purgantibus medicamentis, ob tetrum illorum odorem, ingratum colorem, & abominandum saporem, qui longè absunt à medicatis hisce vinis, aut si adsunt, odor præsertim & sapor, facile & derepente occultari & emendari possunt, saccharo, melle & glycyrrhiza, uvis passis, pulveribus odoratis, vel similibus stomacho non ingratis nec insuavibus. Sed in omnibus omittendum non est, quod vinorum istorum penetratione, celerique distributione per occultos corporis meatus vna eademque via corpus expurgatur, & viscera ab infarctu & obstructionibus, vino viam vi faciente, illico liberantur, expediuntur & roborantur: ma-

gno corporum commodo, & incomparabili iuvandi compendio. Nam reseratis obstructionibus libera datur excurrendi via spiritibus, nativo calore comitatis, in quo omnium vita iacet. Quandoquidem nativus calor pressus & conculcatus, adeo debilis evadit, ut solita obire munia vix possit, & concoquendo, purum ab impuro secernere; unde cruditates, putredines, & ex iis morbi. Sed hæc quia huius non sunt instituti & scopi nostri, idcirco verbum non amplius addam.

CORPORA MORTVA CONDIENDI MODVS.

AD LECTOREM.

MVLTOTIES miratus sum (amice Lector) quod hac tempestate vita functorum corpora tam negligenter & imperitè condiuntur, ut per brevi spatio ita corrumpantur, ut quocumque loco ponantur, eorum fœtor ferri non possit, ideoque protinus altè humi defodienda sint, unde affinium sequuntur querimoniæ adversus Chirurgos, minime licet culpandos. Quamobrem quorundam honoratorum illustriumque virorum precibus adductus Corpora mortua condiendi methodum paucis paginis complexus sum,

simulque balsama aliaque ad hoc institutum spectantia apparandi. Primum modum trium ventrium evacuandorum incisionesque in partibus musculosis faciendi: tum aceti compositi, balsamorum & linimenti ad universum corpus inungendum rationem trado, postquam scilicet corpus conditum est. Verum Chirurgum qui balsamum condiendumque corpus suscipiet, monitum volo, ne plus æquo in medicamentorum suæque operæ solutione exactum se præstet. Medicina enim, cuius Chirurgia pars est, ars est liberalis, quæ liberaliter exerceri debet. Ideoque ei consulerem, ut Medicum advocaret, tam ut prædicti aceti compositi & balsami confectioni interesit, quam ipsi condituræ, ad iusti præmij solutionem decernendam, artis gloriam, affinium amicorumque vita functi desiderium.

CORPORA MORTVA CONDIENDI MODVS.

IMprimis longam inciſionem Chirurgus efficiet, quæ à collo, parte interna, ſub mento parte editiſſima incipiet, ut ſub gulæ nodo, protrahenda ſecundū ſterni longitudinem, idque in medio, ſupra ventrem ſecundum lineæ albæ ductum, uſque ad os pubis. Quæ in thorace & ſterno fit, ad os uſque adigetur: quæ vero in abdomine ſeu ventre inferiori, capacitatem ſubibit. Sectio iſthæc hac ratione adminiſtrata cutem & muſculos in pectore ſitos ſimul divellet, idque iuxta coſtas, ex utroque latere, uſque ad axillarum regionem.

Hoc peracto ſterni cartilagines utrinque incidentur, hinc ſternum ſecto mediaſtino (quod pulmones in partem dextram & ſiniſtram dirimit) extrahetur. Qui præſentes aderunt, ſi pulmones, cor, parteſque alias in thorace contentas videndi deſiderio teneantur, ſingulas ſeorſim oſtendet.

Deinde in principio & ſummitate inciſionis in gula celebratæ, per tranſverſum aſperæ arteriæ partem editiorem cum œſophago

secabit, & statim thymum, pulmones, cor cum pericardio ad diaphragma deprimet.

Si cor servandi seorsimque condiendi consilium sit, in pericardio, in quo includitur, incisio fiet, extrahetur ex illo, seponeturque; sin minus, cum pulmonibus relinquetur.

Paulo post dispicientur (si opus sit) patefientque partes in inferiori ventre comprehensæ, quæ sunt epiploon, ventriculus, inspecto utroque illius orificio superiori & inferiori; hinc intestina, iecur, lien, renes, vesica, uterus in mulieribus, unaquaque parte diligenter observata, si ita postuletur.

Omnibus illis partibus, tam pectoris, quam ventris inferioris animadversis, universus diaphragmatis ambitus incidendus, quam proximeque à dicto ambitu, cui secundum rotunditatem colligatum est diaphragma, secernetur: & illico deorsum detrahetur, quicquid in thorace & ventre inferiori continetur, elegantiori quoad poterit ratione, omniaque isthæc interanea in ingentem pelvim imponenda.

Utroque illo ventre vacuato & mundato, hoc est, exsucto cum crassioribus spongiis sanguine ex venis & arteriis amplioribus effluxo, ad caput progrediendum erit.

Calvaria seu cranium in circuitu serra accuratè secandum, prout in dissectione Anatomica celebratur, incisa primum cute, exquisiteque raso circa incisionem pericranio:

apertoque cranio cerebrum cum omnibus partibus, si ita flagitetur, considerabitur.

Deinde penitus extrahetur, in pelvimque immittetur cum extis, quæ postmodum in doliolo benè compacto servabuntur, cum sanguine ex tribus dictis ventribus, capite scil. pectore, & ventre inferiori expresso, prout dictum est, adipibusque secretis: & quamprimum doliolum à vietore undiquaque humi defodiendum compingetur.

Sin autem asservanda exportandaque fuerint exta atque cerebrum, huncin modum condientur.

Vacuato haustoque sanguine, ichoribus excrementisque intra cum illo contentis, primum abluenda erunt oxycrato tepido, ex quatuor aquæ partibus atque una aceti generosi composito, deinde ex aceto composito etiam tepido, posthac describendo; vel aceto solo, si ingredientia ad acetũ compositum necessaria desint, ea undique altero ex balsamis inibi descriptis conspergendo. Postea in doliolum optime foris & intus picatum conjicientur, rite obturandum, rursusque partibus adiectis picandum; in fascem demum seu sarcinam contexendum ex tela cera illita & undique funibus colligandam: in maiusque dolium immittetur, rite pariter occludendum ad itineris & vecturæ agitationem subeundam.

Capite, pectore, & ventre inferiori sic vacuatis mundatisque, eorum conditura

ſuſcipietur, à capite incipiendo, cuius partibus internis rite lotis perfuſiſque dicto aceto compoſito vel ſimplici, illo deficiente, alterutro balſamo illitis, præſto erunt ſtupæ electæ vel goſſipium, unde ſtrata concinnabuntur: quæ dicto aceto compoſito imbuta, balſamoque inebriata, ſuperimponuntur, uſque ad integram cranij farturam oppletionemve. Quo facto, reſidua cranij pars obtegens, aceto eodem irrigata balſamoque perfuſa, per totum ambitum elegantiſſime ſutura pellionis conſuetur.

Eadem ratio in thorace intus & foris ſervabitur, perforatis (antequam iſtæ partes aceto foveantur) intime undiquaque craſſiuſculo mucrone aut veruculo transfigendis lardo carnibus, muſculis carnibuſque ad cutem uſque, citra tamen huius fodicationem, tum ad venarum occurrentium ſanguinis effluxum, tum ad aceti penetrationem. Idem in ventre inferiori adminiſtrabitur.

Aurium foramina, ut & nares & os, ſtupis vel goſſipio implebuntur, dicto aceto balſamoque imbutis.

Pecten & ſcrotum hoc pacto condies. Inciſione facta ab extremitate glandis inferne, recta per ſcroti lineam ducta, ourethra ſecta, dictoque ſcroto profunde bipartito uſque ad perinæum: illæ omnes partes aceto abluentur, balſamo implebuntur, atque concinnè ſuentur.

Partibus dictis probè conditis, longæ altæque inciſiones in brachiis, dorſo, coxis, cruribuſque, maxime circa ingentes venas & arterias, celebrabuntur, ad exprimendum exorbendumque cruorem ſpongiarum ope, hincque ad eas aceto perfundendas, balſamumque imponendum, ſic procedendo.

Primum, in brachiis fiet inciſio, à ſummo ſub axilla ad metacarpium ducta adactaque oſſium tenus, eademque opera venæ arteriæque axillares, aliæque incidentur: hinc dicto mucrone ſeu veruculo, muſculi carneſque undique transfigentur (intacta ut dictum eſt cute.) Poſtea dicto aceto abluentur, inciſioneſque ſtupis vel goſſipio balſamo inſuccatis infarcientur, ſuturaque pellionis apte compingentur.

In coxarum parte interna eadem ratio quæ in brachiis celebrabitur, ab inguinibus ſecando ad genua uſque, venis cruralibus popliteiſque &c. inciſis, muſculis carnibuſque omnibus penitiſſimè confoſſis, aceto, balſamo, ſuturaque ut ſupra adhibitis.

His omnibus exactè celebratis, cadaver in ventrem reclinabitur, inciſioque in dorſo ex utroque latere inſtituetur, ab emunctorio pone aurem, ad omoplatam continuabitur, iugulares externas internaſque in tranſitu ſecando, arteriaſque caroticas in collo exiſtentes, cuando ut ſanguis probe effluat, dictam inciſionem ſecundum dorſi longitudinem per nates, coxas, ſuras ad

talum ducendo, & ad ossa usque adigendo. Sanguine ut decet evacuato, carnes transfigentur, fotus, perfusiones, fartura, suturaque modis expositis peragentur.

Ita sectio in manuum volis per medium fiet, à metacarpio, parte interiori, usque ad medij medicique digiti interstitium, ut etiam in pedum plantis, à talo usque ad medios digitos utriusque pedis, musculis circum circa penitus confossis, illæsa cute, ablutis, balsamo delibutis affabreque consutis.

Quod ad manuum pedumque digitos attinet, cuique digito longa incisio parte interiori, adigetur, dicto aceto fovebitur, balsamo stipabitur, aliquot punctis acu suetur.

Condiendæ autem nequaquam partes erunt, quin prius fotæ ablutæque fuerint aceto, vel simplici, vel composito infra describendo.

Hac conditum ratione corpus, extra undique terebinthina communi vel Veneta, in oleo communi, rosaceo vel spicato dissoluta illinetur, deinde linteo vel tela cera inducta operietur, sarcophagoque plumbeo includetur: cuius partes vacuæ herbis aromaticis exsiccatis implebuntur, cuiusmodi sunt ruta, absinthium, thymus, scordium, maiorana, aliæque in balsamorum descriptione proponendæ, deinde occludetur consolidaturque.

Modus condiendi cor.

COr dicto aceto lotũ, in illo infundetur intra vas fictile vitratum, ſtanneum vel argenteum, probe operculatum, atque paſta, vel glutine obductum (ne aër intro ſubeat) per quinque ſexve dies: quibus exactis, dictum cor extrahetur, perque venas & arterias ambo ventriculi balſamo implebuntur, ſtupis vel goſſipio aceto madidis involvetur, ſacculo ex tela cera illita imponetur: qui ſacculus probè conſuetur, hinc in thecam plumbeam, vel argenteam, vel ſtanneam in formam cordis vel aliam immittetur, probeque conſolidabitur ad ſecuram tranſlationem.

Dominus Guillemeau Chirurgus Regius ordinarius, *tractatu de modo corpora mortua condiendi* rationem condituræ deſcribit citra inciſionẽ eviſcerationemque, ut integra ſerventur, quam obſervaſſe ſe tradit in Belgio in cuiuſdam illuſtris viri corpore, cuius affines expetebant ut integrum in Hiſpaniam veheretur.

Modus id præſtandi inibi patet, quo Lectorem ablego.

Advertendum, ſimplicia quæ balſama deſcribenda ingrediuntur, cuiuſmodi ſunt radices, herbæ, ſemina &c. ſi humidiora fuerint, priuſquam triturentur pulverenturque, debere in umbra exſiccari, vel ſupra,

vel

vel intra clibanum, extracto pane, cavendo ne torreantur.

Descriptio aceti compositi ad tepidum partium fotum, ante unius ex balsamis applicationem.

ACcipe absinthij ficci si non adsit viride, quinque sexve manipulos; incidantur frustillatim, forcipibus vel cultro; poma colocynthidis in quadras divisa, non ejecto semine, numero triginta; aluminis Romani vel rotundi, & salis communis, cuiusque libram unam. Bulliant omnia in aceti generosi libris circiter 28. seu pintis Parisiensibus 14. ad consumptionem quartæ partis. Colentur & exprimantur ad usum dictum.

Si in aceto hoc pacto composito, colato expressoque duæ pintæ seu libræ quatuor aquæ vitæ addantur, efficacius præstantiusque erit.

Vel, si dicta ingredientia non suppetant ad incoquendum cum dicto aceto, sumantur aceti optimi partes tres, aquæ vitæ pars una, misceanturque citra calefactionem, eodem fine.

Balſamum ſeptuplex ad inſpergendum partes, in eaſque illud immergendum.

Balſami primi deſcriptio.

ACcipe ſalis communis ſicci, & aluminis Romani vel glacialis, cuiuſque libram unam. Contuſo in pila alumine; addetur ſal, utrumque ſimul in pulverem redigetur, qui ſeorſim ſervabitur.

Deinde accipe herbæ balſamicæ, ſeu menthæ hortenſis, abſinthij, menthæ aquaticæ, ſalviæ, roriſmarini, origani, calamenti, ſaturciæ, putegij, thymi, coſti hortenſis, centaurij maioris & minoris, ſcordij, cuiuſque manipulos ſex. Dicta ſimplicia prius ſiccari debent, ut ſupra notatum eſt. Deinde in maiori mortario æneo vel ferreo triturabuntur, traijcieturque pulvis cribro ſetaceo communi, quale eſt illud quo cernitur farina ad panem cibarium conficiendum. Quod traijci non potuerit, dicto mortario reddetur, iterum pulverabitur, tranſmitteturque, quoad totum in pulverem redigatur, cum quo leniter in dicta pila cum piſtillo pulvis præcedens miſcebitur, eritque balſamum uſurpandum.

Descriptio secundi balsami.

ACcipe hyssopi, thymi, salviæ, lavendulæ, roriſmarini, abſinthij, maioranæ, rutæ, matricariæ, ſcordij, cuiuſque manipulos octo; iridis Florentiæ, zingiberis, piperis communis, pyrethri, roſarum rubrarum exſiccatarum, cuiuſque libram ſemiſſem; ſalis communis tantundem. Fiat pulvis in hunc modum.

Sal pulverabitur ſeorſimque ſervabitur.

Iris, piper, zingiber, pyrethrum, in primis probe conquaſſabuntur ſimul in mortario. Deinde alia ſimplicia, cum roſis rubris adijcientur. Omnia in pulverem redacta, tamiſio, ut dictum eſt, cernentur. Pulvere concinnato, cum illo in pila ſal pulveratum permiſcebitur, eritque ſecundum balſamum.

Descriptio tertij balsami.

ACcipe cyperi, ireos Florentiæ, gentianæ, corticum citriorum & aurantiorum, zingiberis, baccarum iuniperi, nucum cupreſſi, benjoini, thuris, aloës, myrrhæ, cinamomi, caryophyllorum, cuiuſque libram ſemiſſem; roriſmarini, ſalviæ, lavendulæ, anethi, origani, cupreſſis, abſinthij, meliſſæ, thymi, ſcordij, cuiuſque manipulos octo. Sic balſamum accuretur.

Primo in mortario ſimul rite conquaſſa-

buntur cyperus, iris Florentiæ, gentiana, baccæ iuniperi, cortices citriorum & aurantiorum, nuces cupressi, cinamomum, caryophylli, zingiber, additis deinceps reliquis simplicibus. Postea omnia per setaceum commune trajcientur modo exposito, pulvisque separatim condetur.

His peractis pulverabuntur in dicto mortario unumquodque seorsim (mortarij fundo pistillique extremo oleo communi, rosaceo, vel liliaceo inunctis) benjoïnum, aloë, myrrha, thus: hinc simul permiscebuntur in mortario, adiecto alio pulvere, confectumque erit balsamum. Advertendum, si ad dicta balsama præparanda quæpiam ex prædictis simplicibus non suppetant, ex arbitrio Medici, aut illo absente, Chirurgi unum vel plura iusta quantitate substituenda erunt.

Descriptio quarti balsami.

ACcipe aloës socotrinæ & myrrhæ, cuiusque libras sex; thuris communis, camphoræ, benjoini, caryophyllorum, cuiusque libram unam. Fiat balsamum.

Dicta medicamenta in pulverem, unumquodque seorsim, in maiore mortario redigentur (ut in tractatu præparandorum medicamentorum in libro *Pharmacopœi domestici* nomine inscripto docui.) Deinde simul miscebuntur.

Notandum, thus per cribrum ad aloëm

ſocotrinam dicatum tranſmitti non debere, ceu in unguentorum confectione obſervatur, verum in mortario duntaxat triturari debere, traijcique per ſetaceum craſſius.

Deſcriptio quinti balſami.

ACcipe aloës hepaticæ libras octo; piperis communis, zingiberis, thuris, ſeminis aniſi, cuiuſque libras duas; camphoræ libram unam. Fiat balſamum.

Aloë, thus, & camphora, unumquodque ſeparatim, pulverabuntur. Piper, zingiber, aniſum ſimul triturabuntur. Deinde reliqui commiſcebuntur pulveres in eodem mortario.

Deſcriptio ſexti balſami, urgente neceſſitate conficiendi.

INterdum dicta ſimplicia præſto non ſunt, ut in caſtris, urbibus & arcibus obſeſſis, ubi aliqua illuſtris perſona fatis concedit, cuius conſanguinei, vel amici aliquandiu cadaver tueri exoptant, ut maiorum ſepulchro reddatur, tum induſtria in hoc defectu eluceſcet. Tres enim ventres modo deſcripto vacuati, atque etiam inciſiones aceto abluentur communi, ſi non ſuppetat commoditas compoſitum parandi. Si vero acetum deſit, aqua marina ex ſale communi in aqua fuſo compoſita, ſubſtituetur, & aliquo

ex sequentibus balsamis, prout ostensum est, implebuntur.

Accipe cinerum sarmentorum, aut ligni quercini, cribro communi traiectorum, gypsi eodem modo creti, cuiusque quantitatem sufficientem. Misceantur simul, balsamumque illud erit quod insumetur.

Vbi vero gypsum non occurret, calx extincta & exsiccata adhibebitur, simul pulveranda dictisque cineribus commiscenda.

Vel sumatur dictæ calcis extinctæ, vel gypsi traiecti cribro, vel cineris etiam traiecti partes tres; zingiberis vel seminis anisi viridis, vel cumini, vel piperis communis pulverati, partem unam sive medietatem, hoc est partem unam cum dimidia. Misceantur omnia.

Pulvis quernus coriarius apprimè ad condiendum idoneum est, eadem ratione, quo reliqui pulveres descripti, impositus.

Corpus sic conditum, foriſque undiquaque dicto aceto ablutum, vel infra descripto linimento perfusum, balsamoque conspersum, loco frigido collocabitur, non autem calido vel humido: perque tempus notabile conservabitur.

Descriptio linimentorum ad corpus universum post condituram illinendum.

ACcipe olei communis vel rosacei, vel spicati, vel alterius idonei, partem

unam, terebinthinæ Venetæ, vel communis, partes duas ; fiat linimentum arte sequenti.

Calfiat modicè oleum igne leni, dein addatur terebinthina, quæ simul cum oleo dissoluetur, utrumque simul blande cum spatha versando. Sicque confectum erit linimentum, quo corpus universum perungetur.

FINIS.

Summa Privilegij.

REgia autoritate cautum est, ne quis *Medici officiosi* librum è Gallica in Latinam linguam versum imprimat, citra consensum G. SAVVAGEON Doctoris Medici, intra decem annos à die absolutæ primæ editionis computandos, sub mulcta quingentarum librarum Turonensium, aliisque pœnis diplomate Regio sancitis; Dato Lutetiæ 18. Maij 1648. Signato per Regem, DV MOLEY.

Dictus SAVVAGEON *ius superioris Privilegij concessit* STEPHANO MAVCROY.

Prima editio absoluta fuit die 14. *Augusti* 1649.

INDEX RERVM MEDICI FAMILIARIS ET DOMESTICI.

MODVS parandi clysteres, pag. 1
Modus parandi glandes, 8
Remediũ certum in astricta alvo, pro iis qui clysteribus vel glandibus uti detrectant, 10
Modus parandi iniectiones, 12
Modus parandi pessaria, 13
Modus parandi ptisanam simplicem ad potum ordinarium, 14
Modus parandi aquam hordei, 15
Aqua refrigerans pergrataque in febribus continuis usurpanda, 15
Modus sumendi pulverem bezoardicum, expresso pretio cuiusque grani, 15
Modus parandi Hydromel simplex & compositum, 16.17
Modus parandi ptisanas laxatiuas, 17. & seq.
Modus parandi aquam Cassiæ, 21
Modus parandi aquam Rhabarbari, 23
Potus singularis gratissimusque ad refrigerandum sedandamque sitim in febribus ardentibus, 23

Ius ſenæ purgans, 24
Modi Medicamenta purgantia multifariam parandi, 25. & ſeqq.
Modus præparandi bolos ex caſſia, 30. 31
Modus parandi vomitoria, 33
Modus parandi maſticatoria, 34
Modus parandi gargariſmata, 35. 36
Modus parandi emulſiones, 37. & ſeqq.
Modus parandi lac amygdalinum, 40
Modus parandi hordeum mundatum, 42
Modus parandi ſaccharum roſatum tabellatum, 43
Modus parandi frontalia, 43. & ſeqq.
Modus parandi oxycratum, 45
Modus parandi oxyrhodinum, 46
Modus parandi hydrelæum, 46
Modus parandi epithemata, 46. & ſeqq.
Modus parandi ſternutatoria, 49
Modus parandi ſuffumigia, 49
Modus fomenta & ſacculos parandi, & ſeqq. 50
Modus parandi cataplaſmata, 52. & ſeqq.
Modus parandi linimenta, 54
Vnguentum ad ambuſta cuiuſdam nobilis matronæ ex ſancti Germani ſuburbiis, 55
Modus parandi ceratum refrigerans odoratum, ibidem.
Modus parandi collyria, 56
Modus parandi veſicatoria, 57
De pedum & tibiarum lotionibus, 58
De balneis, 58
Antidotum ſingulare contra peſtem, 59

Catalogus vtensilium seu instrumentorum ditioribus necessariorum, 60
Catalogus medicamentorum opulentis necessariorum, 61. & seqq.
Catalogus vtensilium & medicamentorum, à mediocris fortunæ hominibus comparandorum, 67.68
Admonitio gratiosa ad populum, 68
Admonitio ad Medicos, 69

Index Tractatus de pretio Medicamentorum. 73. & seqq.

Simplicium medicamentorum pretium, 80. & seqq.
Syrupi violati, 81
Syrupi de tussilagine, 82
Syrupi de floribus persicorum, 83
Syrupi rosarum pallidarum, 83
Syrupi de æluropo, 83
Syrupi de papavere simpl. 83
Syrupi papaveris rhœados, 84
Syrupi de nymphæa seu nenuphare, 84
Syrupi capilli veneris communis, 85
Syrupi de quinque radicibus, 85
Syrupi de althæa, 85
Syrupi de cichorio compositi cum Rhabarbaro, 86
Syrupi de cichorio simplicis, ibidem.
Syrupi de endivia simplicis, 87
Syrupi de fumaria, ibidem.
Syrupi de succo buglossi, ibidem.

Syrupi de ſucco oxalidis, 87
Syrupi byzantini ſimplicis, 88
Syrupi byzantini compoſiti, ibidem.
Syrupi acetoſi, 88
Syrupi oxyacanthæ ſeu berberorum, limonum, granatorum acidorum, ribeſiorum ſeu groſſulorum rubeorum, 89
Syrupi de agreſta, 89
Syrupi de moris. ibidem.
Syrupi cydoniorum ſimplicis, 90
Syrupi de pomis ſimplicis & compoſiti, ibid.
Syrupi de mentha ſimplicis, 91
Syrupi roſarum ſiccarum, ibidem.
Iulepi roſati, ibidem.
Syrupi de abſinthio & ſtœchade, 91. 92
Syrupi de liquiritia & iuiubini, 92. 93
Syrupi de hyſſopo & praſſio, 93. 94
Syrupi de raphano, ib.
Syrupi de artemiſia, ib.

De Syrupis mellitis.

Oxymelitis ſimplicis, 95
Oxymelitis ſcillitici & compoſiti, 95. 96
Aceti ſcillitici, 96
Hydromelitis ſimplicis, 96. 97
Mellis deſpumati, 97
Mellis roſati, ibidem.
Sapæ ſeu defruti, 98

De Conſervis.

Conſervæ violarum, 99
Conſervæ roſarum, ibidem.
Conſervæ florum nenupharis, ibid.
Conſervæ florum bugloſſi, borraginis, anthos, & florum betonicæ, ibid.

De Electuarijs purgantibus.

Electuarij Diacaſſia, 100
Electuarij lenitivi & Catholici, 100
Electuarij diaprunis ſimplicis & laxatiui, 101
Electuarij de dactylis ſeu Diaphœnicum, 101
Benedictæ laxatiuæ, 102
Confectionis Hamech, ibid.

De Hieris.

Hieræ picræ Galeni, 102
Pulveris hieræ ſimplicis ſine aloë, & cum aloe, 103
Hieræ picræ cum agarico, ib.
Hieræ diacolocynthidos Pachij, ibid.

De Electuarijs ſolidis.

Electuarij diacarthami, 104
Electuarij de ſucco roſarum, 104
Electuarij de citro ſolutivi, 105

De Trochiſcis purgantibus.

TRochiſcorum de Rhabarbaro, 105
Trochiſcorum de Agarico Bauderoni, ibidem.
Trochiſcorum alhandal, 106
Pilularum ſtomachicarum, ibidem.
Pilularum Rufi, 106. 107
Pilularum maſtichinarum, 107
Pilularum de tribus ſolutiuis, ibid.
Pilularum imperialium, ibid.
Pilularum *ſine quibus*, 108
Pilularum aurearum, de agarico, & coccia-rum, 108
Pilularum de hermodactylis maiorum, 109
Pilularum aggregativarum, ibidem.
Pilularum *de lapide lazuli*, ibid.
Pilularum alœphanginarum, 110
Pilularum de cynogloſſo, ibidem.
Pilularum bechicarum, albarum & nigra-rum, ibidem.

De Pulveribus & Tabellis.

PVlveris diamargariti frigidi, 111
Tabellarum diamargariti frigidi, ibid.
Diamargariti ſimplicis, aut *Manus Chriſti* cum perlis, 112
Pulveris Electuarij dianthos, ibid.
Pulveris Electuarij pleres archonticon, ibid.
Pulveris diatragacanthi frigidi, 113

Pulveris diaireos simplicis & composiți, 113
Pulveris Electuarij diacalaminthes, & diambra, ibidem.
Pulveris Electuarij de gemmis, vel de perlis, 114
Pulveris Electuarij aromatici rosati, ibi.
Pulveris Electuarij diarrhodonis Abbatis, ibidem.
Pulveris Electuarij trium santalorum, 115
Pulveris Electuarij exhilarantis, ibid.
Pulveris Electuarij lithontryptici, ibid.
Pulveris Electuarii diamoschi, ibid.

De Antidotis humidis.

PHilonii magni, 116
Requiei Nicolai, ibidem.
Rosatæ nouellæ, ibidem.

De Trochiscis.

TRochiscorum de vipera, 117
Trochiscorum hedycroi, ibidem.
Trochiscorum scilliticorum, 118
Trochiscorum cyphios, ibid.
Trochiscorum de capparibus, ibidem.
Trochiscorum de eupatorio, 119
Trochiscorum diarrhodonis Abbatis, ibid.
Trochiscorum alkekengi, 120
Trochiscorum de myrrha, ibidem.
Trochiscorum *de terra Lemnia*, ibid.
Trochiscorum de caphura, ibid.

Trochiſcorum de carabe, 120
Trochiſcorum *de Gallia moſchata*, 121
Trochiſcorum de alipta moſchata, ib.
Trochiſcorum alborum Rhaſis, 122
De aquis deſtillatis, ibid.
De oleis, ibid.
De unguentis & emplaſtris, 123

Index Pharmacopœi familiaris & domeſtici.

CAtalogus ſupellectilis pharmaceuticæ ſeu utenſilium inſtrumentorumve ad officinam medicamentariam inſtruendam, 130. & ſeqq.
De clarificatione, 133
Modus clarificandi decocta & infuſiones ſeorſim abſque ſaccharo, 136
Modus clarificandi apozemata, ſyrupos & ſerum lactis, 137. 138. 139
Modus extrahendi ſuccos, 139
Modus extrahendi ſuccum cydoniorum, 140
Modus extrahendi ſuccos roſarum rubrarum & pallidarum, 141
Modus extrahendi ſuccos groſſulorum rubeorum ſeu ribeſiorum, ibidem.
Modus extrahendi ſuccum è moris, 142
Modus extrahendi ſuccum è ceraſis, 142
Modus extrahendi ſuccum è pomis, illumque defæcandi, 143
Modus coquendi ſaccharum in conſiſtentiam

tiam idoneam, ad tabellas sacchari rosati conficiendas, 145
Modus coquendi saccharum vilius ad tabellas cum pulveribus concinnandas, 146
Modus coquendi saccharum ac mel ad legitimam consistentiam ad electuaria mollia conflanda, 147
De infusionibus ad syrupos parandos, 149
Notæ seu signa coctionis syruporum, ibid.
Modus extrahendi pulpam è dactylis ad Electuarium Diaphœnicum, 152
Modus extrahendi pulpas cassiæ, prunorum, tamarindorum, easque ad electuaria mollia apparandi, 153
De medicamentis qui in puluerem rediguntur, ac primum de sena, 155
Modus exsiccandi nonnulla medicamenta ad faciliorem triturationem, 156
Modus pulverandi aloën, myrrham, rhabarbarum, crocum & assam fœtidam, 157
Modus pulverandi benjoinum, 158
Modus pulverandi scammonium, ibid.
Modus pulverandi mastichem, ibid.
Modus pulverādi trochiscos de agarico, 158
Modus pulverandi camphoram, 159
Modus puluerandi cinnamomum, 160
De oleorum infusione, ibidem.
Modus dignoscendi oleorum coctionem, ib.
De oleorum in balneo Mariæ seu diplomate coctione, 161
Modus dignoscēdi emplastrorū coctionē, 162
Modus lauandi adipem suillum ad unguen-

tum rosatum, 162
Modus cerussam abluendi, 163
Modus parandi lithargyrum, 164
Modus plumbum urendi ad triturationem, abluendiq; ad unguentũ põpholygos, 165
Modus facilior plumbum pulverandi, 166
Modus tuthiam parandi, ibid.
Modus vitriolum Romanum calcinandi, 167
Modus cremorem & salem tartari parandi. 168. 169

Tractatus secundus de Syrupis.

Modus parandi syrupum violatum ex succo, 170
Modus conficiendi syrupum violatum ex mantili, 171
Modus syrupum violaceum ex tribus infusionibus parandi, 172. 173
Alter modus parandi syrupi violati, 175
De violarũ rosatumq; pallidarũ mucaro, 176
Modus parandi syrupum de cussilagine, 176
Modus parandi syrupum de floribus persicorum ex novem infusionibus, 178
Modus parandi syrupum rosarum pallidarũ laxativum ex novem infusionibus, 179
Modus parandi syrupum rosarum pallidarum cum agarico, 180
Modus parandi syrupum de pede cati, ibid.
Modus parãdi syrupũ papaveris rhœados, ib.
Modus iulepum rosatum parandi, 181
Modus parandi syrupum de nenuphare, ib.
Modus parandi syrupum capilli veneris, ib.

Modus parandi syrupum oxymeliti simplici æquivalentem, 182
Modus parandi syrupum iuiubinum simplicem & compositum, 182.183.
Modus parandi syrupum de althæa, 184.185
Modus parandi syrupum de cichorio triplicato rhabarbaro, 185
Modus parandi syrupum cum rhabarbaro laxativum, 188
Modus parandi syrupum de papavere simplicem, 189
Modus parandi syrupum de ribes, 190
Modus parandi syrupum ex succo granatorum acidorum, limonum, cydoniorum, de fumaria, 190. 191
Modus parandi syrupum Saboris, seu de pomis compositum, 193
Modus parandi syrupum ex moris, 194
Modus conficiendi syrupum cerasorum, 194
Modus parandi syrupũ rosarum siccarũ, 195
Modus parandi syrupum de absinthio, 195
Modus parandi syrupum de artemisia, 196

De Syrupis mellitis.

Modus parandi mel despumatum, 197
Modus conficiendi mel rosatum, ib.
Modus parandi mel violatum, 199
Modus parandi mel mercuriale, 199. 200

De Conservis.

Modus parandi conservã violarum, 200
Modus parandi conservã rosarum, 202

Modus parandi conſervam nenupharis, 201
Modus parandi conſervam tuſſilaginis, 201
Modus parandi conſervas borraginis, bugloſſi, roriſmarini, & betonicæ, 202

De Electuarijs.

Modus parandi Electuarij lenitivi pro divitibus, 202. 203
Modus parandi Electuarium lenitivum pro egenis, 203
Modus parandi Catholicum, 205
Modus parandi diaprunum ſimplex & compoſitum, 206
Electuarium vice confectionis Hamech, iucundius molliuſque purgans, 207
Modus parandi Electuarium de Dactylis, vulgo Diaphœnicum, 208
Modus parandi Benedictam laxativam, 209
Modus parandi hieram ſimplicem, 211
Modus parādi hierā picram cum agarico, 212
Tabellæ ex Mechoacan, quæ tabellis Diacarthami æquivalent, 212

De Trochiſcis.

Modus parādi trochiſcos de agarico, 214
Modus parādi trochiſcos alhandal, 215
Modus parandi trochiſcos de myrrha, 216

De Pilulis.

Modus parandi pilulas ſtomachicas, *ante cibum* dictas, 217
Modus parandi pilulas *ſine quibus*, 217

Modus parandi pilulas de agarico, 218
Modus parandi pilulas ex tribus purgantibus, 219
Modus parandi pilulas de rhabarbaro, 219
Pilulæ somniferæ, 219
Pilulæ de terebinthina sola, vel cum rhabarbaro, 221
Modus terebinthinam potabilem efficiendi, 221

De pulveribus & tabellis cordialibus dictis & corroborantibus. 222

PVlvis trium santalorum, qui inservire potest pro pulvere Diarrhodonis Abbatis, Diamargariti frigidi, & Triasantali, 223
Tabellæ Triasantali cum rhabarbaro, 224
Pulvis Diambræ, qui vicem pulverũ Diambræ, Aromatici rosati, & trochiscorum de gallia moschata subire potest, 225
Pulvis Diatragacanthi, 226
Pulvis glycyrrhizæ, 228
Modus parandi tabellas ex prædictis pulveribus cordialibus, 229
De confectionibus de Hyacintho, Alkermes & Theriaca, 230
Modi varij parandi oleum rosatum, 230
Oleum violatum, 232
Oleum nenupharinum, ibid.
Oleum chamæmelinum, ibid.
Oleum liliaceum, ibid.

Oleum hypericinum, ibid.
Oleum anethinum, rutaceum, sampsucinũ, de absinthio pontico, 234
Oleum mastichinum, ibid.
Oleum cydoniorum, ibid.
Oleum myrtinum, 235
Oleum myrtillorum, ibid.
Oleum de capparibus, ibid.
Oleum de castoreo, 236
Oleum lumbricorum, 237
Oleum amydalinum dulce & amarum, ibid.

De Vnguentis.

MOdus parandi unguentũ Basilicon, 238
Vnguentum Aureum, 239
Vnguentum Ægyptiacum, 240
Vnguentum mundificativum ex apio, 241
Vnguentum album Rhasis, ibid.
Vnguentum desiccativum rubrum, 242
Vnguentum Pompholygos, 243
Vnguentum populeum, 244
Vnguentum rosatum Mesuei, 245
Vnguentum, stpticum seu astringens, quod unguento Comitissæ substitui potest, 246

De Emplastris.

MOdus parandi emplastrum Diachylon album, 247
Emplastrum Diachalciteos, 249
Emplastrum divinum, ibid.
Emplastrum de ianua, 250
Modus parandi telam Gualteri, 251

De Aquarum distillatione. 252
DE aqua theriacali, 255
Modus parandi aquã cinnamomi, 255
Modus parandi vinum Hippocraticum eximium, 256
Modus alter dictum nectar parandi, 256
Modus parandi Hippocraticũ aqueum, 257

De electione & facultatibus medicamentorum. 258

DE Prunis, 259
De Tamarindis, ibibem.
De Myrobalanis, 260
De Dactylis, 261
De Injubis, 262
De Rosis, 263
De violis, ibid.
De Cassia, 264
De Rhabarbaro, ib.
De Agarico, 265
De Scammonio, ibid.
De Alie, 266
De Polypodio, 267
De Sena, ibid.
De Turbith, 268
De Hermodactylis 269
De Mechiacan, 270
De Ialappa, ibid.
De Colocynthide, 271
De Saccharo, ibid.
De Saccharo rubro, vulgo Cassonada, 272
De Manna, ibid.
De Melle, 273
De Myrrha, 274
De Camphora, ibid.
De Mastiche, 275
De Opio & Meconio, 276
De Castoreo, 277
De Terebinthina, ib.
De Liquiritia, 278
De Succo Liquiritiæ, eiusque extrahendi modo, ibid.

Index tractatus de Sena. 279
QVibus nominibus vocetur sena apud varias gentes, 280

Senæ descriptio, pictura & delineatio, ib.
Senam non esse eandem cum Colutea, & de utriusque discrimine & pictura, 281
Quibus partibus suæ plantæ sit præstantior, efficacior & purgantior sena, 284
Senæ bonitas, electio & præstantia, 286
Quo pondere & modo exhibeatur sena, Arabibus, Græcis ac Latinis Medicis, 287
Facultates & probata senæ præsidia, ex Græcis Medicis, ibid.
Facultates & auxilia senæ, ex Arabibus Medicis, 288
Quibus morbis succurrat sena, & quæ præstet auxilia hominibus, ex Latinis Medicis, 289
Compositio præstantissimi diluti è sena, ex Andrea Matthiolo, 292
Vinũ è sena medicatũ, ex Ioanne Mesue, 292

Index methodi gelatinas carnium & piscium conficiendi, &c.

Gelatina pro opulentis, 293. & seqq.
Gelatina pro tenuioris sortis hominibus, 296
Album, ut vocant, eduliũ pro ditioribus. 297
Gelatina ex piscibus in gratiam opulentorum, 299. & seqq.
Gelatina pro pauperibus, 301
Gelatina cardiaca ex cornu cervi rasura, 302
Alia gelatina ex cornu cervi cardiaca, dysenteriis aliisque fluxibus accommodatissima, 303

De Conditis.

DE conditis salsis, primumq; de olivis, 305
De Capparibus, 307

De Conditis cum aceto.

DE Capparibus, 308
Portulaca condita, 309

De Conditis cum sapa sive musto. 310
CONditum cydoniorum cum musto, 311
Conditum pyrorum, persicorum, duracinorum, prunorum in musto, 312

De Conditis in sapa. 313
MOdus sapam parandi, 313
Modus defrutum parandi, 315

De Conditis liquidis cum saccharo. 316
CErasa condiendi modus, 318
Modus condiendi cerasa frambesiata, ib.
Syrupus cerasorum absque saccharo, 319
Frambesia condita, 319
Cerasa acidiuscula seu agriota condiendi modus, 320
Modus condiendi agrestam, 321
Modus cõdiendi grossula rubra, vulgo *ribes*, 322
Modus condiendi mora, 323
Modus condiendi mala Armeniaca, 323
Persica condiendi modus, 324
Persica *pavia* Gallis vocata cõdiendi modus, 325

Pruna condiendi modus, ibid.
Pyra condiendi modus, 326
Pyra autũnalia hybernaq; cõdiendi modus, 326
Iuglandes virides condiendi modus, 327
Alius modus iuglandes virides intra biduum condiendi, 328
Modus cõdiendi iuglandes virides, ita ut albæ continuò perstent, idque intra unũ diem, 329
Modus condiendi cydonia per quadras, ibid.
Modus parandi cydoniatum, 330. & seqq.
Cydoniatum præstantissimũ ad alvi fluorẽ, 333
Cydoniatum laxativum, 334
Cydoniatum Lugdunense, 334
Gelatina ex Cydoniis, 335. 336
Gelatina ex cerasis acidiusculis, agriotis, grossulis rubeis & agresta, 337
De Conservis & primũ de Cõserva Rosarũ, 338
Conserva Rosarum pallidarum laxativa, 339
Conservæ Violarum, Buglossi, Nenupharis, 339

Index libri de Valetudine tuenda. 341

DE Aëre, 343. & seq. De Cibo, 349. & seq
De Potu, 400. & seqq.
De Somno & Vigilia, 418. & seq.
De Motu & Exercitio, 421. De Quiete, 422
De Excrement. vacuati, 423. De Venere, 424
De mulierum menstrua purgatione, 431
De alui excrementorum, urinæ & sudorum evacuatione, 433. & seqq.
De Animi pathematis, 438. & seq.
Operis conclusio, 444

Quæstio Medica de sobrietate. 446. & seq.
Tractatus de Peste, eiusque præcavendæ modo. 465. & seq.

ANnotatio prima de causis Pestis, 468
Annotatio secunda, de præsidiis cardiacis, eorumque abusu, 499
Annotatio tertia, de Mithridatio illiusque compositione, 502
Annotatio quarta, de Arsenico ex collo suspenso ad pestis prophylaxim, 506
Annotatio quinta, de perlis, auro, cornu Monocerotis, Bezoardico, Lapide, Mithridatio, Theriaca, confectione Alkermes, &c. 510
De Moscho, 511. De Ambra, 512. De Perlis, ib.
De Auro in Medicos usus non adhibendo, 513
De Monocerote, 515. De Bezoardico lapide, 517
De Theriacæ & Mithridatio, 524. & seqq.
De confectionibus Alkermes & de Hyacintho, 529. & seqq.
De Aquis Theriacalibus, Imperialibus, Marcipanibus, Manus-Christi-Perlatis, &c.

Index libri Galeni de ratione curandi per sanguinis missionem. 583

QVæ ad phlebotomiam rite administrandam attendenda, 547
De Sophistarum circa sanguinis missionem malignitate. Qui inter illos eam maxime improbarunt, 549

De significatione vocabuli phlebotomię, &c. 551
Qui sint affectus qui evacuatione indigent, &c. 554. 555
Quid prosit sanguis in corpore, eiusque cum ligno in foco comparatio, &c. 558
Quibus demendus sanguis. Quæ attendenda ante phlebotomiam, &c. 562. 563
Quibus prȩcautionis gratia sanguis auferẽdus, vel catharticũ ineunte vere instituendũ, 566
Quando aperienda vena, &c. 568
Ad præcautionem sanguinem esse detrahendum, &c. 575. Annotatio in caput 10. 580
Sanguinis missionem auxilium esse revulsorium, &c. 581. 582
Nihil Medicinã adeo cõiecturalẽ efficere, quã incertitudinem quantitatis remedij, &c. 583
Annotatio in caput 12. 587
Quæ perpendenda ad sanguinis missionem rectè peragendam, &c. 588
Annotatio in caput 13. 590
Quid considerandum quum sanguis fluit, &c. 591. 592
Quæcunque à Medicis de phlebotomia dicta sunt, ea scriptis mandari non posse, &c. 595
Lienis affectibus phlebotomiam è directo factam opitulari, &c. 596
Curatio insignis, beneficio sanguinis missi in quopiam cui cœcitas impendebat, &c. 599
Quæ corporis partes venarum cruralium apertione levantur, &c. 601. 602
Quomodo sit adhibenda sanguinis missio, in principio & in statu phlegmonarũ, &c. 604

Numerum dierum non esse expendendum ad phlebotomiam, &c. 607
Quo tempore quave hora sanguis detrahendus. Et quomodo sanguinis missio per vices seu epaphæresim administranda, 607
De arteriarum incisione, 610
De incommodis ex arteriarum incisione, 610
De incommodis ex arteriarum apertione subsequutis, 612

Artificiosa methodus comparandorum in hortis fructuum, olerum leniter purgantium. 615. & seqq.

DE eligendis & apparandis medicis materiis instituto idoneis, 623
Quomodo selectarum arbuscularum fructus ita medicamentosi evadant, ut corpus clemẽter & absq; molestia purgare possint, 625
Modi sex medicandarum arborum, ut fructus ferant, qui clementer purgent, 628
Modi alij admodum faciles, expediti & probati, 633
Arborum medicationes aliæ, ad particulares affectus pulchræ & animadversione dignæ, 66
Fructibus arborum odores & sapores quosvis, necnon etiam colores, facilè comparari posse, 637
Arbores duæ summæ & prodigiosæ admirationis, 639
De collectione, repositione, custodia & usu

fructuum medicamentoſorum: & aliis in hac arte obſervandis, 641
Quomodo non medicati fructus, tam æſtivi quam autumnales, decerpti & aſſervati medicamentoſi evadant, ut corpus repurgare poſſint, 644
Quomodo lactuca, borrago, portulaca & aliæ plantæ deiectorias facultates induant, 648
Vites variis modis medicatas reddere, ut earum uvæ & vina ex illis expreſſa, alvum moueant, 651
Aliæ vinorum medicationes ad ſomnum, contra venena & alia, 654
Quomodo carnes gallinarum, caponum, perdicum & aliæ medicamentoſæ fiant, ut corpus ab excremẽtis blãdè purgare queãt, 660
Artificia componendorum vinorum diverſis morbis ſuccurrentium, 660
Vinorum medicamentoſorum artificioſæ aliquot concinnationes tam per vindemiam, quam alio quovis tẽpore aggrediendæ, 662
Aliæ eorundem vinorum artificioſæ compoſitiones magis tritæ ac vulgares, 665
Quædam obſervanda, cum in præcedentibus, tum ſequentibus, 668
Vinum factitiũ ex Roſis, Anetho, & Aniſo, 670
Vinum ex Aſaro, Pulegio & Fœniculo, 671
Vinum ex baccis Lauri, Petroſelino & Conyza, 671
Vinum ex Ruta, Fœnogræco, Hyſſopo & Apio, 672
Vinum ex Abſinthio & Thymo, 672

Vinum Rhodetis, seu è Rosis, 673
Vinum Absinthites, 673
Vinum Hyssopites, 674
Vinum è Betonica, 674
Vinum Thymites seu è Thymo, ibid.
Vinum Salviatum & Marrubiatum, 675
Vinum ex Apio, Anetho, Fœniculo & Petroselino, 675
Vinum Granatorum, 675
Vinum mirabile pro melancholicis, 676
Vinum cardiacum seu cordiale, 677
Vinum passulatum vel uvarum Damascenarum, 678
Vinum Cydonites seu cotoneorum, 679
Vinum obstructiones aperieris, & melancholiam emendans, 681
Vinum euphragiatum ad oculos, 682
Vinum enulatum, 683
Vinum Salviatum, 684
Vinum Hyssopites, 685
Vinum Fœniculatum, 685
Vinum Eryngiatum, 685
Vinum Anisatum, 685
Vinum Rhodites, seu è Rosis, 686
Vinum Halicacabi seu Alkekengi, 687
Vinum Caryophyllatum, 688
Vinum Gramineum, 689
Vinum Ebulatum seu ex Ebulo vel Chamæacte, 689
Vinum Guaiaci & eius vera exhibitio, cum exacta methodo curandi morbi Neapolitani, ex Andrea Matthiolo Senensi, 690

Compositio præstantissimi vini & diluti è senâ, secundum Mesuem & Matthiolum, 694
Observationes in præcedentes Vinorum compositiones, 697

Corpora mortua condiendi modus, 702

MOdus condiendi cor, 708
Descriptio aceti compositi ad tepidum partium fotum, ante unius ex balsamis applicationem, 709

Balsamum septuplex ad inspergendum parte, in easque illud immergendum. 710

BAlsami primi descriptio, 711
Descriptio secundi balsami, ibid.
Descriptio tertij, quarti, quinti, sexti balsami, urgente necessitate conficiendi, 711. & seqq.
Descriptio linimentorum ad corpus universum post condituram illinendum, 714

FINIS.

Criticis minor ut suppetat carpendi seges, Errata præterea hæc emendantor.

PAg. 297. lin. 28. *lege* album edulium. 343. lin. 24. *lege* attinent. 374. lin. 16. *lege* extenuatis. 453. lin. 21. *lege* ἁλιπαφτὸν. 546. lin. 20. *lege* ad symbolam. 616. lin. 21. *lege* medicandarum.

